FONTES RERUM SCHOLASTICARUM

I.

A THURZÓ CSALÁD ÉS A WITTENBERGI EGYETEM

SZEGED
1989

FONTES
RERUM SCHOLASTICARUM

I.

FONTES RERUM SCHOLASTICARUM

I.

Szerkeszti
KESERŰ BÁLINT

KÖZREADJA
A SZEGEDI OKTATÁSTÖRTÉNETI MUNKAKÖZÖSSÉG

A THURZÓ CSALÁD ÉS A WITTENBERGI EGYETEM

Dokumentumok és a rektor Thurzó Imre írásai

1602 – 1624

Sajtó alá rendezte
DOMÁNYHÁZI EDIT, FONT ZSUZSA,
KESERŰ GIZELLA, LATZKOVITS MIKLÓS

SZEGED
1989

A szövegeket összegyűjtötte és válogatta
HERNER JÁNOS

Lektorálta
LÁZÁR ISTVÁN DÁVID és SZABÓ ANDRÁS

Technikai munkatársak
MACHAN ESZTER
SZŐNYI ETELKA
SZŰCS JÓZSEF

MEGJELENT
A KULTURÁLIS ÉS TÖRTÉNELMI EMLÉKEINK
FELTÁRÁSA, NYILVÁNTARTÁSA ÉS KIADÁSA
KUTATÁSI FŐIRÁNY TÁMOGATÁSÁVAL

SOROZATUNKRÓL

A szegedi oktatástörténeti munkaközösség most induló forrásközlő sorozatában a korai újkorra kíván összpontosítani. A Kárpát-medence népei ebben az – 1520–30 körül kezdődő – negyedévezredben mélyen átélték fölszabdaltatásuk, vagy éppen pusztulásuk reálisan fenyegető veszélyét. Társadalmi–gazdasági formációk, hatalmi tömbök gyakorlatilag egyfolytában harcoltak – és romboltak – e térség birtoklásáért. Ami a művelődést illeti: Európa aurculatát három kultúrkör határozta meg ekkoriban, s mindegyik jelen volt itt. Mindegyik épített valamit, de legalább annyi kulturális értéket tönkretettek, vagy megsemmisítettek: a szigorúbb reformátorok és a katolikus ellenreformáció harcos képviselői talán többet, mint a mohamedán törökök...

A kultúrkörök versengésének fontos eszköze volt a könyv, az őslakos népek létharcának fő fegyvere azonban az iskola volt. Egyébként a könyv iránti érdeklődés is itt érhető tetten ekkoriban: az igényesebb iskolák mellől ritkán hiányoztak a nyomdák és sohase a könyvtárak. A művelődés komplex alapegységeiről s az egész nevelésügyről rendkívül hiányosak az ismereteink ebből a korból. A sokszor emlegetett forráspusztulás mellett föltünően gyakori egy-egy intézmény fönnmaradt dokumentumainak a szétszóratása. Emiatt különösen fontos, hogy a forrásokat lelőhelyenként számbavegyük. Az Országos Pedagógiai Könyvtár és Múzeum kezdte meg ezt a munkát az első kézirattári szakbibliográfiák kiadásával. A szegedi munkacsoport ebben a föltáró munkában is részt kíván venni; célszerűnek láttuk azonban már közben megindítani forrás*közlő* sorozatunkat.

Vállalkozásunknak vannak szegedi előzményei is. Az *Adattár XVI–XVIII. századi szellemi mozgalmaink történetéhez* című sorozat nem kevés olyan dokumentumot, szöveget, adatsort közölt, amelyek révén új megvilágításba kerül ennek a kornak az iskolaügye. (Különösen Herepei Jánosnak a váradi, kolozsvári, gyulafehérvári és enyedi kollégiumokról, az erdélyi leányoktatásról, kalotaszegi iskolákról szóló közleményeire gondolunk.) Tervszerűbben fogtunk hozzá Szegeden a korabeli felsőoktatást kiegészítő – a korszak és a térség nagy részében azt pótló – külföldi egyetemjárás dokumentumainak összegyűjtéséhez és publikálásához. Herepei cikkei mellett itt főleg az *Adattár* 6. kötete emelhető ki, ahol egyetlen patrónushoz, Teleki Sándorhoz több évtizeden át küldött több száz peregrinuslevél olvasható. A közelmúltban Szegeden indult meg Herner János szerkesztésében a *Peregrinatio Hungarorum* füzetsorozata, s ennek középpontjában is a „tudós utazás", az egyetemjárás áll. Ezzel összefügg, hogy a *Fontes* első kötetei is a peregrinatio academica dokumentumait, szövegeit teszik hozzáférhetővé. Így első és harmadik kötetünk a lutheránus illetve a református főúri tanulmányút egy-egy késői „esetét" világítják meg, nagyrészt a család által összegyűjtött és megőrzött iratok, szövegek alapján; második kötetünk pedig Lőcse városának és egy ottani alapítványnak a saját „akadémita értelmiség" képzésére irányuló erőfeszítéseit dokumentálja.

Terveink szerint a továbbiakban a Kárpát-medence legkülönfélébb iskolái, a magánstúdiumok változatos formái lesznek egy-egy kötet tárgyai; összefoglaló, már értékelésre is alkalmas adatsorok, statisztikák se fognak hiányozni a sorozatból; s külön törekszünk arra, hogy eddig figyelemre alig méltatott forrástípusokat is közzétegyünk. Egy-egy terület népoktatása, különböző egyházak és világiak iskolafenntartó tevékenysége, az oktatás anyaga és módszerei bizonyosan új megvilágításba kerülnek majd számadások, összeírások, könyvjegyzékek, kollégiumi jegyzetek megismerésével. Arra is van példánk, hogy szeniorok, rektorok a diákság, az iskola életének szinte minden mozzanatára kiterjedő „intézményi naplót" vezettek. Ilyenek a kolozsvári unitárius kollégium *Fasciculus rerum scholasticarum* elnevezésű, több évtizedre kiterjedő füzetei. Ezek sajtó alá rendezését megkezdtük; innen vettük az ötletet most induló sorozatunk címéhez.

*

A fönti példákat folytathatnánk. Említést teszünk még arról, hogy Rómában összegyűjtött dokumentumok alapján készülünk a ferences és jezsuita misszionáriusok meg egyszerű „licenciátusok" hősies erőfeszítéseinek rekonstrukciójára; a hódoltsági magyar, délszláv, stb. népek anyanyelve és kultúrája ui. a túlélést – iskolának, intézménynek aligha nevezhető – általuk szervezett oktatási közösségeknek köszönheti.

Az ilyen és hasonló speciális témák feldolgozása, de még adekvát megközelítése sem képzelhető el nemzetközi közreműködés nélkül. Meg is kezdtük szlovákiai és romániai szakemberek bevonását. Ezzel azonban aligha elégedhetünk meg. A nyugat- és közép-európai kutatás eredményeit az eddigieknél inkább figyelembe kell venni további terveink kialakításakor, s nélkülözhetetlen természetesen új megközelítések, módszerek adaptálása. Hiszen köteteink olyan kulturális jelenséget kívánnak sokoldalúan megismertetni, ami szerves, de különleges része a nyugati kultúrának. És mennél teljesebb, pontosabb a Kárpát-medence mindenféle szintű oktatásügyére, az iskolák színvonalára, látogatottságára, a nevelésben alkalmazott módszerekre stb. vonatkozó tudásunk, annál biztosabb választ kapunk arra a kérdésre, hogy mi jutott el az európai intellektuális, tudományos, pedagógiai elvekből és gyakorlatból e kultúrkör legtávolabbi, délkeleti sarkába.

I. LEVELEK

1.

Aegidius Hunnius Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1602. június 1.

Levelét a magyar sáfránnyal együtt megkapta. Az egykor virágkorát élő Magyarországot az utóbbi években háborúk sora rázza meg. Magyarország a birodalom védőbástyája. Biztos abban, hogy Thurzó megkapta a regensburgi tanácskozás jegyzőkönyvét. Ha ezt elolvassa, meglátja, milyen istentelenek a pápa küldöttei.

Salutem in CHRISTO Jesu perpetuam.

Illustris et Mangnifice Domine Comes, fautor ac patrone summa cum observantia colende, redditae mihi sunt Tuae Magnificentiae literae una cum adjuncto croco Hungarico, munere mihi cumprimis autem uxori meae acceptissimo, pro quo etiam singulares agimus et habemus gratias.

Maximopere etiam gratum mihi accidit, quod tanti splendoris et dignitatis Vir meas exiles literas tanto cum favore ac benevolentia suscipere non dedignatur. Ego certe Illustris Tuae Magnificentiae memoriam in omni vita seruabo sartam tectam.

Porro quod Hungaria olim florentissima his postremis annis tantopere infestatur, et bellorum continuis procellis concutitur, id vero nobis auditu perquam molestum est, cum facile intelligamus, quantum nobis praesidium paratum sit in Hungaria, quae objecta furori Turcico totius Imperij Romani ceu murus quidam est firmissimusque propugnaculum. Idcirco merito pro ea preces ad Deum continenter fundimus, cumprimis autem pro ijs, qui et periculo vicini sunt, et sanguinis, vitae ac fortunarum periculo <...> non tantum pro patria, sed etiam pro totius orbis Christiani salute pugnant.

E quorum numero cum vel imprimis sit, Tuae Magnificentiae omnino me debitorem agnosco, ut pro ea, ut et pro cunctis, qui in bello Turcico praelia Do-

mini praeliantur, aeternum ac praepotentem Deum de felici rerum gerendarum successu, quam par est, devotione invocem.

Colloquij Ratisbonensis Protocollum typis excussum ad vestras manus pervenisse non dubito, ex cuius lectione quisque non plane caecus aut stupidus videre poterit, quam fuerint Pontificij collocutores blasphemi et impij, quam impudentes et in media sua impudentia insulsi et absurdi.

Deus aeternus bonum opus, quod operatus est, in nobis clementer confirmet, et ad illustrem adventum filij sui benignissime continuet et conservet, cujus divinae protectioni Magnificentiam Tuam pijs votis ex animo commendo.
Datae Wittebergae, die 1. Junij Anno salutis humanae MDCII.

Tuam Illustrem Magnificentiam officiosissime colens
Aegidius Hunnius
Doctor

Címzés: Illustri et Generoso Domino, Domino Georgio Turzo de Bethlenfalwa, Libero Baroni Comiti perpetuo Arwensi etc. Domino suo officiosissime colendo.
OL E 196. 37. cs. Nro. 10. Autográf.

2.

Salomon Gessner Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1604. április 10.

A Wittenbergben tanuló eperjesi származású Martin Scultetit Thurzó figyelmébe ajánlja. A magyar evangélikus egyház mostani szorongatott idején e dogmatikailag is jól képzett ifjú kiválóan helyt tudna állni vallása szolgálatában. Kéri, továbbra is nyújtson neki segítséget.

Vt Illustri Vestrae Generositati Martinum Scultetum Epperiensem Pannonium commendarem, Illustris ac Magnifice Domine, causae me adduxerunt plurimae et gravissimae. Nam et ipse, quod potissimum est, sua probitate, modestia et in bonarum literarum studijs profectu haud vulgari idipsum meretur, et Ecclesiae Christi praesertim in Vngaria necessitas hoc officij genus efflagitat. Cum enim per id temporis, quo hic vixit, abunde cognoverim illum orthodoxam nostrarum ecclesiarum doctrinam non modo ex animo amplecti, sed etiam solida fundamenta eius sententiae iecisse et adversariorum falsas opiniones vehementer detestarj, idcirco plane mihi persuasi illum in Christi ecclesia ministrum et oeconomum fore perutilem et apprime necessarium. Illustrem itaque Vestram Generositatem et magnificentiam etiam atque etiam rogatam velim, ut hunc adolescentem suo patrocinio et auxilio porro etiam, sicut hactenus, non indignum existimet. Non enim dubito, quin hanc meam commendationem sua virtute sit comprobaturus et procul enim dubio superaturus. Coeterum Illustrem Vestram Generositatem divinae protectioni ac benedictioni commendo.
Dedi 10. Aprilis Anno Christi 1604. Wittebergae.

Illustris Vestrae Generositatis studiosissimus

Salomon Gesnerus
Doctor
et templi arcis itidem praepositus

Címzés: Illustri, Spectabilis ac Magnifico Domino, Domino Georgio Thurzo, Liberi Baroni de Bethlenfalwa, Comiti perpetuo Comitatus Arvensis, Partium Cis-Danubianarum Regni Hungariae Generali ac praesidij Wyvariensis supremo Capitaneo, Pincernarum Regialum per idem Regnum Magistro ac Consiliario Sacrae Romanae Caesareae Regiaeque Majestatis. Domino meo omni observantia colendo.

OL E 196. 37. cs. Nro. 19. Autográf.

3.

Tomaš Francisci Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1604. április 22.

Johann Stigelt idézve minden peregrinus számára szükségesnek mondja a mecénást. Noha nemrég kapott Thurzótól segélyt, mégis igen nagy nyomorban él. Thurzó mind szüleit, mind az ő triviális tanulmányait támogatta. További támogatást kér.

Illustris ac Magnifice Domine, Domine mihi clementissime, salutem, pacem imperijque coronam florentissimam a DEO te optimo maximo Spectabilem ac Magnificam Dominationem Vestram precor, suaque studia humilime defero etc.

Nemini est ignotum, Spectabile ac Magnifice Domine, Domine gratiosissime, quam multis et quam varijs ij omnes, qui honestarum disciplinarum studijs invigilando culmen virtutis conscendere student, expositi sint adversitatibus. Etenim varias et longissimas salutando oras cum primis patrocinio non vulgari Heroum indigens, ut nimirum eo muniti tanquam in acie fortis et immoti stent, neque qvibusvis adversitatum procellis obortis labantur et cadant. Deinde cum vita humana nihil sit aliud, quam pelagus et regina pecunia nauta ita, ut infelix naviget, qui ejus ope careat, ut eleganter Stigelius ad eam tuendam et virtutem promovendam usum ejusdem plurimum requiri. Verum enim vero cum neutrum horum, cujusvis imi subsellij hominis et aerumnae facultatum praestare valeant, ideo sacro consilio Deus optimus maximus Magnates et Heroas huic seculo praefecit, ut eorum tutela et praesidium halcionia dare possit, unde non immerito benefici et nutricij monumentis sacrarum literarum pervulgantur.

Eadem sane sorte et ego tactus, disciplina excellentium et doctissimorum virorum allectus, dissitissimas oras salutavi, et in gremio earundem vitam vivere institui, in qua patrocinio omni destitutus quasvis adversitates, quae alioquin et sanctissimis obtingere solent, extimesco. Adde, quod et telis fortunae adversae ita jactor, ut imposterum et remissius pensum studiorum urgere et eam animo infracto diutius non queam tolerare.

Licet igitur temporibus superioribus Spectabilem ac Magnificam Dominationem Vestram veluti dominum clementissimum et fautorem excellentissimum cum humilima submissione animi et officiorum commendatione accesserim, justamque tutelam vitae rebusque meis et incremento studiorum meorum levamen aliquod impetraverim. Tamen, ut magis apud Spectabilem et Magnificam Dominationem Vestram instem, res ipsa svadet. Nam quoties considero Spectabilem et Magnificam Dominationem Vestram, considero autem soepius, toties de maximis in me parentesque meos beneficijs, toties de liberalitate in me praestita cogito, quibus illis sub praesidio Spectabilis et Magnificae Dominationis Vestrae tutis vitam degere, mihi vero in schola triviali per tempus longiusculum beneficio frui, et denique in complexu parentum moranti secure vivere concessum. Quare quem ad modum mihi olim parentibusque meis ad huc usura lucis hujus fruentibus certa tutela ac praesidium subdefensione Spectabilis ac Magnificae Dominationis Vestrae concessum, nunc, ut liceat, eadem absenti fruisci summa cum animi demissione oro atque contendo. Plenam igitur in spem venio me hujus tanti desiderij Spectabilem et Magnificam Dominationem Vestram compotem facturam, meque in eo toto pectore elaboraturum, ne in officio exequendo Deo me bene juvante, operam accusatum meam iri sinam.

Quod super est, Spectabilem et Magnificam Dominationem Vestram Dei optimi maximi tutelae ac defensioni commendans oro, ut usura vitae firmiori concessa Spectabilem et Magnificam Dominationem Vestram cum omnibus suis diutissime incolumen servet, gubernationem tranquillam efficiat, ut pietas et religionis sinceritas cum pace florentissima multis osculis et amplexibus sese excipiant et exosculantur.

Da[tum] Witebergae, Anno 1604. Die 12. Aprilis Calendarii Juliani.

Spectabilis et Magnificae Dominationis Vestrae cliens humillimus
Thomas Francisci Arvensis

Címzés: Spectabili ac Magnifico Domino, Domino Georgio Thurzo de Betthlem Falva, Comiti Perpetuo Comitatus Arwensis, Partium Cis-Danubianarum Regni Hungariae Generali ac Praesidii Wywariensis supraemo Capitaneo, Pincernarum Regalium per idem Regnum Magistro ac Sacrae Romanae Coesareae Regiaeque Majestatis Consiliario etc. Domino ac Mecoenati suo magnificentissimo et liberalissimo.

Árva, II-F/ 17. Fasc. Nro. 4.

4.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Lietava, 1606. június 15.

Eltemigh ualo zolgalatomnak Ayanlasa utan aldgjameg az ur Isten Nagisaghodat minden iokal sok estendeigh kiuanom.

Azoniom Aniam, Neneim, hugaim es magham felölis azt Irhatom Istennek Neue dichertesek mindniaian io egesegbe wagiunk, es en magam eöreömest-

is tanulok, az haigmis[!] maar zepen all, Cziak Nagisaghod az Igert Ayandekreöl el ne feletkezek ezel Istennek aldasa legien Nagisaghoddal.
Keölt Lethawam[!], 15. Juni Anno 1606.

Nagisaghod alazatos fia es szolgaia Migh el Zolgall Nagisaghodnak
Emericus Thurzo
manu propria

Címzés: Tekentettes es Nagisaghos Vrnak Tuhzo[!] Georgi Vramnak mintt zerelmes Vramnak Attiamnak adassek es leuel.
Árva, II-T/ 15. Nro. 174. Autográf.

5.

Kaspar Cholius Thurzó Györgynek
Lőcse, 1606. december 2.

Betegsége két éve megakadályozta orvosi tanulmányai folytatásában. Most már egészséges, és hálás azért, hogy Thurzó György továbbra is biztosítja számára az ösztöndíjat.

Salutem et Subjectionem

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Armis Vngariam tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora Thurzo.

Liceat enim mihi ita Vestram Magnificentiam alloqui, vt olim Moecenatem Horatius. Quid igitur, ait Vestra Magnificentia? Scilicet Pro beneficijs in me peregrinum et exoticum jam olim collatis ago gratias. Ita nempe gratias refero, majora quippe mihj suppetunt. In Magnis ergo voluisse, si alijs et mihi sat esto. Quidenim multa homuncio?

Dij tibi, Dij referant haec Maxime Thurzo
Non opus hoc nostrum est tantas exsolvere grates
Dij tibi, Dij referant.

Pergo ad alia, superiorum tamen beneficiorum nunquam immemor, dum spiritus hos reget artus. Cum ergo intestinae Vngarorum dissensiones gliscerent, (idiam[!] bienium est, vel etiam excedit) Morbis incipiebam conflictarj plurimis. Erant illi febris tertiana simplex, tertiana duplex, causa quartana Turiarum quarta, tumor Verbiculi, incipiens Anasarsca, scirrhus tandem lienis ac Epatis. Morbis ijs tenebar, dum a studijs abstrahebar mejs. Jam cum Vngaria pacem videat, sanitatem et ego recupero. Ita enim cum salute Vngariae et ego sospitor. Pro-

gressus ergo in studijs, quae tracto, Medicijs hactenus per morbum inhibitos iam continuabo. Sed liberali eam ad rem opus est stipendio! Vtinam itaque Vestra Magnificentia ulteriore me bearet stipendio! Id si fieret, quam non gauderem? quam non tripudiarem? quam non in id futurus essem intentus unice, vt fide et diligentia in perpetuum inservirem jnclitae Thurzonum familiae. Id ergo ut fiat, ut et celeberrima bb. Thurzonum familia diu coelitus Magnificentiam cum Magnifica Domina Conjuge, Domina mea gratiosa, cum benigniter favere venerabunde cupio.
Datum Leutschoviae, quarto Nonas Decembreis, Anno Epoches Christianae MDCVI.

Illustrem Vestram Magnificentiam devotissime colens

Magister
Caspar Cholius
Philiatros

Címzés: Spectabili et Magnifico Domino Georgio Thurzone de Bethlen Falwa, Comiti Aruensi perpetuo, Domino Hritschou et Lethava, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestati a consiliis et per inclitum Vngariae regnum regalium agasonum Magistro, Domino meo gratioso.
OL E 196. 24. cs. Nro. 188. Autográf.

6.

Kaspar Cholius Thurzó Györgynek
Bázel, 1607. augusztus 19.

A bázeli egyetemen az orvosi praxist Platter, a betegségek okait és felosztását Stupanus, az anatómiát és botanikát Kaspar Bauhin előadásain, az elméletet Galenus könyvei alapján tanulja. Nem Bázelben a kálvinista, hanem Kolmarban a lutheránus istentiszteleten vesz részt. Az orvosi tanulmányokat, melyeket Strassburgban igencsak mellőznek, itt nagy buzgalommal oktatják. 1608 húsvétja után Wittenbergbe szándékozik menni, hogy – miután ott is eltölt egy évet – ledoktoráljon. Lazar Henckeltől megkapta a 100 joachim aranyat, de ezt keveselli. Elküldi orvosi tárgyú disputációját, s ha ez tetszeni fog Thurzónak további orvosi és természettudományos értekezéseket ígér. Tudósítja különböző külpolitikai eseményekről.

Salutem et subjectionem, Illustris et Magnifice Domine Comes, Domine et Maecenas gratiose.

Vivo Basileae. Lectiones audio: e Practicis Doctoris Plateri, e Theoricis in Galeni libris, de causis et differentijs morborum Doctoris Stupani, ex Anatomicis et Herbarijs Doctoris Casparis Bauhini.

Ad sacram συναξιν accedo non Basileae apud Calvinianos, sed Colmariae apud Lutheranos.
Studium Medicum, quod Argentorati pessime negligitur, hic diligenter urgetur. Fit illud disputando, legendo, repetendo, secando, herbationes crebras instituendo. Quapropter consilij mei intentio haec est: Si Deo et Vestrae Magnifi-

centiae placet, hic sum permansurus usque ad Pascha 1608. Tunc enim redibo Witebergam, annum ibi mansurus integrum. Anno eo absoluto gradum assumam doctoris et ad Vestram redibo Magnificentiam. Hoc meum ad consilium <ut> et propositum, vt mihi manus auxiliares Vestra porrigat Magnificentia, suppliciter et devote oro, obtestor, obsecro.

Pecuniam centum Joachimicorum mihi exacto exolvit omnem Dominus Lazarus Henckelius, pro qua sane Vestrae Magnificentiae gratias subjectissime ago. Verum ea pecunia mihi neutiquam ad absolvendum studij medici cursum sufficit. Quin imo tota ea iam est consumta penitissime. Neque id sane mirum. Magna quippe eius pars in itinere longissimo est consumta. Siquid praeterea laude dignum in faculatate Medica cupio cognoscere, magno id cogor a praeceptoribus emere pretio. Quapropter iam omni exutus vivo pecunia. Sed magna mihi spes est in Vestra Magnificentia, quam omnino confido pro singulari sua erga me benevolentia, accedente etiam clementissima promissione, Domino Henckelio in mandatis gratiose daturam, ut dicto citius aliam mihi subministret pecuniam. Hoc ergo meum consilium an probetur Vestrae Magnificentiae, cito per literas ad Dominum Henckelium missas mihi clementer et gratiose significari rogo. Quin et illud addo. Disputatio haec de Morbo Vngarico mea ut a Vestra Magnificentia clementer et benigne suscipiatur, obsecro. Eam enim[?], si gratam esse intellexero, ansa mihi praebebitur, sub auspicijs Vestrae Magnificentiae Tractatum divulgandi integrum de Febre Vngarica Epidemia, de Morbo illo Vngarorum domestico, qui Plica capillorum appellari potest, de transmutatione idem ferri in Cuprum in officinis metallicis Schmölnicensibus superioris Vngariae: tandemque de causis mutationis aquarum Zepusiensium in Verum lapidem.

Noua apud nos habentur ista: Bellum nempe inter Belgas et Hispanos recrudescere. Heluetios etiam contra Hispanos multum <colli> et copiosum colligere exercitum. Quorsum tandem res haec evasura, ignoratur. Pacem in afflictissima Vngaria iam certo constitutam esse, apud Helvetios affirmatur: Id si ita, toti gratulor Hungariae. Dominus Jesus Vestram Magnificentiam cum inclita familia diutissime in meam aliorumque salutem sospitet.
Datum Basileae, 19. die Augusti, 1607.

Illustris Vestrae Magnificentiae Alumnus devotissimus

Magister
Caspar Cholius
Medicinae Candidatus

Címzés: Illustri et Magnifico Domino, Domino Georgio Thurzo, Comiti Comitatus Arvensis perpetuo, Domino in Bittscha, Hrischow et Lethava, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Consiliario etc. Domino et Moecenati meo gratioso.

Árva, II-CH/ 5. fasc. Nro. 40. Autográf.

7.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Biccse, 1608. május 17.

Reméli, atyja hamarosan hazatér. Elnézést kér a korábbi levelében ejtett hibákért, melyekért tanára egyáltalán nem felelős, hiszen nem volt jelen a levél másolásakor.

Salutem et obsequia mea semper promptissima paratissimaque. Illustris ac Magnifice Domine Comes, Domine pater carissime.

Quod Deus noster misericors inter millena pericula et negotia Vestram Magnificentiam adhuc custodiat, libenter audio. Faxit ille ipse DEVS, ut parta pace et tranquillitate cito salua ad nos redeat Vestra Magnificentia. Errata superiorum mearum literarum mihi condonarj unice peto. Descripseram ego eas sat congruenter et orthographice praesente praeceptore, quem habeo, meo. Post dimissionem uero scholasticam, cum ut literas eas obsignarem, ascenderem in gynaeceum, fiebat, ut forte fortuna eas macularem. Fiebat inde, ut eas in gynaeceo, denuo describerem praeceptore nihil quicquam ea de re sciente. Erratum ergo istud non praeceptorj, sed mihi imputarj, mihique etiam dementer condonarj peto. Errat quandoque uel quouis sapiente sapientior. Quin imo erratum hocce meum mihi addet calcar stimulumque, nequid ulterius praeceptore ignorante aggrediar. Dominus Jesus Illustrissimam Vestram Magnificentiam diu sospitet, rebusque feliciter expeditis cito saluam ad nos reducat. Fiat, Fiat.
Scripsi in arce Bitschensi, 17. Maij Anno 1608.

Illustrissimae Magnificentiae Vestrae obedientissimus Filius
Comes Emericus Thurzo
manu propria

Címzés: Illustrissimo Domino, domino Comiti Georgio Thurzo de Bethlenffalua, Comiti perpetuo de Arua eiusdemque Comitatus Aruensis Supremo Comiti Dapiferorum Regalium per Hungariam Magistro, ac Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Consiliario etc. Domino et Patri mei carissimo atque obseruandissimo.
Árva, II-T/15. fasc. Nro 179. Autográf.

8.

Polycarp Leyser Thurzó Györgynek
Drezda, 1608. október 21.

Thurzónak az új naptár szerint október 12-én Biccsén kelt levelét a régi naptár szerint 20-án kapta meg Drezdában. Szívből örül, hogy hosszú idő után levelet kapott Thurzótól, ebből tudta meg, hogy az ő leveleiből egy sem jutott el a címzetthez. A választófejedelem nincs Drezdában, Leyser így nem tudja Thurzó levelét ismertetni vele. Ám néhány napon belül találkozni fognak, és akkor erre sor kerülhet. Gondoskodni fog a válasz megírásáról is. Biztos abban, hogy a választófejedelem eleget tesz

Thurzó kérésének. Az alumnusokat ajánlólevelekkel ellátva Wittenbergbe küldte. Rokonáról, Samuel Cranadirusról[?], mióta az Thurzótól eljött, nem tud semmit. Félti Magyarországot a jezsuiták üzelmeitől.

Salutem a DOMINO et servitia mea prompta atque parata. Illustris atque generose Domine Comes, Domine gratiose et humiliter mihi colende.

Quas Illustris Dominationis Vestrae 12. Octobris Stylo novo Bitschae ad me dedit litteras, eas herj 20. ejusdem stylo veterj hic Dresdae ab alumnis Illustris Dominationis Vestrae accepj. Et primum quidem ex animo laetatus sum me tandem post intervallum satis bene longum Illustris Dominationis Vestrae manum in litteris incurrj, indeque cum de ipsius incolumitate, tum de constantj erga me benevolentia iudicium facere posse, cuius indicium nullum per annum integrum vel amplius videram. Sed hoc nomine mirari desino. Siquidem etiam ex Illustris Dominationis Vestrae litteris intelligo neque mearum Epistolarum vel unicam eidem redditam esse, quarum tamen ad minimum ternas transmiseram. Sed hoc non tantum locorum intercapedinj, <sed> verum etiam tabellionum infidelitatj, vel certe turbis, quae interea temporis acciderunt, adscribendum erit. Interim tamen Illustris Dominatio Vestra de eo cessa sit, non abire diem, quo non ipsius in meis precibus ad Deum Optimum Maximum pro clementj protectione, pro constantia in doctrina salutis et pro omnj incolumitate tam corporis quam animi mentionem faciam. Hj nuntij certum[?] transmissj, ne a Diabolis quidem intervenj possunt, utcumque litterae scriptae interdum surripiuntur.

Deinde vero, quod duos Illustris Dominationis Vestrae beneficiarios attinet, Serenissimus quidem Elector noster hac vice Dresda abest ita, ut Illustris Dominationis Vestrae Litterae non e vestigio reddj possint, sed paucos dies abituros puto, quibus Serenissimam ipsius Excelsitatem sum secuturus, ibj tum, ut litterae recte tradamus, ipse curaturus et responsum postea missurus sum. Interim non consultum existimarj Illustris Dominationis Vestrae alumnos detinere, sed eosdem litteris commendatitijs ad generum meum et alium quendam Professorem instructos Wittebergam dimisj. De eo vero dubium est nullum Serenissimum Electorem meum ad declarandam animj suj erga Illustrem Dominationem Vestram propensionem petitionibus eiusdem clementissime locum concessurum.

Quod denique affinis meus, Samuel Cranadjrus[?], tam facile ex manibus dimisit singularem illam emergendj commoditatem, quam Illustris Dominatio Vestra ipsj ad intercessionem meam declarare coepit, et porro declaratura[?] erat, id admodum indigne fero. Quod ipsum effecit, ut dictus Samuel, ab eo tempore, quo ab Illustri Dominatione Vestra ipsum discessisse cognovj, nihil quicquam vel literarum vel pecuniae a nobis acceperit, ut intelligat, nobis illam mutationem displicere. Vbj vero locorum iam haereat, Ego penitus ignoro. Hoc unicum scire optarim, utrum bona vel mala gratia ab Illustri Dominatione Vestra abierit. Faxit Deus, ut talem se gerat, qualem iuvenem honesta familia prognarum decet. Certe sj aliter se gesserit, non multum benevolentiae sibj a nobis pollicemur.

Denique de mutatione illa, quae coronam Hungariae concernit, bonj omnes optima quaevis sibj pollicemur. Sed Deus res omnes fortunet et praecaveat

ne Jesuiticae practicae monstrj quid foveant et producant. Contra eas me vota pia ad Deum facturum polliceor, et Illustrem Dominationem Vestram divinae protectionj commendo.
Dabantur Dresdae, 21. Octobris Anno 608.

Illustrissimam Dominationem Vestram humiliter et ex animo colens ac magnifaciens

Polycarpus Lyserus
Doctor
manu propria.

Címzés: Multum illustrj atque generoso Domino, Domino Georgio Turzonj de Bethlehemfalva, libero Baronj in Weimitz, perpetuo comitj Comitatus Vibaviensis et Arvensis, Caesareae Majestatis Romanorum Consiliario et regnj Hungaricj dapifero haereditario et caetera. Domino suo gratioso.
Árva, II-L/ 18. Nro. 240. Autográf.

9.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Biccse, 1609. március 7.

Köszöni apja tanulásra buzdító levelét. Korábbi levele keltezéséből nem hanyagsága miatt hiányzik a helynév. Hasonlót találni Cicerónál és más klasszikusoknál is.

Illustrissime Comes ac Domine, Domine Parens obseruandissime. Salutem et perpetuam obedientiam filialem commendo.

Nunquam non iucundae mihi esse possunt literae Illustrissimae Dominationis Vestrae, praecipue cum eae omnes me ad pietatem in Deum, et diligentiam in studijs adhibendam cohortantur. Verum quod Illustrissima Dominatio Vestra me eo nomine reprehendit, quod locum, unde scriptae fuerant posteriores, omiserim. Feci id non ex negligentia aliqua, sed cum videam Ciceronem in sexcentis suis, tam ad familiares, quam ad Atticum datis literis, nomen loci, unde datae fuerant, perraro subscripsisse, eo quod notum fuerat familiaribus suis, ubinam locorum degeret, non me in Ciceronem, aut alium quemuis classicum authorem peccasse videor. Ne tamen in similibus quoque Illustrissimam Dominationem Vestram inposterum offendam, operam dabo. Quam de caetero diuinae protectioni commendans, felicissime Valere desidero.
Dabam in Arce Bytschensi, 7. Martij Anno 1609.

Illustrissimae ac Magnificae Dominationis Vestrae filius obedientissimus

Comes Emericus Thurzo de Arua

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo, Comiti perpetuo de Arwa, eiusdemque Comitatus Arwensis supremo Comiti, Dapiferorum Regalium per Hungariam Magistro ac Sacrae Regiae Majestatis Consiliario etc. Domino Parenti mihi obseruandissimo.
Árva, II-T/ 15. Nro. 48. Autográf.

10.

Eliáš Láni Thurzó Györgynek
Biccse, 1609. július 13.

Thurzó gyermekei jól vannak és végzik kötelességüket, Hermann gondoskodik róluk. Az iskola rektora Thurzó utasításai szerint látott munkához. Lehetségesnek tartja, hogy a zsolnaiak kántora visszatér Morvaországba. Másnapra várja Beszterczei Sámuelt, együtt mennek majd a zsolnai zsinatra. Említést tesz bizonyos eretnek csoportokról és a Theodosius és Beniczki Márton személyét ért támadásokról.

Illustrissime Domine Comes, Patrone observandissime, solidas corporis et animi vires cum felici rerum omnium successu Illustrissimae Dominationi Vestrae optans, preces meas cum servitijs paratissimis defero.

Cum mihi cognitum exploratumque sit Illustrissimae Dominationi Vestrae non ingratum esse qualemcunque rerum domesticarum significationem committere, non potui, quin hasce Viennam vsque emitterem. Quantum igitur ad dulcissimos Illustrissimae Dominationis Vestrae liberos attinet, hi et valent mediocriter, et officium suum faciunt fideliter. Noster Herman ita se circa juniores dominos gerit, vt nihil desiderari possit. Sed et in reliqua familia talem servat disciplinam, vt mihi sit admirationi. Per hanc igitur curam potest Illustrissima Dominatio Vestra ocioso esse animo.

Quantum ad Rectorem Scholae, posteaquam ei mentem Vestrae Illustrissimae Dominationis erga ipsum et studia discentium pronam effusamque exposui, videtur mihi jam composuisse animum, et solita alacritate munia vocationis suae obire. Cantor vocatus a Solnensibus nunc ibi haeret. Quid conclusurus sit, paulo post resciscam. Existimo tamen eum nonnisi ad festum Michaëlis se ijs obligaturum esse, tandemque rediturus in Moraviam.

Ego per Dei gratiam hoc tempore valeo, atque ad Conventum Solnensem me, vt possum, praeparo. Cras ad vesperam expecto Dominum Samuelem Beztercensem, quocum postridie summo mane itinere me committam. Audio ex inferiori Districtu affuturos Trenchiniensem, Illaviensem, et tertium ex integro et corrupto compositum illum hostem libri Concordiae. Quot alia heteroclita capita comparitura? Utinam Vienna Solnae esset, haberem plus bonae spei de exitu nostri Conventus. Jam vero et nunc video quendam moleste ferre datas esse Domino Theodosio et Domino Martino Beniczky ordinandi ejus Conventus partes. Deus erit orandus, vt ipse sit Praeses, autor et actor totius negocij.

Si quid Dominatio Vestra Illustrissima habet, quod mea scire intersit vel tribus verbis perscribat, oro, praesertim vero de modo suae protectionis et statu valetudinis suae, necnon Dominae Magnificae. Hoc nihil erit mihi gratius. Ego

quoque, quae eidem Illustrissimae Dominationi Vestrae grata fore intellexero, haud silentio premam. Deus, Pater misericordiarum regat et legat Illustrissimam Dominationem Vestram pro sua immensa misericordia efficiatque, vt quamprimum in pace et prosperitate reducem videamus vna cum Magnifica Domina et caeteris sibi adjunctis. Valeat Illustrissima Dominatio Vestra cum ijsdem feliciter.
Bitschae, 13. Julij Anno 1609.

Illustrissimae Dominationis Vestrae subjectissimus in Verbo Evangelij Minister

Elias Lany

Címzés: Illustrissimo Domino, domino Comiti Georgio Thurzo de Bethlemfalwa, Comiti de Arva, ac ejusdem Comitatus Arvensis Comiti perpetuo: Dapiferorum Regalium per Hungariam Magistro: Sacrae Regiae Majestatis Consiliario: Domino et Patrono observandissimo.
Árva, II-L/ 3. Nro. 69. Autográf.

11.

Ján Krman Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1610. november 13.

Nem felejtették el Eliáš Láni intelmeit fő feladataikat illetően: buzgón tanulnak, és valahányszor csak levélhordó akad, értesítik patrónusukat az egyetem és a fejedelemség állapotáról. Magukról: biztonságban vannak és egészségesek. Tanulmányaikban a teológia és a logika foglalja el a fő helyet. Ezeket olyan kiváló férfiak adják elő, mint Hutter, az egyetem rektora, Balduin, Franz és Foerster, valamint Jakob Martini, a logika professzora. Wittenbergben a drágaság napról napra növekszik. Egy hétre való kenyérért 1 forintot fizetnek. Az egyetem helyzete stabil, ami nagyrészt Hutter hírnevének köszönhető. A szász fejedelemség állapotáról társa, Matiáš Platani már írt, ezért ezt mellőzi.

Salutem, pacem, nec non prosperrimam administrationem in Palatinatu, munereque divinitus concesso ab eo, a quo vita viresque nostrae succum hauriunt, et fructum proferunt hujus et alterius nunquam emoriturae vitae, Illustrissimae Dominationi Tuae, Domine Patrone studiorum meorum benignissime, animitus precor, eidem studia et servitia mea quovis loco et tempore promptissima et paratissima humilime deferens.

Illustrissime Domine, Domine Palatine, heros praestantissime, Mecoenasque studiorum meorum faventissime, omnium maxime ac tenacissime inhaeret, fixumque permanet in cordis mei penetrali illud, quod Reverendus et Clarissimus Dominus Elias, Illustrissimae Dominationis Tuae Pastor, et Superattendens trium Comitatuum dignissimus nobis inculcando in mandatis dedit, nempe ut principio memores nostri officij, munia vocationis digne in conspectu Iehovae exequeremur, mercesque Palladias, sive Divinae humanae sapientiae thesauros omni cura, indefessoque studio ac calore inquiremus, deinde, ut Illustrissimam Celsitudi-

nem Tuam tanqvam Mecoenatem nostrum clementissimum, qvandocunque tabellionum nobis facultas fuerit, nostris compellaremus literjs, in quibus partim statum nostrarum rerum, partim Witebergae et almae Academiae, partim denique Saxoniae consignaremus, sicque Illustrissimam Dominationem Tuam certiorem de his omnibus faceremus.

His monitis mandatisque plusquam paternis praedicti Reverendi viri ego parere et obsecundare non praetermittam ulla ratione. Et quia jam forte fortuna offert se nobis tabellarius literas popularium nostrorum hinc deferens, idcirco ad Illustrissimam Dominationem Tuam Epistolam meam adornare sine omni dilatione constitui. Etsi vero, dum haec agito animo, molirique tento, cum meae peritiae domesticae (cujus probe mihi sum conscius) tenuitas, tum imprimis Celsitudinis Tuae singularis majestas, primum me ab intentione hac amovere satagebat, tamen deinceps, ne de humanitate Illustrissimae Dominationis Tuae nunqvam satis depraedicata ab omnibus dubitare viderer, animum sumpsi intrepidum.

In hac igitur Epistola, quod imprimis in mandatis habemus, persequar, quam poterit fieri brevissime, exordium. Sumendo a statu nostro. Res, quod concernit nostras, Illustrissime Domine Patrone, Deo sic gubernante in vado sunt. Valetudine itidem concessu ejusdem prospera, optata, ad nutumque fluente utimur. Ac ut silentio non involvam studiorum nostrorum cursum, perspectum et cognitum habeat Tua Celsitudo nos politioris literaturae viros quoscunque magnifacere, lectionesque illas, quae sunt cumprimis necessariae ac salutares, publice audire, auditas celeri penna notare, notatas ad usum transferre, solere. In specie autem principem locum sibi vendicat Theologiae studium vel sacrosancta lectio Theologica. Alterum damus Logicae, cujus incredibilem esse excellentiam et necessitatem post Theologiam, nemo, nisi forte hospes in Musarum castris fuerit, ignorat. In illa audimus Magnificum Rectorem Academiae, Leonhartum Hütterum Professorem primarium, Fridericum Baldvinum alterum, Wolfgangum Franzium tertium et Johannem Foersterum qvartum, omnes Professores publicos, divini ingenij viros, reconditaque doctrina conspicuos. In hac vero Iacobum Martini, Logicae Professorem, variae lectionis virum. Alias facultates nunc temporis publice dictatas, missas facimus, siquidem:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Et hucusque status noster et valetudinis. Alter jam superest, Academiae scilicet et Witebergensis. Witebergae est caritas annonae, et ingravescit eadem in dies ita, ut in Septimanae unius decursum pro cibo florenum 1 numerare necessum habeamus. Alma Academia tamen in vigore suo pristino stabilis permanet maxime ob Leonhartum Hütterum, qvi tantam nominis sui famam ubique concitavit, ut vicatim compitatimque eum depraedicent omnes, et juvenes ad eum confluant ex remotissimis regionibus. Sic brevissime quoque fuit alter status.

Statum Saxoniae sicco, quod ajunt, pede praetereo. Nam, qvia illum Achates et socius meus Matthias adjunxit, necessario mihi illum silentio abrumpendum judicavi.

Quid ego restat? Nihil opinor aliud, nisi ut Illustrissimam Dominationem Tuam, Patrone faventissime et clementissime, Patri luminum, qua possum devotione animi commendem. Ille faciat, Celsitudinemque Tuam Illustrissimam cum vitae Socia Illustrissima, liberisque magis luce coelesti dilectissimis, diutissime Ecclesiae suae, Vngariae bonis et nobis alumnis tuis, firmum et valentem conservet, ad immortalem, posteritatis, nominis meritorumque Dominationis Tuae Illustrissimae memoriam..

Witebergae, celeri et tumultuario calamo Idibus Novembribus Anno Epochae Christianae 1610.

Illus' ,ae Dominationis Tuae Cliens et alumnus
Johannes Krmanus Prividiensis
manu sua

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlehenffalva, Comiti supremo ac perpetuo de Arva, Regni Vngariae Palatino et Cummanorum Iudici ac Sacrae regiaeque Majestatis per Ungariam Locumtenenti ac primario Consiliario, Domino Patrono Mecoenatique studiorum suorum clementissimo ac summa reverentia colendo.

OL E 196. 26. cs. Nro. 12. Autográf.

12.

Matiáš Platani Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1610. november 13.

Megköszöni Thurzónak, hogy őt a wittenbergi egyetemre küldte. A legkiválóbb tanárok előadásait és nyilvános vitáit hallgatja. Tanárai közt van Leonhard Hutter, a jelenlegi rektor, Friedrich Balduin, a wittenbergi szuperintendens, Jakob Martini, a logika professzora. Az országban még dúl a háború, sok várost tűzvész pusztít, ehhez járul még az idei rossz termés miatt fellépő drágaság is. Neki és a többi hallgatónak nehéz a megélhetés, aligha lesz elég egy forint egy hétre.

Illustrissime Domine Palatine, Mecoenas studiorum meorum clementissime, etc. Salute praemissa pacem ab Angelo pacis Jesu Christo Illustrissimae Vestrae Celsitudini precor, meorumque servitiorum paratissimam commendationem defero.

Quoniam, Illustrissime Heros, veritas multis verbis non egeat, meliusque ea meminisse solemus, quae paucis comprehensa sunt, laconica brevitate ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram scribendum esse duxi. Initio itaque scire dignetur Vestra Illustrissima Celsitudo me saepius tacita mente revolvere beneficium illud eximium, quod in me conferre dignata est tum, cum me Bitscha Wittebergam ad consequendam uberiorem ingenij mei culturam emitteret. Pro quo Deus infinite bonus largiatur tantum, quantum animo cupit Vestra Illustrissima Celsitudo et desiderat.

Deinde notum facio Vestrae Illustrissimae Celsitudini me uti Praeceptoribus Viris Clarissimis, videlicet Domino Leonharto Hüttero, pro tempore Magni-

fico Domino Rectore, et Sacrosancte[!] Theologiae Doctore ac Professore primario, Domino Friderico Baldvino, Superintendente Ecclesiae Wittebergensis dignissimo, et Domino Jacobo Martini, Logico Academiae Wittebergensis summo, quorum non tantum praelectionibus, sed etiam Disputationibus interesse soleo, ut eo cum majori foenore studiorum meorum in patriam redeam. De his satis.

Nova nulla apud nos sunt, praeter haec, quae sequuntur: 1; Bellum intestinum, quod hactenus Saxoniae impendebat nondum est sublatum. 2; per quosdam nefarios homines multa damna Saxonibus sunt illata. Hi etenim igne clandestine supposito multa Oppida in cineres et favillas redegerunt. 3; Annonae Caritas totam fere Germaniam infestat, quod mihi caeterisque Studiosis est molestissimum. Nam uni licet satis parce viventi in Septimanam, vix unus florenus sufficere potest. Jam abrumpo sermonem, Vestramque Illustrissimam Celsitudinem una cum Illustrissima Domina liberisque omnibus Deo commendo, eundemque veneror, ut Vestram Illustrissimam Celsitudinem sospitem atque florentem diutissime conservet, quo pura Religio in Templis, justicia in foro et pax in Regno floreat atque vigeat.
Dabantur Wittebergae, in aedibus nostri hospitis Michaelis Fridrych Idibus Novembribus Anno 1610.

Vestrae Illustrissimae Celsitudinis subjectissimus alumnus
Matthias Platani Privid[iensis]
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlenffalva Comiti Supremo ac perpetuo de Arva, Regni Hungariae Palatino et Cummanorum Judici ac Sacrae Regiaeque Majestatis per Hungariam Locumteneti ac primario Consiliario meorumque studiorum Mecoenati summe colendo etc.
OL E 196. 24. cs. Nro. 84. Autográf.

13.

Leonhard Hutter Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1610. november 14.

Nagyon örül Thurzó György kinevezésének, ehhez szívből gratulál. Szívesen kíséri figyelemmel a Thurzó által ajánlott két növendéket. Az egyetemen gondot fordítanak a humán tudományok, a teológiai ismeretek és az ékesszólás művelésére. Reméli, hogy az alumnusok is szorgalmasan tanulnak majd, és dicsőséggel térnek haza.

Illustrissime Comes ac DOMINE. Salutem in CHRISTO et omnia pietatis studia ac officia Celsitudini Tuae submisse defero.

Quantus tum mihi, tum pijs omnibus ex tristi religionis verae immutatione, quae superioribus annis proximis inclyto Hungariae regno impendere videbatur, dolor fuerit subortus, quanta item laetitia animis jam nostris surgat, quod Ecclesijs vestris, singulari DEI favore, clementior aura affulget, et pontificiorum ali-

orumque veritatis Evangelicae hostium technae ac machinationes maximam partem sunt detectae ac protritae, et cumprimis Illustrissima Tua Celsitudo ad clavum Regni primarium legitima est evecta, verbis sufficienter exprimere nequeo. Neque enim Vestrarum tantum, sed totius Ecclesiae Christi, quam in his terris colligit, communis ista est laetitia, quod clementissimus pater coelestis pro immensa sua bonitate ac misericordia purioris Religionis decus pacisque publicae praesidium inter tot tantosque hostium furores sartum-tectum asserit, conservat, propagat.

Quo sane nomine uti toti Nobilissimo lauditissimoque Ungariae regno, ut et Celsitudini Tuae de foelicitate ac gloria hac ex animo submisse gratulor, ita DEUM supplex veneror, ut opus, quod cepit, bonum praeclare perficere, confirmare et ad adventum usque Filij sui incorruptum ac integrum custodire dignetur.

Quo ipso pietatis affectu tanto lubentius prosequor duos illos Alumnos, quos Celsitudo Tua haud ita pridem de nota optima mihi commendare voluit. Et quemadmodum nostra in Academia nihil ipsis deesse poterit, quo quidem ad solidam rerum humanarum ac divinarum notitiam ac eruditionem contendere queant, ita plane confido ipsos quoque nihil operae ac studio facturos reliquum, quam ut sumtus tempusque recte collocent, et secundum leges XII. Tabularum domum aliquando cum laude redeant, et Ecclesiae ac Reipublicae magno usui esse queant. Cujus honestissimi finis impetrandi gratia mea ipsis studia, consilia et officia semper constabunt paratissima. Quod restat, Illustrissimam Tuam Celsitudinem foelicissime valere opto precorque.

Scriptum Witebergae Saxonum, 14. Novembris Anno MDCX.

Illustrissimam Celsitudinem Tuam officiosissime colens
Leonhardus Hutterus
Sanctae Theologiae Doctor
et Professor primarius
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlenffalva, Comiti supremo ac perpetuo de Arva, Regni Hungariae Palatino et Cumanorum Judici ac Sacrae Regiaeque Majestatis per Hungariam Locum tenenti ac Consiliario primario, Domino suo summe colendo.

OL E 196. 37. cs. 15. fasc. Nro. 13. Az aláírás autográf.

14.

Ján Paludini Thurzó Györgynek
Biccse, 1611. március 12.

Eliáš Láni Thurzó utasítására gyakran látogatja a Múzsák csarnokát. Ő maga is szorgalmasan fáradozik tanulóival, addig nem nyugszik, míg az anyagot biztosan el nem sajátították.

Illustrissime Domine Comes, Domine Mecoenas mihi clementissime. Salute et humilima seruitiorum meorum oblatione praemissa.

Felix rerum arduarum totumque Hungariae Regnum concernentium Illustrissimae Celsitudinis Vestrae auspicium felicj ut claudatur καταστροφη et euentu, DEVM, Pacis Principem cordicitus veneror. Excellentissimus Vir Dominus Elias Lany, officij sui ab Illustrissima Celsitudine Vestra sibj demandati memor, saepissime Musarum nostrarum Palaestram visitare solet. Ego similiter cum meis carissimis Discipulis strenue desudo, nec quicquam eorum intentatum relinquam, quae ad ipsorum Doctrinam solidiorem conferre videbuntur. Quorum supinam in pertractandis studijs socordiam Illustrissima Celsitudo Vestra authoritate sua compescuit, ij jam ultro suum munus exequuntur. In reliquo Illustrissimam Celsitudinem Vestram Omnipotentis tutelae, me autem benigno Celsitudinis Vestrae fauorj commendo. Illustrissima Celsitudo Vestra florentissime valeat.
Dabam in Arce Bytschensi, 12. Martij. Anno DoMInI nostrI IesV ChrIstI.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Humilimus Clientulus
Joannes Paludinus
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti de Arwa ac Eiusdem Comitatus Aruensis Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum et Sacrae Regiae Majestatis Consiliario et per Hungariam Locumteneti etc. Domino Mecoenati meo sempiternum suspiciendo.
Árva, II-T/ 6. fasc. Nro. 94. Autográf.

15.

Ján Paludini Thurzó Györgynek
Biccse, 1611. március 22.

Március 21-én kapta meg Thurzó levelét, amelyben kötelességére figyelmezteti. Kéri Thurzót, ne kételkedjen szorgalmában. Sok időt fordít Imre nevelésére. Zrínyi György állapota aggasztó, ugyanis már harmadjára van harmadnapos láza, és a javulásnak semmi jele nem mutatkozik.

Illustrissime Domine, Domine Comes, Inclyti Regnj Hungariae Palatine Domine ac Mecoenas mihi clementissime. Salute perennj et humilima seruitiorum meorum commendatione praemissa etc.

Redditae sunt mihi clementissimae ac benigni fauoris Illustrissimae Celsitudinis Vestrae plenissimae Literae die 21. Martij, quibus me Illùstrissima Celsitudo Vestra ad veram in DEVM Pietatem, (quae dempta reliqua studiorum exercitia sunt tantum venenum) et ad debitam cum carissimis meis Discipulis industriam Paterne hortatur. De qua sedulitate nihil est, quod Illustrissima Celsitudo Vestra addubitet, praesertim vero de Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Generosae Indolis et ad cuncta excitatj ingenij Filio. Hactenus satis calide et feruide cum

Eodem desudaui. Supremus ille Archididascalus etiam inposterum sit nobiscum opulenta sua benedictione! Unicum est, quod me summo afficit moerore, alterius nimirum Comitis Georgij Zrinij aduersantis fortunae ictus ac procellae. Is enim jam tertia vice triduanis paroxysmis febrilibus conflictabatur, sine ulla meliorationis nota! DEVS benignissimus pro sua ineffabili misericordia Eundem pristinae incolumitatj restituere dignetur. De caetero Illustrissimam Celsitudinem Vestram Omnipotentis tutelae, me autem benignissimo Illustrissimae Celsitudinis Vestrae fauorj precibus meis commendo, ac florentissime Nestoreos in annos valere discupio.
Datum in Arce Bytschensi, die 22. Martij Anno 1611.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae omnibus seruitijs addictissimus clientulus

Joannes Paludinus
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlehemffalwa, Comiti perpetuo de Arwa Eiusdemque Comitatus Arwensis Comiti perpetuo, Inclyti Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacrae Regiae Majestatis intimo Consiliario, ac per Hungariam Locumtenenti etc. Domino ac Mecoenati meo aeternum suspiciendo
Árva, II-P/ 6. fasc. Nro. 95. Autográf.

16.

Eliáš Láni Thurzó Györgynek
Biccse, 1611. március 24.

Megkapta Thurzó levelét, melyben szó volt az ösztöndíjasokról és a cseh eseményekről. A fiatal urak jól vannak, bár Zrínyi harmadnapos lázba esett, de remélhetőleg nemsokára felgyógyul. Imre praeceptora kíséretében megjelent az iskolában, s a szokott játék helyett meghallgatta a második és harmadik osztály grammatikai vitáját. Hasznos volna, ha szerda és szombat délelőtt egy-egy órát a továbbiakban is játék helyett erre fordíthatnának. Ő húsvét után egyházlátogatásra indul. Kéri Thurzót, gondoskodjék a kísérőjéről, és arról, hogy távollétében ne legyen elhagyatott a bicscsei egyház. Szívesen hallaná Thurzó véleményét a privigyeinek a Peniculit támadó írásával kapcsolatban.

Illustrissime Comes ac Domine, domine et Patrone mihi omnibus obseruantiae officjs colende, vitam longaeuam, valetudinem solidam cum felici laborum successu Illustrissimae Celsitudini Vestrae veris gemitibus optans, debita precum officia humilime eidem defero.

Dupliciter delectatus sum literis Celsitudinis Vestrae. Primum quidem, quod de stipendijs nostris adhuc solicitam esse eam cognovi, deinde vero, quod de statu rerum Bohemicarum laetiora optatioraque accepi. Utinam et deinceps tam laetis faustisque novitatibus recreemur, vt confudantur omnes, qui mala quaerunt peculio Dei, et decidant a cogitationibus suis inanes. Equidem pro re-

rum istarum communicatione quantas, possum ago et habeo gratias Deum quotidie orans, vt Vestram Celsitudinem pro patria vigilantem et (quod dicitur) pro aris focisque excubantem tueri, servare et prosperare dignetur.

Quantum ad dominos juniores, hactenus illi quidem pari valetudinis successu vsi sunt, quidem antea perscripsi, verum ecce dominus Zrinyi in tertianam incidit, jamque tres vel quatuor paroxysmos habuit, semper tamen breviores atque mitiores. Unde spes mihi est, propediem ipsum liberatum iri.

Caeterum dominus Emericus heri fuit mecum et cum suo Praeceptore in Schola, Vbi diligenter audivit et cum voluptate disputationem Grammaticam secundae et tertiae classis tempore pomeridiano, quod alioqui ludo ipsius cessurus erat. Quia vero video talibus in exercitijs, in quibus Phrasibus linguae Latinae certatur, et delectationem et vtilitatem haud vulgarem esse repositam, cogito etiam in posterum ad ea ipsum adhibere. Praesertim cum instituantur diebus Mercurij et Sabbati tempore pomeridiano, quod alias totum lusui ejus destinatum est. Una enim hora in hoc exercitio consumpta reliquas etiam corporis recreationi dare potest.

Transactis, deo volente, ferijs Paschalibus ego ad invisendas Comitatus Arvensis Ecclesias animum adjeci, exinde Liptoviam quoque petiturus. Vestram igitur Illustrissimam Celsitudinem iterum demisse rogo, dignetur Castellano Arvensi, vel alteri cuipiam idoneo committere, vt se mihi adjungat, iterque meum per Comitatum Arvensem dirigat. Alteram Commissionem dirigat ad Juratos Assessores Comitatus Liptoviensis, vt illi quoque simili in negocio mihi haud gravate operam suam impendant. Numerum colonorum etiam illic in singulis parochijs notabo.

Diaconus noster dominica Palmarum in Thuran Concionem instituet, quem ego ante reditum meum ex Liptovia dimittendum minime censeo, ne Ecclesia Bytschensis deseratur. Fortassis interea temporis Vestram quoque Celsitudinem Dominus deus reducet in pace, vt si alter surrogandus sit, eum coram audire et videre possit.

De scripti Prividiensis adversus Peniculum concepti reformatione nuper consilium Celsitudinis Vestrae requisivi. Si quid jam certi secum statuit, libenter audiam. Equidem manum operi mox a Paschate adhiberem, nisi me Visitatio avocaret, interim autem metuo, ne evulgatio Scripti satis alioquin extracta diutius etiam protrahatur. Nunc hoc vnicum superest, vt Vestram Illustrissimam Celsitudinem dextrae Altissimi commendans eam quam felicissime valere et agere optem. Idem deus optimus maximus tribuat Ecclesiae suae pacem, et Vestram Celsitudinem cum fautissimis nuncijs in pace ad nos reducat, Amen.
Dätum Bytschae, 24. Martij Anno 1611.

Illustrissimam Celsitudinem Vestram demisse ac reverenter colens
Elias Lany

Post Scriptum: Jam has asscripseram, cum dominum Zrinium conveniens, cognovi hodierno paroxysmo liberatum esse. Utinam nullus deinceps redeat.

Címzés: Illustrissimo Domino, domino Comiti Georgio Thurzo de Bethlemfalwa, Comiti de Arva ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacrae Regiae Majestatis Consiliario et Locumtenenti, domino Nutritio mihi perpetua observantia colendo.

Árva, II-L/3. fasc. Nro. 84. Autográf.

17.

Matiáš Platani Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1611. május 29.

A nádor ösztökélte őt tanulmányainak folytatására, hogy egykor iskolájának és egyházának hasznára váljék. Miként Odüsszeusznak sem volt más fizetőeszköze Alcionnál, mint fogadalma és köszönete, úgy ő sem tud mással fizetni, mint a keresztségről szóló disputációjával, amit Jakob Martini vezetésével írt és most készül megvédeni. Ezt a disputációt Thurzónak fogja dedikálni, de Thurzó Szaniszló alumnusával nem tudja elküldeni, mert egyelőre a nyomdásznál van. Amint elkészül, megküldi.

Illustrissime Domine Palatine, Fautor ac Mecoenas studiorum meorum benignissime etc. Praemissa salute omnium rerum felicem successum Celsitudini Vestrae precor, meorumque servitiorum humilimam commendationem defero.

Illustrissime mihique aeternum colende Domine Palatine, nova et praedicanda humanitas Vestrae Celsitudinis est, qua me liquore literarum suarum aridum adeoque illarum sitientem suaviter imbuit. Itaque revixisse mihi videor eam ob causam potissimum, quia Illustrissima Vestra Celsitudo mihi calcar addit ad telam studiorum humaniorum feliciter pertexendam, ut eo melius olim vel Scholis vel Ecclesiae Christianae prodesse queam. Et recte quidem. Ut enim Luna quod luminis a Sole accepit, infero huic mundo refundit, sic artium liberalium studiosi dona, quae a magno illo DEO infiniteque bono acceperunt, alijs progressu temporis communicare tenentur. Ji vero, qui contrarium faciunt, talentumque sibi concreditum recondunt, paenas Dei Judicis justissimi effugere minime poterunt.

Pro qua admonitione plane paterna utinam, utinam, utinam me gratum aliqua ratione declarare queam. Sed quemadmodum Ulisses ille apud Alcionum nihil habet, quod rependat praeter vota et grates, ita et ego, quem caetera destituunt disputationem de Baptismo, quam sub praesidio Clarissimi viri Domini Jacobi Martini Professoris publici defendendam duxi, in studiorum meorum τεκμηριον, et grati animi συμβολον Vestrae Illustrissimae Celsitudini dedicabo atque consecrabo.

Quod autem eam nunc per alumnum Spectabilis ac Magnifici Domini Stanislai Thurzo transmittere neglexerim, in causa est socordia Typographorum, qui nondum totam typis descripserunt, cui tamen in spacio aliquot dierum extremam manum imponent. Hoc dum fiet, abjecta omni dilatione per tabellionem nostrum Bitscham ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram eam transmittam. Jam Vestra Illustrissima Celsitudo valeat, vigeat atque floreat.

Dabantur Wittebergae, in aedibus Pastoris Aicensis, secundum Stylum Julianum 19. Maij Anno salutis humanae 1611.

Vestrae Illustrissimae Celsitudinis alumnus subjectissimus
Matthias Platani Prividiensis
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlenffalva, Comiti supremo ac perpetuo de Arva, florentissimi Regni Ungariae Palatino et Cummanorum Judici ac Sacrae Regiaeque Majestatis per Ungariam Locumtenenti ac primario consiliario, fautori ac Mecoenati studiorum meorum aeternum colendo.

OL E 196. 37. cs. Nro. 5. Autográf.

18.

Thurzó György Thurzó Imrének
Eperjes, 1611. június 20.

Dícséri fia tanulásban mutatott szorgalmát, melyről egyrészt fia, másrészt tanára leveleiből értesült. Csuthy Gáspártól tudja, hogy jó egészségnek örvend. További tanulásra buzdítja, mely a későbbiekben hasznára lesz, ha udvari szolgálatba áll.

Magnifice ac Generose Emerice, fili charissime, Salutem cum paterno nostro Amore etc.

Diligentiam tuam non solum in scribendo, quod saepiuscule nos literis tuis visitas, laudamus, sed et sedulitatem in studijs, quod ijsdem strenuam operam locas, lubenter tam ex tuis, quam praeceptoris tui literis intelleximus. Insuper quod Generosus Dominus Chuty adueniens de omnium vestrorum valetudine Nos edocuit, gaudemus et vobis de felicitate congratulamur. Faxit Deus praepotentissimus, uti diu quam faelicissiinae salui et incolumes permaneamini.

Te vero, charissime fili, hortamur et serio monemus, ut diligenter studijs tuis invigiles, Pietati studeas et Praeceptori tuo omnem obedientiam praestes, ne optima illa spe, quam non modo nos, sed et alij quamplurimi de te susceperunt, frustremur. Insculpta tibi semper memoriae habeas illa: Pietas ad omnia utilis, habens promissionem hujus et futurae vitae. Deinde adde, quod:

Ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Vides quanta penuria doctorum inter Magnates et Proceres in nostra Hungaria sit, Quanto honore ij, qui saltem parum studuerunt, afficiuntur, ad quantas dignitates emergunt et promouentur, ubi e contra alij, qui juuentute sua oscitantiae et otijs dediti fuerunt, et tempus illud oportunum in juuenili aetate (quod illos nunc paenitet) inutiliter imo turpiter labi siverunt, etiamsi opibus et divitijs abundant, modo negliguntur, adque nulla offitia vel consilia Regia adhi-

bentur. Eapropter monitis Paternis obtemperabis, et ijs, quae nunc tui offitij sunt, summa industria invigilabis. Faciesque, ne ulla de te querelae ad nos perferantur. Nos paterne erga te affecti, quoad vixerimus, nihil tibi, quae ad prouendum tua studia salutem et honores videbimus, defuturum patiemur. In reliquo paterne a nobis salutatus, feliciter valeas.
Datum Epperiessini, Anno 1611. die 20. Junij

Tuus parens charissimus

Comes Georgius Thurzo
manu propria

Címzés: Magnifico ac Generoso Emerico Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti Perpetuo de Arwa etc. Filio nostro nobis dilectissimo. Bitscham.
Más kézzel: Exhibitae in Arce Bytschensi die 23. Junij Anno 1611.
Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro 123. Az aláírás autográf.

19.

Thurzó György Thurzó Imrének
Kassa, 1611. június 29.

Örömmel értesült fia tanulásban kifejtett buzgalmáról. Üdvözli fia tanulótársát is.

Magnifice ac Generose Emerice, fili Nobis dilectissime etc.
Salutem cum Paterno synceroque nostro amore. Ex literis tuis, quae pergratissimae Nobis fuerunt, cognouimus Te non solum Dei beneficio saluum et sanum esse, sed et admonitionibus Paternis locum dando obedientem te, quae in studijs tuis persequendis et continuandis necessaria erint, promittere. Videas itaque, ut promissio haec Nos non fallat, verum spem de te susceptam magis magisque in dies adaugeat. Certo tibi promitteris, quod si illa obseruaueris, Nos tibi nequaquam defuturos, sed omnem paternum amorem exhibituros. Nos Deo laus bene ualemus et compositis hisce tumultibus subito domum properabimus. Interim vestra studiose curate, et cum tuo commilitone salutatus feliciter. Valeto.
Datum Cassouiae, die 29. 1611.

Tuus Parens charissimus

Comes Georgius Thurzo
manu propria

Címzés: Magnifico et Generoso Emerico Thurzo de Betlehemfalwa, Comiti de Arua perpetuo. Filio nostro charissimo. Bitscham.
Más kézzel: Exhibitae in Templo Bytschensi die 3. Julij Anno 1611.
Árva, II-T/ 5. fasc. Nro. 128. Az aláírás autográf.

20.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Biccse, 1611. október 17.

Igyekszik apja levelére minél gyorsabban válaszolni. Az egész család egészséges. Tanulmányait szorgalmasan folytatja.

Illustrissime Comes, Domine Palatine, Pater mihi obseruandissime. Salutem et seruitiorum meorum commendationem.

Paternum Illustrissimae Dominationis Vestrae mandatum crebraque ad me literarum expeditio me quoque crebriorem in scribendo facit. Etenim, si Illustrissima Dominatio Vestra tot et tantis undique implicata laboribus mihi scribit, indignum profecto ego et alienum quid a filiali mea observantia facerem, si ad literas Illustrissimae Dominationis Vestrae non responderem.

Quod ad nos, valemus una cum Illustrissima Domina Matre, Dominabus Sororibus reliquisque omnibus feliciter, utque et Illustrissima Vestra Dominatio diutissime bene valere possit, animitus optamus.

Studiis ita dediti sumus, ut nos olim tempus frustra in literis humanioribus triuisse non poeniteat. Hisce Illustrissimam Dominationem Vestram DEO commendo, pro Saluoque Illustrissimae Dominationis Vestrae ad nos reditu preces meas ad DEVM instituo.
Bichae, 17. Octobris Anno 1611.

Illustrissimae Dominationis Vestrae Seruitor et filius
Comes Emericus Thurzo
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlemffalwa, Comiti de Arva Ejusdemque Comitatus supremo et perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacrae Regiae Majestatis intimo Consiliario, nec non per Hungariam Locumtenenti etc. Domino Patri mihi obseruandissimo. Cassoviam.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 178. Autográf.

21.

Polycarp Leyser Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1612. április 2.

Wittenbergben tanuló ösztöndíjasa, Matiáš Platani mindenütt hirdeti, hogy Thurzó mennyire szívén viseli a magyar evangélikus egyház sorsát. Legékesebb bizonyítéka ennek, hogy ösztöndíjasait mind Wittenbergbe küldi, jól tudván, hogy az evangéliumi tudományt itt tanítják a legtisztábban, és itt nevelnek az egyháznak hű tanítókat. Thurzó nagylelkűsége nem ismeretlen előtte, hiszen apjától és a nádor alumnusaitól is hallotta, ezért mert levelet írni neki.

Salutem a Christo salutis autore unico plurimam.

Illustrissime Comes, Domine gratiosissime, mirabitur forsitan Illustrissima Tua Dominatio, qua de causa ego obstrepere et mea scriptione Tuam Illustrissimam Dominationem arduis totius Regni Vngariae negotijs districtae et pene non obrutae molestiam creare praesumserim. At si penitius inspexerit, et diligenter rationes huius rei cognoverit perpenderitque, mirari, sat scio, desinet, mihique hanc scriptionem ignoscet.

Vivit hic Illustrissimae Tuae Dominationis alumnus Matthias Jawornik, qui mea hactenus qualicunque opera in urgendo studio Theologico usus, insignem zelum et nunquam satis laudatam pietatem, qua renati Evangelij deposit tum divinum pie in Ecclesijs et scholis Vestrarum ditionum custoditis, propagatis et defenditis mire depraedicans. Cuius sane indicium luculentissimum est, quod alumnos non alio, quam ad hanc almam Witebergam purioris doctrinae Evangelicae restauratricem et conservatricem fidelissimam ablagastis[!], ubi in doctrina pietatis adversus Pontificiorum, sacramentariorum, aliorumque fanaticorum errores ita praemunirentur et confirmarentur, ne quovis vento doctrinae per versutiam hominum fluctuarent aut circumferrentur, sed magno cum Ecclesiae emolumento pia Lutheri vestigia premerent.

Accedit huc Illustrissimae Tuae Dominationis clementia et favor, quo Polycarpum vivum et mortuum laudabiliter prosequitur. Non incognita loquor, sed quae vel ex Parente piae memoriae audivi, vel ex alumnis Tuae Illustrissimae Dominationis cognovi, quae animum addidere mihi, ut has pararem literas, et quae honorem defuncti Parentis diversis in locis prostant, iunctim summisse offerrem non dubitans, quin Illustrissima Tua Dominatio acceptum futurum sit, quicquid Polycarpi memoriae consecratum. Sit ergo devoti et subiecti animi, quin et grati hoc indicium, quo Tua Illustrissima Dominatio innotescere, et sub alis clementiae et favoris delitescere liceat. DEVS Illustrissimam Tuam Dominationem virtute sua et robore ex alto induat, verbo suo regat, in veritate sanctificet, sub umbra alarum suarum tueatur, corporis et animae beneficijs accumulet et quam diutissime incolumem conservet.

Witeberga, 2. Aprilis Anno 1612.

Illustrissimae Tuae Dominationis subiectissimus

Polycarpus Lyserus
Doctor

Címzés: Illustrissimo et Generosissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlemffalva, Comiti supremo ac perpetuo de Arva, Regni Vngariae Palatino et Cummannorum Iudici, Serenissimi Matthiae II. Regis Hungariae et Boemicae etc. Consiliario supremo et per Hungariam Locum tenenti dignissimo. Domino suo clementissimo.

OL E 196. 37. cs. 15. fasc. Nro. 19. Autográf.

22.

Eliás Láni Thurzó Györgynek
Biccse, 1613. március 13.

A levélből, amit Severinus hozott Thurzótól, megtudta, hogy az ő és kollégái munkája kedves Thurzónak, és azt is, hogy Thamóci Miklósért való közbenjárása nem volt hiábavaló. Aggódik az országgyűlés kimenetele miatt. Az új diakónus kinevezése előző nap történt meg. Láni az eklézsia és az iskola körüli teendőket továbbra is elvégzi. Thurzó Kristóf megtéréséről már értesült a bajmóci szuperintendenstől. Matiás Platani, a trencsényi iskola rektora nála hagyta a Wittenbergbe írt levelek egy kötegét 52 német forinttal egyetemben, hogy ezeket majd alkalom adtán Henckel továbbítsa. Kéri Thurzót, tudassa vele, elküldje-e ezeket a dolgokat Pozsonyba.

Illustrissime Domine Comes, venerande mihi Patrone, valetudinem solidam et auxilium praesentaneum in laboribus Vestrae Celsitudinis a Deo termaximo precatus, observantiam meam eidem defero.

Quas mihi literas nuper ab Illustrissima Celsitudine Vestra Severinus vinitor attulit, non parum me delectarunt. Cognovi enim ex ijs meum et dominorum Collegarum negocium Vestrae Celsitudini et esse, et fore commendatum. Cognovi etiam intercessionem pro Domino Nicolao Tharnocio non incussum abijsse. Deus benefaciat Celsitudini Vestrae pro tali ac tanta promptitudine, et largiatur vires ferendis laboribus necessarias cum salutari eorum successu. Equidem de eventu istorum Comitiorum vti anxius sum, ita Deum precari non desino, vt sit tam Ecclesiae, quam Patriae nostrae et confoederantis provincijs quam felicissimus et paratissimus.

Nostri novi diaconi ordinatio crastino demum die procedet, tarde enim sumptus pro eo colligebantur. Quae mei sunt officij sive circa Ecclesiam, sive circa Scholam, nil sum de solita diligentia remissurus, quin eadem perficiam et continuem.

De conversione Magnifici Domini Christophori Thurzo, etsi antea per dominum Superattendentem Baymociensem informatus eram, tamen certiorem me et confirmationem per Vestram Celsitudinem esse redditum, gratulor et gratias ago. Confirmet hoc deus, quod operatus est in eo, propter Templum sanctum suum.

Matthias Jawornik, Rector Scholae Trinchiniensis reliquit apud me fasciculum literarum Vitebergam scriptarum vna cum 52 florenis Germanicis, si qua commoda occasione per Dominum Henkelium eo dirigi possent. Rogo itaque Illustrissimam Celsitudinem Vestram, dignetur me clementer informare, an res istas debeat Posonium transmittere, nollem enim ego minimus servorum Christi Vestrae Celsitudinis benevolentia et patientia abuti. Posset fortasse res per aliquem familiarium confici.

Quid hoc tempore alias scribam, non habeo, nisi vt Vestram Illustrissimam Celsitudinem vna cum Illustrissima Domina Comitissa et eorundem dulcissima sobole Curae et Protectioni divinae commendem. Bene ac feliciter eadem valeat.

Bytschae, 13. Martij Anno 1613.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humilimus cliens

Elias Lany

Címzés: Illustrissimo Domino, domino Comiti Georgio Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti de Arva ac ejusdem Arvensis Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis per Hungariam Locumtenenti et Consiliario, domino et Patrono mihi observandissimo

Árva, II-L/3. fasc. Nro. 113. Autográf.

23.

Eliáš Láni Thurzó Györgynek
Biccse, 1613. március 20.

Thurzó Kosik úr közvetítésével küldött előző levele nem tartalmazott utasítást Matiás Javornik leveleinek és pénzének Wittenbergbe küldésére. Mivel Marsovszky György útja közben érinti Pozsonyt, Láni jónak látta vele elküldeni a leveleket és az 54 német forintot. Kéri Thurzót, hogy ágensein keresztül érje el, hogy ezek Henckel segítségével Wittenbergbe Jakob Martinihoz jussanak el. Az otthoniak jól vannak. Nyugtalanul várja az országgyűlés kimenetelét, illetve kérelmének fogadtatását. Egyébként félő, hogy áthágják az 1609-es rendeletet. Az egyház jelenlegi szorongatott helyzetében nem kíván lemondani. Bárcsak a megyék méltányosabban viselkednének vele.

Illustrissime Domine Comes, Domine et Patrone clementissime, Salutem solidam a Christo pro salute nostra passo Illustrissimae Celsitudini Vestrae precatus, omnia debite observantiae officia eidem defero.

Optabam equidem, Illustrissime domine Patrone, benignam prius Celsitudinis Vestrae ad meas per Kosikium transmissas videre resolutionem, vtrum videlicet habere possit idoneam occasionem literas Matthiae Jawornik cum adjuncta pecunia medio Domini Henkelij transmittendi Vitebergam. Sed quia nuncius ille tardius revertitur, et contigit interim opportunus internuncius Posonium Dominus Georgius Marssowsky, commode facturus me putavi, si per ipsum tales literas cum pecunijs 54 florenorum Germanicorum transmitterem. Rogo, quanta maxima possum, observantia et animi demissione, dignetur per suos Agentes efficere, vt pecunia illa tota cum fasce literarum per dominum Henkelium, ejusve Factores Domino doctori Jacobo Martini Vitebergae resignetur. Id erit tam mihi, quam alumno Celsitudinis Vestrae, pro tempore Rectori Trenchiniensi, tam gratum, quam quod gratissimum, vtriusque nostrum studijs et servitijs pensandum.

Nos hic divina benignitate mediocriter valemus, et eventum horum Comitiorum solicite expectamus, qui vt ad pacem et salutem nostrae Hungariae vergat, precari non desinimus. Utinam et nostrae Supplicationi locus quispiam apud inclytos Comitatus relinquatur, ne alioqui publicam Constitutionem Anni 1609. transgredi cogamur. Mihi quidem vita privata vt tranquilliore et securiore nihil

esset jucundius, interim tamen abdicatione nostra nollem Diabolo parere gaudium, aut Ecclesias pristinae subijcere servituti, modo Comitatus aequius et moderatius nobiscum agant. Qua in re adhuc speramus Vestram Celsitudinem nobis adjumento fore cum sui ipsius honoris gratia, tum Vtilitatis Ecclesiarum causa.

Nova optata desiderans, Illustrissimam Celsitudinem Vestram cum Magnifica domina et liberis suavissimis Deo praepotenti commendans ac felicissime valere desidero.

Bytschae, 20. Martij Anno 1613.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae perpetua observantia devinctissimus

Elias Lany

Címzés: Illustrissimo Domino, Domino Comiti Georgio Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti perpetuo de Arva, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacrae Regiae Caesareaeque Majestatis per Hungariam Locumtenenti et Consiliario, domino et Patrono mihi perpetuum observandissimo

Árva, II-L/3. fasc. Nro. 114. Autográf.

24.

A wittenbergi egyetem rektora, doktorai és magiszterei Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1613. szeptember 3.

Örömmel értesültek arról, hogy Thurzó Imre a szabad művészetek tanulmányozásához lát. Dícsérik Thurzó György gondos előrelátását. Az, hogy választása a wittenbergi egyetemre esett, örömmel és lelkesedéssel töltötte el őket, tekintettel a feladatra és a megbecsülésre. Dícsérik Thurzó Imre tehetségét, akinek tanítására Jeremias Spiegelt, a művészetek és a filozófia kiváló magiszterét javasolják, aki eddig egy nemes ifjú praeceptora volt. Noha a küldött útipénz igen kevés volt, és Thurzó levelében nem történt említés a fizetségről, Spiegel már útnak indult, ám megáll Türingiában, hogy búcsút vegyen szüleitől.

ILLUSTRISSIME et Generosissime Comes, Domine Clementissime. Salute et prolixa officiorum, quae a tenuitate nostra proficisci possunt, pollicitatione praemissa scire illustrissimam Generositatem Vestram volumus ex litteris illius, quas debita cum observantia libenter legimus, nos voluptatem percepisse multiplicem.

Primum enim laetati plurimum sumus filium et haeredem ex divina benedictione datum non tantum ad hoc aetati pervenisse, sed ita illustrissimae Generositatis Vestrae cura educatum esse, ut profectus in liberalium artium studiis fecerit laudabiles. Deinde justa cum praedicatione exosculati sumus providentiam Illustrissimae Generositatis Vestrae paternam, qua non solum Filii unice dilecti, sed totius Patriae et posteritatis saluti et honori consultum cupit. Postremo honorificum Illustrissimae Generositatis Vestrae de Academia nostra judicium mirifice nos partim delectavit, partim ad sustinendum ac porro etiam promerendum il-

lud inflammavit. Quare, ut solici tam Illustrissimae Generositatis Vestrae, quam eminens Filii ingenium meritur, diligentiam probamus, qua cavendum statuit, ne tanta indoles in ipso profectu deseratur. Jta quantum nobis onus imponatur, animadvertimus, dum praeceptorem mitti a nobis desiderat idoneum, et dotibus iis, quas prudenter graviterque exponit, egregie instructum atque exornantum. Nam cum plerique alium sibi studiorum finem proponant, rarissimi in studiosa juventute reperiuntur, quibus hujusmodi provincia tuto demandari possit. Sed non absque singulari DEI propiti favore gratiaque factum confidimus, quod ad munus hoc suscipiendum adduci tandem sese passus fuit JEREMIAS SPIEGELIUS, optimus artium et Philosophiae Magister. Is cum testimonium afferat honestum, in ipso Illustrissimae Generositati Vestrae diligentius commendando nihil attinet nos laborare. Illud tamen praetermittere non possumus, non sine lacrymis eum a discipulo, quem hactenus feliciter fideliterque instituit Nobilissimo fuisse dimissum, ejusdem vero patruum et Tutorem, fautorem Academiae nostrae et litteratorum omnium magnum honori id tribuisse Illustrissimae Generositatis Vestrae et totius inclytae nationis Hungaricae, ut voluntati ipsius Magistri Jeremiae imo nostrae consentiret. Etsi autem viaticum ab illustri Generositate Vestra transmissum itineri minime suffecturum videbatur, neque de salario certi quicquam erat in litteris definitum, tamen fretus Illustrissimae Generositatis Vestrae, quam litteris prolixe declarat liberalitate ac munificentia, in viam sese Christo praevio dedit, quam ut sub comitatu praesidioque Angelico prospere conficiat, et ad Illustrissimam Generositatem Vestram et generosae indolis Filium sospes propediem et incolumis perveniat, et omnium vota atque expectationem in officii tam ardui functione vinciat, ex animo precamur atque optamus. Moram vero illam, quae in impetranda dimissione et visendis, et salutandis in Thuringia parentibus necessario intercessit, ut optimam in partem Illustrissima Generositas Vestra accipiat, submisse petimus. Simul et ablegato negocii commisso diligenter fideliterque gesti testimonium perhibemus.

Quod reliquum est, DEUM aeternum, fontem omnis boni rogamus, ut Illustrissimam Generositatem Vestram cum inclyta conjuge et Filio generoso, florentem quam diutissime conservet, et tum universa illius consilia et conatus, tum hoc institutum ad divini nominis sui gloriam et Ecclesiae totiusque Patriae salutem, decus et praesidium clementissime ita dirigat, ut propensa Illustrissimae Generositatis Vestrae erga hanc Academiam, quam promereri modis omnibus porro etiam studebimus, affectio perpetua maneat et ad posteros propagetur.
Perscriptum Wittebergae, die III. mensis Septembris anno MDCXIII.

Illustrissimae Generositatis Vestrae Studiosissimi atque Observantissimi

Rector, Magistri et Doctores
Academiae Wittebergensis

Címzés: Illustrissimo, Spectabili et Magnifico domino Comiti Georgio Thurzoni de Betthlemffalva, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, nec non de Arva ejusdemque comitatus supremo et perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis intimo Consiliario et per Hungariam Locum-tenenti, Domino nostro clementissimo.

OL E 196. 37. cs. Nro. 13. Eredeti.

25.

Michael Kauffmann Thurzó Györgynek
Tesin, 1613. október 11.

Munkáját, hogy Imrének megfelelő tanárt találjon, a lehető legnagyobb buzgalommal végzi. Az egyetem szerint is Jeremias Spiegel lesz a legmegfelelőbb praeceptor Imre számára. Spiegel már elhagyta Németországot, Magyarország kapujában, Jablunkán van. Az utak veszedelmesek, ezért csak akkor mer továbbindulni, ha Thurzótól védelmet kap. Az egyetem által írt levelet sajátkezűleg akarja átadni.

ILLUSTRISSIME Comes, Domine Clementissime.

Quae ab Illustrissima Celsitudine Vestra de idoneo Filij Magnifici Dominj mei item Clementissimi Praeceptore ex Academia Witebergensi adducendo mihi imperata sunt, ea prout par fuit pro viribus, ut confido, quam studiosissime fidelissimeque sum executus. Nec defuit studio Magnificus Academiae Senatus, qui de persona nec ordinire Academico indigna, nec Illustrissimae Celsitudini Vestrae indecora mittenda admodum solicitus, haud facile invenire potuit, cui requisita illa ab Illustrissima Celsitudine Vestra constituta inesset. Donec tandem in Virum praestantissimum et doctissimum Magistrum JEREMIAM SPIEGELIUM incedissent, hominem mea quidem conjectura, imo <quadam> totius Universitatis judicio Celsitudini Vestrae responsurum. Qui tamen non, nisi multis svasionibus eo deduci potuit, ut relicta Academia, qvamque ibi praecipuorum a Nobilitate Germanica Juvenum ope obtinebat, sparta, ut ipsemet vidi, Gratissima relicta etiam, utque invita Patria ad exteras sese oras confervet. Tandem vero Patrum Academicorum auctoritatem et inprimis Illustris Celsitudinis Vestrae splendorem secutus, viae sese et Illustrissimae Celsitudinis Vestrae fidej potestatique dedit. Jamque Teschenium usque Christo Duce, comite Angelo est perductus.

Sed quod Nautis usu nonnunquam venire solet, ut cum portum se tenere arbitrantur, ad scopulos allidunt, Jdem nobis etiam accidit. Qui longam hactenus taediosamque viam per Germanos emersi ad ipsam metam, et in portu Hungariae impedimur, Gablunca videlicet, sive latronum spelunca sese obijciente. Tanta siquidem male-feriatorum copia tum alias, tum potissimum instantibus jam Nundinis Zolnensibus occupatam fama est, ut vel adire horror sit, ne dum transire. Adeo certe, ut Magister ne pedem quidem Gabalunca Oppido movere audeat, ante salvum conductum ab Illustrissima Celsitudine Vestra impetratum. Proinde non Deum solum sancte veneratur, ut qui eduxit atque duxit hactenus, porro etiam deducat reducatque. Sed et Illustrissimam Celsitudinem Vestram suppliciter obsecrat, ut nisi grave sit, manum aliqvam, satis tamen validam et defensioni sufficientem qvam primum mittat, ne longi molestique itineris labore defunctus, in ultimo desultu vitae rerumque periculum incurrat. Quod ne accidat, Illustrissima Vestra Celsitudo pro singulari sua prudentia providebit, neque committit, ut onusta navis in portu absorbeatur.

Caeterum Magistri conditionem poterunt Academiae Witebergensis literae tum sigillatim ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram scriptae (qvos tamen ipse malui reddere, quam tabellario committere) tum etiam publicae istae testimoniales quodammodo declarare. Si quae praeterea Vestra Illustrissima Celsitudo scire desiderat, ex praesente me cognoscet. Interim ipsam cum Illustrissima familia salvam et incolumem precor.
Teschinij, 11. Octobris Anno 1613.

Illustrissimae Vestrae Celsitudinis humilimus
Michael Kauffmanus Handloviensis
Witebergam delegatus

Címzés: Illustrissimo, Spectabili et Magnifico Domino Comiti Georgio Thurzoni de Betthlemffalwa, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, nec non de Arva eiusdemque Comitatus supremo et perpetuo Comiti, Sacrae Coesareae Regiaeque Maiestatis intimo Consiliario et per Hungariam Locum-Tenenti, Domino meo Clementissimo.
Más kézzel: Literae Scriptae in negotio Praeceptoris Emerjcj.
OL E 196. 24. cs. 2. fasc. Nro. 51. Autográf.

26.

Eliáš Láni Thurzó Györgynek
Biccse, 1613. október 16.

Thurzónak október 12-i leveléből értesült a törökök álnokságáról és arról, hogy Báthori elmenekült Erdélyből. Michael Kauffmann handlovai rektor Wittenbergbe utazott és azt írta, hogy Spiegel már vele van, de nem mernek a jablunkai erdőkön átvágni. Thurzóné 40 tagú testőrséget küldött eléjük. Remélik, hogy Spiegel másnap megérkezik.

Illustrissime Domine Comes, domine et Patrone benignissime, salutem cum felici administratione publicorum et privatorum negociorum Illustrissimae Celsitudini Vestrae optans, observantiam meam defero.

Literae Celsitudinis Vestrae 12. Octobris datae non exigua me affecerunt tristitia. Intellexi enim ex ijs Turcas non contentos depopulationibus tam hic quoque in Transsylvania factis, insuper etiam Christianitatem suis vaferrimis pollicitationibus ludificare. Deinde Principem Bathoreum e Transsylvania profugisse. Ex quibus duobus promptum est colligere cuivis cordato, quanto in praecipito miserae Patriae nostrae res sint constitutae. Idcirco etiam Celsitudo Vestra pro sua pietate hortatur, vt et ipse in precibus pro salute communi fundendis impiger sim, et alios ad idem studium provocem atque exuscitem. Certe vt hactenus officio meo non defui, sic neque deinceps deesse volo in alijs quoque monendis. Sed et junioris domini Comitis valetudinem meis precibus quotidianis et publicis habeo commendatam.

Michael Kauffmannus Rector Handloviensis, qui Vitebergam fuerat profectus, scripsit ad me Teschinio se adducere doctum et gravem virum, Magistrum Jeremiam Spiegelium, sed non audere per sylvas Jablonkovienses sine deductoribus iter continuare. Eapropter emisit ei in occursum Illustrissima Domina 40 satellites. Jam speramus ipsum crastino die adfuturus. Si quid de ipso Celsitudo Vestra committere voluerit, dignetur non oblivisci. In reliquo valeat et agat felicissime.
Cursim Bitschae, 16. Octobris Anno 1613.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae observantissimus cliens
Elias Lany

Címzés: Illustrissimo Domino, domino Comiti Georgio Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti perpetuo de Arva, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis per Hungariam Locumtenenti et Consiliario, domino et Patrono mihi suspiciendo
Árva, II-L/3. fasc. Nro. 115. Autográf.

27.

Polycarp Leyser Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. január 29.

A kálvinisták és a pápisták ellen írott téziseit tisztelettel megküldi. Köszönetet mond jóindulatáért. Thurzó elégedett lehet alumnusaival: szorgalmasan tanulnak. Leyser is eleget tett feladatának, segítette őket tanácsaival. Át kell mennie a szomszédos lipcsei egyetemre. Szeretné, ha tanítványai még maradhatnának, hiszen két év alatt nem sajátíthatták el a filozófia és teológia hatalmas ismeretanyagát.

Salutem et omnem felicitatem ab eo, qui salutis est autor unicus, Jesu Christo Pacem.

Illustrissime et Generosissime Comes ac Domine, Domine gratiosissime. Si consvetudines honestae pro lege sunt habendae, nullius accusari potero, quod Illustrissimae Tuae Dominationi fasciculum Thesium Theologicarum, praecipuis huius temporis Sophistis Pontificijs et Calvinianis oppositarum reverenter et submisse dico, inscribo et exhibeo. Vt enim coetera omnia, quorum aliqua in Praefatione attigi, sicco pede transeam, tempus ipsum, quo <sub> ad finem opella haec deducta, monuit, imo imperavit et, quod factum, ursit.

Cui enim ignotum esse potest, anno iam ad finem properante homines de strenis offerendis varias suscipere cogitationes, et quidem ijs offerendis, quorum favorem et amorem sibi conciliare, vel conciliatum conservare summe annituntur. Huius consvetudinis laudatissimae et ego memor Illustrissimae Tuae Dominationis strenutum exiguam, non auream, sed chartaceam, rẽs tamen auro etiam preciosissimo preciosiores explicantem et pertractantem offerre humiliter volui, imo debui, ut gratia gratiam pareret et roboraret. Satis enim superque mihi constat, quam clementi et gratioso affectu Illustrissima Tua Dominatio me complec-

tatur, cui favoris igni, ne unquam extingueretur, oleum addendum fuit, nec vanum erit, quod spero et opto, siquidem animo benigno serenaque fronte iam tum levidense hoc accipitur et, quod unice quaerit, favoris augmentum impetrat, in quo etiam lubentissime acquiesco.

Coeterum cum non tam mei, quam Illustrissimae Tuae Dominationis alumnorum causa hoc a me tentatum sit, illos hoc ipso Illustrissimae Tuae Dominationi commendare volui, Ita enim vitae suae rationes hactenus instituerunt, ita graviter studijs invigilarunt, ut nec Illustrissimae Tuae Dominationis sumtuum, nec illos temporis, quo hic vixerunt, poenitere unquam possit. Ego sane quantum potui, certe etiam debui, consilio et auxilio nunquam ipsis defui, sed nec imposterum remitterem, nisi DEO disponente, serenissimoque iubente in vicinam Lipsensem Academiam mihi propediem transeundum esset, interim, si non voce, affectu ipsis adero. Vtinam vero diutius hic vivere illis concederetur, bienij enim spacio labissimum Philosophiae et Theologiae campum percurrere quis potest? Si quid addi temporis possit, enixi utique rogarem. Verum occupatissimo pluribus molestias creare nolo, sed quod superest, Gratiae divinae Illustrissimam Tuam Dominationem et universam Thurzorum familiam etiam atque etiam commendo.

Witeberga, 29. Januarij Anno 1614.

Illustrissimam Tuam Dominationem Humiliter colens
Polycarpus Lyserus
Doctor
manu propria

Címzés: Illustrissimo ac Generosissimo Comiti ac Domino, Domino GEORGIO THVRZO de Bethlenffalva, Comiti supremo ac perpetuo de Arva, Regni Hungariae Palatino, Cumanorum Iudici, Sacratissimae Coesareae Maiestatis Consiliario Intimo et per Hungariam Locumtenenti dignissimo etc. Domino suo gratiosissimo.

Árva, II-L/ 18. fasc. Nro 15. Autográf.

28.

Mikuláš Molitoris Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. február 9.

Hálálkodik, mert Thurzó az egyetemre küldte. Szorgalma bizonyságául neki ajánlja teológiai dolgozatát. Az egyetem állapotáról társa már írt, ő ezért ezt mellőzi.

Illustrissime Celsissimeque Comes ac Domine, Domine Clementissime, Mecoenas et Fautor studiorum meorum sempiterna animi observantia suspiciende, cum firma diuturnaque corporis Valetudine omnem prosperitatem in augusto ac eminenti statu dignitatis Illustrissimae Celsitudini Vestrae, ut et Illustrissimae Dominae, Dominae itidem Clementissimae, toti denique Illustri familiae a Patre luminum devota mente precatus, studia et officia mea demisse offero.

Illustrissime Celsissimeque Comes ac Domine, Domine Clementissime, dum considero summam ac laudabilem munificentiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, quae mihi egeno perveniendi ad Academica studia praeter omne meritum affulsit, primum Deo praepotenti, qui pro sua mirifica bonitate tam liberalem ad promovenda mea studia excitavit Patronum, ingentes gratias ago, Deinde Illustrissimae Celsitudini Vestrae pro tam eximijs beneficijs ad debitam subjectionem et grati animi significationem omni tempore declarandam obstrictum me esse agnosco. Hanc, quia satis dignis officijs praestare nequeo, summa diligentia annitor, ut pro virium facultate erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram submissis obsequijs et honorificis laudum praeconijs perpetua apud me esse possit.

Quia vero Illustrissima Celsitudo Vestra exhibens sua liberali manu stipendium ad Theologici studij singularem diligentiam me hortata est, piae et utili admonitioni merito parere volui. Et ut meae subjectionis et gratitudinis signum publico quopiam testimonio declararem, de fructu studiorum meorum Illustrissimae Celsitudini Vestrae, non ut munus tanto Patrono condignum, sed tantum ut grati animi, devotionis ac industriae qualecunque specimen sive monumentum offerre allaboravi. Haec igitur Exercitia Theologica nomini Illustrissimae Celsitudinis Vestrae inscripta pia animi reverentia dedico atque consecro, rogans humiliter, ut ea Illustrissima Celsitudo Vestra sereno et placido vultu suscipiat et Illustrissimae clementiae favore me meaque studia complectatur. Daturus in posterum operam, ut Illustrissimae Celsitudinis Vestrae summa in studia literarum liberalitas, meis votis apud Deum, laudibus apud homines celebretur.

De statu Academiae siquidem socius meus ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram perscripsit, non necessarium putabam de eo hic agere. Quod reliquum est, oro Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut Illustrissimam Celsitudinem Vestram una cum Illustrissima Domina totaque Illustri famila in exoptata Valetudine, tranquilla et pacifica adeoque Illustrissimae Celsitudinis Vestrae nomini congruente Regni Hungarici gubernatione, florenti denique rerum omnium statu ad nominis sui gloriam, Ecclesiae et Reipublicae Christianae defensionem quam diutissime conservare et post hanc mortalem vitam aeternae vitae praemijs ornare dignetur.

Witebergae, die 9. Februarij Anni 1614.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae subjectissimus humilimusque Alumnus

Nicolaus Molitoris Thurociensis

Címzés: Illustrissimo Celsissimoque Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlenffalva, Comiti de Arva ejusdemque Comitatus Arvensis supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Cumanorum Judici, Sacratissimi Principis ac Domini, Domini Matthiae Dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti etc. Germaniae, Hungariae, Bohemiae Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae etc. intimo Consiliario et per Hungariam locum tenenti etc. Domino ac Mecoenati suo aeternum honorando.

Árva, II-M/ 29. fasc. Nro. 123. Autográf.

29.

Daniel Paulini Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. február 9.

Thurzó felszólításának eleget tesz. Ajándékként megküldi teológiai dolgozatát. Thurzó már a biccsei iskolában, majd az iskola segédtanítójaként is támogatta őt, és segítette szüleit. Egy másik művét a szuperintendensnek ajánlja, mivelhogy inkább barátai között szeretné tudni, és nem akarja, hogy apjának kellemetlenségei legyenek. Logikai dolgozatát Seussius úrnak ajánlja. Ezenfelül Thurzónak ajánlva elküldi egy másik nyomtatott művét is. Foerster utóda Meisner lett a professzorátusban. Hutter Hospinian elleni írása hamarosan napvilágot lát. Pelargus frankfurti szuperintendens kálvinista lett a brandenburgi választófejedelemmel és másokkal együtt. Jakob Martini, mivel nincs Wittenbergben, most nem tud írni.

Illustrissime Celsissimeque Comes ac Domine, Domine Mecoenas ac Promotor musarum Clementissime, mihi omni genere observationis aetatem suspiciende etc. Gratiam, pacem cum omni prosperitate corporis et animi a DEO Patre per Filium in Spiritu Sancto Illustrissimae Celsitudini Vestrae, nec non Illustrissimae Dominae, Dominae item mihi pari humilitate suspiciendae, liberis Magnificentissimis, totique domui Illustrissimae precatus, me, meaque studiorum humilia officia demissa animi promptitudine offero.

Illustrissime Celsissimeque Comes ac Domine, Domine ac Fautor studiorum meorum Clementissime, admonitioni Illustrissimae Celsitudinis Vestrae debita observantia satisfacturus, neque praesentem occasionem negligere debui, ita scilicet officio meo satisfacturus. Ac debuissem quidem secundum edictum Regis Persici, quod singulis annis Regi vel alicui supremo loco posito diuites munera, pauperes munuscula offerre jubebat, ego quoque Illustrissimae Celsitudini Vestrae quippiam offerre, verum quia talia mihi non erant, quae vel animum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae refecissent, vel etiam condigne mitti potuissent, inveni aliud loco decimae ex meis studijs, videlicet Theologicum exercitium.

Quod imprimis Vestrae Celsitudini Illustrissimae inscribo, quia post Deum unice per Illustrissimam Celsitudinem Vestram ad studiorum meorum continuationem non solum nunc sum promotus, sed et ab annis alijs in Schola Bitschensi ita sustentatus, ut postremo etiam collaboratorem Scholae Deus per Illustrissimae Celsitudinis Vestrae clementiam, aliorumque meorum Fautorum meritissimorum commendationem me ibidem fieri voluerit. Accidit tutela, qua Illustrissima Celsitudo Vestra meos charissimos Parentes ab annis ut plurimis benevole affecit. Insuper etiam maxima illa in tota Patria nostra afflictissima cura in tuenda religione. Cujus, ut me sincerum profitear, merito capitalem illam controversiam de coena Domini Illustrissimae Celsitudini Vestrae inscripsi.

Inscripsi alteram Clarissimo Domino Superattandenti nostro, Patri mihi demisse honorando cum meis amicis, idque non ex quadam protervia animi, sed demonstraturus magis dignum fuisse, ut primum locum inter meos amicos habeat potius, quam quorundam malevolorum hominum opera et studio, ut pote filiorum irae, sit inimicus abjectissimi Senis mei Patris. Ita quippe laqueum absenti-

bus etiam conscientijs ponunt boni illi Zoili, et propositum pium ad cogitationes avocant. Laudetur tamen DEUS, et benedicta sit Illustrissima Celsitudo Vestra, quae sua clementia bonos viros componit. Alterum est, ut omnes mei amici cogitent, quantam munificentiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae in me exercuerit. Benedicta sit Illustrissima Celsitudo Vestra in domo, agris et omnibus vijs et nunc et usque in seculum.

Logicum meum exercitium inscribo Amplissimo Domino Seussio inprimis, ut admonitioni Dresdae acceptae in studiorum diligentia satisfacerem. Hacque ratione occasionem scribendi ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram praeberem. Praeceptoribus deinde, ut illis acceptum ferrem pro instructione ostensurus, quo loco illi sint habendi. Pro his ego ingenij experiendi gratia votum novi anni carminerandi quidem devoto tamen Illustrissimae Vestrae Celsitudini conscripsi, impressumque transmitto. Hoc, quia DEO gratiora vota scio auro, Vestrae Illustrissimae Celsitudini etiam gratum fore humilime confido.

Status nostrae Academiae, DEO commodam aeris temperiem tribuente, est integerrimus. Successor enim Forsteri jam quidem Jslebiae mortui, factus est Meisnerus in Professione. Logicus simul ethicae professor. Domini Hütteri scriptum contra Hospinianum cito lucem videbit. Dominus Pelargus superattendens Francofurtensis factus Calvinista cum suo Principe Brandeburgensi multisque alijs. Jacobus Martini per absentiam scribere ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram neglexit.

Quod reliquum est Illustrissimam Celsitudinem Vestram bene valere cupiens, DEO optimo maximo commendo.
Dabam Vittebergae, 9. Februarij Anni 1614.

Illustrissimam Vestram Celsitudinem humilime observans et colens
Alumnus et Cliens

Daniel Paulinus
manu sua

Címzés: Illustrissimo Celsissimoque Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlenffalwa, Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus Arwensis supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Cumanorum Judici, Sacratissimi Principis ac Domini, Domini Matthiae DEI gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti etc. Germaniae, Hungariae, Bohemiae Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae etc. intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino Mecoenati, Fautori et Nutritio suo submissa animi observantia aeternum colendo.

OL E 196. 37. cs. Nro. 9. Autográf.

30.

Daniel Paulini Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. március 19.

A Spiegel által küldött levélhordó február 23-án megérkezett, és sok szomorú hírt hozott. Tudják, hogy a hazát a török és egyéb ellenség fenyegeti. Sajnálkozik az "er-

délyi Hector", Báthori Gábor halálán. Jakob Martini photiniánusok ellen új könyvet írt. Ezt Martini – korábbi mulasztását kívánván pótolni – a grófnak és a szuperintendensnek megküldte. Költségeik fedezetét megkapták Lipcsében Johann Schendendorftól.

Illustrissime Celsissimeque Comes ac Domine, Domine Fautor et Promotor mihi demissa animi observantia aeternum suspiciende etc. Gratiam et pacem perennem, omniumque rerum incrementum quam maximum a DEO, pacis rerumque omnium Autore Illustrissimae Celsitudini Vestrae, ut et Illustrissimae Celsissimae Dominae, Dominae mihi pariter aeternum colendae, liberis Magnificentissimis Illustrissibusque, nec non toti domui Illustrissimae precatus, me, meaque officiola qualia qualia ex animi promptitudine demisse subjicio et offero.

Illustrissime Celsissimeque Comes ac Domine, Domine mihi Clementissime, tabelliarum nomine Domini Magistri Spiegelij missum die 23. Februarij salvum quidem excepimus, multis tamen onustum nuncijs tristissimis. Nam ut commune patriae nostrae periculum includam silentio, Vestra Illustrissima Celsitudo quantam curam, quantaque negotia ob salutem nostram omnium sustineat, nemo est tam adamantinus tamque agrestis, qui non cum gemitu illud perpendat. Videmus enim et sensibus percipimus, quid patriae nostrae afflictissimae ob insolentiam Judaicumque livorem Turcae vel aliorum hostium immineat. Vidimus jam, qualiter ille Transylvaniae Hector, Princeps Illustrissimus Bathoreus vitam finierit.

Videre nolumus insidias crudelissimas Turcae, quas in patriam nostram convertere cupit, sed potius frequentissimis ijsque ardentissimis precibus cum tota Universitate Ecclesiaque Vittebergensium tales insidias avertere, Divinamque assistentiam cum omni pace ac prosperitate a DEO optimo maximo communi patriaé nostrae impetrare contendimus. Confundat Dominus adversantes ei sine causa, et destruat eos, ut cognoscant magnum esse nomen Domini, nec esse alium, qui pugnet pro nobis fortius. Econtra vero benedictam faciat Illustrissimam Celsitudinem Vestram cum Illustrissima domo, universaque nostra patria afflictissima. Det illi Salomonis sapientiam omniaque, quae in vijs sunt, prospera reddat, ut ita vafrum consilium inimicorum evertere, nostram afflictissimam patriam salvare studijsque communibus ac religioni prodesse possit.

Exaudi Domine ex Sion gemitus pauperum et afflictorum. Nam, nisi tu aedificaveris civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Neque dubitamus Deum preces communes Ecclesiae exauditurum nosque ab omnibus malis liberaturum. Dominus Jacobus Martini novum suum contra neotericos Arianos, Photinianos dictos, libellum Illustrissimae Celsitudini Vestrae, ut et Clarissimo Domino Superattendenti transmisit, priora neglecta compensaturus.

Coeterum quod attinet sumptus nostros, eos accepimus Lipsiae apud Joannem Schendendorffium, jamque pridem ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram perscripsimus. Puto autem esse interceptas literas, quod proprium est infidelium tabellionum, igitur gratias agimus, quas possumus ex imis cordis penetralibus maximas Illustrissimae Celsitudini Vestrae pro clementi et benevola promotione. Et quia rependere vel ob exilitatem officiorum, vel ob tenuitatem sortis eam non licet, Deum oramus devote, ut is pro sua ditissima dextera omnia Illu-

strissimae Celsitudini Vestrae refundat, seriem annorum addat, domum Illustrissimam augeat, et omnia, quae et intra et extra eam sunt, prosperrima faciat. Quod reliquum est, Illustrissimam Celsitudinem Vestram DEI optimi maximi protectioni commendans, bene valere cupio.
Vittebergae, 19. Martij 1614.

Illustrissimam Celsitudinem Vestram submissa animi observantia aeternum colens Alumnus et Cliens

Daniel Paulinus

Címzés: Illustrissimo Celsissimoque Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlenffalva, Comiti de Arva ejusdemque Comitatus Arvensis supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Cumanorum Judici, Sacratissimi Principis ac Domini, Domini Matthiae Dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti etc. Germaniae, Hungariae, Bohemiae Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae etc. intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino Mecoenati, Promotori et Nutritio meo mihi demissa animi observantia aetatem colendo.

OL E 196. 23. cs. 1. fasc. Nro. 658. Autográf.

31.

Mikuláš Molitoris Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. március 20.

A levélhordótól, aki megérkezett Wittenbergbe, megtudta, hogy Thurzó jól van és a béke még nem született meg. Sok embertől hallja ezt: Magyarország a mi védőbástyánk, ha összeroppan, elvész Németország. Kéri Istent, óvja hazájukat és segítse Thurzó törekvéseit.

Illustrissime Celsissimeque Comes ac Domine, Domine Clementissime, Mecoenas et Fautor studiorum meorum sempiterno pietatis cultu prosequende, Firmam ac solidam corporis Valetudinem, pacem cum omni prosperitate optatissimam Illustrissimae Celsitudini Vestrae, ut et Illustrissimae Dominae, Dominae itidem Clementissimae, toti denique Illustri Familiae sincera devotione precatus, studia atque officia debita cum subjectione paratissima commendo.

Illustrissime Clementissimeque Comes ac Domine, Domine Clementissime, postquam intellexissem ex Tabellione, qui praeter opinionem Witebergam appulit, Illustrissimam Celsitudinem Vestram commodiori frui valetudine, magna animi laeticia sum affectus, quam tamen vix sustinere potui, dum sortem miseram et periculosam Patriae nostrae afflictissimae esse animadverti. Etenim dulcissimam pacem, quae rerum optima, quas hominibus novisse datum est, osor humani generis per sua organa omnibus nervis e finibus nostris eliminare conatur, avidusque Christiani sanguinis in veros Dei cultores gladium suum stringit. Audientes haec reliquae Provinciae, quae vinculo pacis unitae sunt cum gemitu oppressae condolent Hungariae, cum sciant vicini malum domesticum esse malum, quin et Witebergae ex multis audimus: Murus noster est Hungaria, quod si is ruptus fuerit, periclitabitur tota Germania. Ideo, ut Deus eam potenti sua dex-

tera protegat, publicae in Ecclesia instituuntur preces. Idem nos quoque patriae ac pietatis memores facere contendimus. Et quia scimus Illustrissimam Celsitudinem Vestram in procuranda pace publica multis gravari curis ac molestijs, merito veluti benevolentissimum suum Nutritium et Patrem Patriae nominatim nostris precibus includimus.

Ostendat Dominus Deus misericordiam suam super Illustrissimam Celsitudinem Vestram protegatque sub umbra alarum suarum, roboret vires Valetudinis, multitudine dierum repleat, in fide sincera conservet, ab insidijs tyrannorum tumultuantium custodiat, vana eorum consilia confundat et sic propter meritum Filij sui unigemiti tum Patriam, tum Illustrissimam Celsitudinem Vestram quietam tutamque ab omnibus malis cum omni prosperitate diutissime vivere faciat. Cujus protectioni eandem cum Illustrissima Domina universaque inclyta domo commendans felicissime valere cupio.
Dabam Witebergae, 20. Martij Anni 1614.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae subjectissimus humilimusque
Alumnus

Nicolaus Molitoris
manu propria

Címzés: Illustrissimo Celsissimoque Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlenffalva, Comiti de Arva ejusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Cumanorum Judici, Sacratissimi Principis ac Domini, Domini Matthiae Dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti etc. Germaniae, Hungariae, Bohemiae Regis , Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae etc. intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino ac Mecoenati suo omni observantiae cultu prosequendo.

Árva, II-M/ 29. fasc. Nro. 122. Autográf.

32.

Daniel Paulini Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. május 26.

Lassan eljön a hazatérés ideje. Megköszöni az ösztöndíjat. A továbbiakban is számít jóindulatára.

Illustrissime Celsissimeque Comes ac Domine, Domine Mecoenas et Promotor studiorum mihi clementissime etc. Gratiam, pacem omniumque bonorum incrementum a DEO Patre, omnium bonorum Autore Illustrissimae Celsitudini Vestrae ut et Illustrissimae Dominae, Dominae mihi clementissimae, liberis Illustrissimis et Magnificentissimis, nec non toti domui splendidissimae precatus, me ad officia promptissime dejicio.

Illustrissime Celsissimeque Comes ac Domine, Domine mihi gratiosissime, etsi bina vice revocato, mihi jam jam redeundum sit, unde etiam a scribendo supersedere potuissem, nihilominus tamen, quia tantorum beneficiorum me red-

didit Illustrissima Celsitudo Vestra participem, ut non una tantum alteraque vice gratiarum actio institui pro ijsdem debeat, verum aetate durante gratiarum actione precibusque pijs compensari. Quod enim de Parentibus et Praeceptoribus verum. Illud de Patronis et Nutritijs verissimum: Nutritijs non potest reddi aequivalens pretium. Et certe, si quis munificentiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae penitius perpendat, inveniet, quanta in nos ex ea beneficia promanarint, dum non modo ordinarium stipendium nobis subordinari curavit, transmittique, verum etiam aliquid praeter id clementer addidit, insuper etiam de ulteriore promotione spem faciens.

Unde nihil magis in votis habeo, quam ut Deus optimus maximus Illustrissimae Celsitudini Vestrae ea omnia, quae a me et ab alijs compensari nequeunt, sua divina benignitate refundat, eamque ita tueatur, ut diutissime vivendo alios etiam plurimos in vineam Christi sua promotione implantare queat. Addat eidem virium incrementum, ut salva patriae etiam protectioni inserviat, atque ita exactis omnibus laboribus praemia vitae aeternae inter beatos consequatur. Protegat Dominus Illustrissimam Dominam, Dominam mihi clementissimam. Det illi spiritum sapientiae et veritatis, ut omnibus reliquis virtute sua Magnificentissima praeire, inimicosque confundere queat. Det liberis Illustribus salvos dies, ut annorum suorum serie, Illustrissimam Celsitudinem Vestram apprehendere Deoque servire possint. A pluribus non supersederem, si quae scribenda occurrerent, verum nulla talia. De cetero Illustrissimam Celsitudinem Vestram DEO optimo maximo commendans, bene valere cupio.

Wittebergae, 26. Maji 1614.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humilimus Alumnus et Cliens
Daniel Paulinus
manu sua

Címzés: Illustrissimo Celsissimoque Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlenffalva, Comiti de Arva ejusdemque Comitatus Arvensis supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Cumanorum Judici: Sacratissimi Principis ac Domini, Domini Matthiae Dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti, etc. Germaniae, Hungariae, Bohemiae Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae etc. intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino Mecoenati et Nutritio meo, perpetua observantia colendo.

Árva, II-P/ 6. fasc. Nro. 126. Autográf.

33.

Leonhard Hutter Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. június 2.

Már több mint két éve írta meg utolsó, harmadik olyan levelét növendékeivel kapcsolatban, melyekre nem kapott választ. Sőt tanítványokat sem küldött azóta hozzá Thurzó. Az egyetem az előző évi pestisjárvány miatti létszámcsökkenést már kiheverte. Munkájának egy példányát elküldi.

Salutem et officia humilima.

Biennium amplius est, Illustrissime Comes ac Domine, Domine omni pietate et officio colende, ex quo tertias ac postremas ad Celsitudinem Tuam exaravi literas, deque ejusdem alumnorum, meae fidei ac inspectioni commissorum studijs et exercitijs animi mei sensa judiciumque libere, sed qua par erat observantia, exposui.

Non memini autem ex eo tempore vel literarum aliquid ad me datum, vel etiam Celsitudinis Tuae alumnos ulterius meae curae ac inspectioni esse commissos. Concitavit hoc meo in animo suspicionem non levem vel meas illas postremas non esse redditas, vel malevolorum quorundam vocibus Celsitudinis Tuae animum et affectum in me clementissimum nonnihil alienatum esse. Quod si ita se habeat, non possum non gravioris alicujus perturbationis motus animo meo concipere. Nihil enim minus ferre potest vir bonus, quam si praeter omne meritum et culpam male audiat apud eos, quos DEUS clypeos terrae et nutritios Ecclesiae hoc in mundo constituit. Et novit idem DEUS καρδιογνωστης, quo pietatis affectu, quo precum studio, qua officiorum contentione Splendidissimum Hungariae regnum, inque eo cumprimis Ecclesiae et purioris Religionis statum semper prosecutus sim, ac etiamnum prosequar adeo, ut nihil mihi gratius aut acceptius evenire possit, quam si bene de eo merendi occasio commoda mihi offeratur.

Quam ipsam etiam ob causam Celsitudinis Tuae alumnos vere et sincero corde amavi, et studijs ipsorum provehendis nihil prius aut antiquius habui et habebo deinceps quoque, si ita Celsitudini Tuae placere intellexero.

Status Academiae nostrae indies magna sentit incrementa, et quae superiore anno ex contagio pestilentiae, aliquam passa est ruinam et dissipationem jam egregie reflorescit. Pro quo beneficio, uti DEO Optimo Maximo gratias devote agimus immortales, ita immensam ipsius bonitatem veneramur supplices, ut illud jubeat esse perpetuum, nostrisque studijs et laboribus ex alto benedicat. Cui Celsitudinem Tuam ac universum adeo regnum Hungariae statumque ejus florentissimum ex animo commendo.

Scripsi Witebergae, die 23. Maij Stylo veteri Anni 1614.

Illustrissimam Celsitudinem Tuam humiliter colens
Leonhardus Hutterus
Sanctae Theologiae Doctor et professor
ac Electoralis Consistorij Saxoniae
ibidem Assessor primarius
manu propria

Actionis meae in Esawitam Gretserum Exemplar transmitto, quod ut Celsitudo Tua serena fronte accipiat, qua par est humilitate et observantia <...> rogo.

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlenflava, Comiti supremo ac perpetuo de Arva, Regni Hungariae Palatino et Cumanorum Judici, ac Sacrae regiaeque Majestatis, per Hungariam, locum tenenti, ac primario Consiliario etc.: Domino suo summe colendo.

OL E 196. 24. cs. 1. fasc. Nro. 190. Autográf.

34.

Jakob Martini Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. június 2.

Thurzó levelét az ajándékkal Stephan Kruspier átadta neki. Mindent meg fog tenni annak érdekében, hogy a Wittenbergbe küldött magyar tanulókat becsületesen tanítsák.

Serenissime, Illustrissime Generosissimeque Comes, Domine benignissime.

Tuae Generositatis literae una cum munere satis splendido a Reverendo doctissimoque viro, Domino Stephano Kruschpiero recte mihi sunt traditae, ex quibus utrisque benignum sane ac clementem erga me animum et affectum intellexi. Utinam referenda gratia respondere aliqua ex parte possem. Sed quod hic deesse videtur, id habenda praedicandaque gratia compensare semper ac prolixe studebo, nec non omnem movebo lapidem, ut fortissima Hungarorum natio experiatur, me illius studiosissimum esse, nihilque intentatum relinquere, quod ad filios ejus nostrae fidei commissos fideliter informandos, excolendos et quovis modo juvandos facere potest. Tuam Generositatem cum omnibus suis protectioni divinae, me autem Tuae Generositati favori ac gratiae commendo.
Dabantur Wittebergae, ex Museo 23. Maij Stylo veteri Anno 614.

Tuae Generositatis Subjectissimus

Jacobus Martini
Professor publicus Logicae
ac Philosophiae Practicae

Címzés: Illustrissimo, celsissimoque Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de betthlenffalwa, Regni Hungariae PALATINO et Judici Cumanorum, nec non de Arwa perpetuo, ejusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam LOCUMTENENTI Domino suo benignissimo.
Árva, II-M/ 10. fasc. Nro. 100. Autográf.

35.

Ondrej Bartošovič Thurzó Györgynek
Ózólyom, 1614. szeptember 4.

Köszönetet mond azért, hogy Thurzó a szuperintendens ajánlására eddig Biccsén tartózkodó fiának egyetemi tanulmányait támogatja.

Ilustrissime Comes Palatine, Domine, Domine mihi benignissime, Salutem solidam, vitam incolumem felicesque successus in administratione Regni istius inclyti precor, officia precum paratissima Illustrissimae Celsitudini Vestrae deferens.

Invitatus et gratitudinis favore, Comes Illustrissime, quo Filium meum hacctenus Bitschae degentem Illustrissima Celsitudo Vestra ad intercessionem Admodum Reverendissimi et Clarissimi Superintendentis praevenire, eundemque ad studia Academica promovere voluit, gratias gratas agere per hasce decrevi. Licet autem, istud officij genus in Persona mea praestare Illustrissimae Celsitudini Vestrae deberem. Verum cum hoc temporis periodo vires valetudinis minime mihi suppetant, tempori servire, aequum et dignum esse censeo. Persuasum habens plerumque hominum beneficorum ingenium tale esse, ut magis ostensione gratitudinis, quae fit pijs votis sermone et observantia, quam quae reditione et remuneratione delectentur.

Memor itaque Comes Illustrissime tanti tamque ingentis beneficij gratias, quas possum, maximas et ago et habeo, quod praeter omne meum promeritum, Illustrissima Celsitudo Vestra Filium meum eo amoris et clementiae favore, quo et alios sibi commendatos praevenire, studia ejus promovere dignata est. Deum Aeternum, Patrem Domini Nostri Jesu Christi ea, qua possum, animi pietate precabor, ut is Illustrissimam Celsitudinem Vestram diutssime salvam et incolumem una cum inclyta familia conservet, protegat ab insultibus Satanae, studia et consilia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae dirigendo ad nominis sui divini inprimis gloriam, post Patriae nostrae afflictae emolumentum. De caetero Illustrissimam Celsitudinem Vestram, Dominum meum gratiosissimum feliciter valere cupiens. Veterisolij, 4. Septembris Anno 1614.

Illustrissimam Celsitudinem Vestram Subjectissime humilimeque colens

Andreas Barthoschowicz
Pastor Ecclesiae Veterisoliensis

Címzés: Illustrissimo Domino, Domino Comiti Georgio Thurzo de Betthlenfalwa Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, nec non de Arwa ac Comitatus eiusdem Supremo perpetuoque Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis intimo Consiliario, et per Regnum Hungariae Locumtenenti etc. Domino mihi gratiosissimo.

Árva, II-B/ 20. fasc. Nro. 119. Autográf.

36.

Jakob Martini Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. szeptember 15.

Megkapta Thurzó levelét. Ami Samuel Bartošovičot, pártfogoltját illeti, mindent meg fog tenni, hogy Thurzó meg legyen vele elégedve. Jakub Láni, Thurzó másik alumnusa nagyon szorgalmas, a minap tett teológiából vizsgát. Reméli, hogy egyszer Szunyogh Gáspár is díszére válik majd hazájának.

Illustrissime Comes, Domine clementissime.

Vestrae Celsitudinis literas accepi, et ea, qua par est, reverentia perlegi. Quod igitur commendatum Samuelem Barthoroviczium[!], Vestrae Celsitudinis

alumnum attinet, dabo operam, ut et Vestra Celsitudo et ipsemet juvenis intelligant me satisfecisse officio boni viri. Jacobus Lany, itidem Vestrae Celsitudinis alumnus studia sua strenue urget. Nuper sub meo praesidio respondit Theologice de persona Christi et quidem in specie de communicatione Idiomatum et officio Christi, ubi suam industriam mihi et suis collegis sufficienter probavit. Spero etiam novitium illum alterum spartum, quem nactus est ornaturum, occasionemque praesentissimum non neglecturum. Quovis enim temporis momento me conveniendi et de studijs conferendi ipsis patet aditus, facultasque conceditur, imo mihi nihil jucundius accidere potest (absit jactantia), quam cum studiosis, qui studia sua calide urgent, versari, conferre, factoque et consilio juvari. Spero id testaturum aliquando Dominum Casparum Szuniogh, vere illustris et generosae indolis adolescentem, de quo nullus dubito praedicere, ipsum aliquando singulare ornamentum patriae futurum, quippe qui nihil magis detestatur, quam aliquid se ignorare. Vestram Celsitudinem cum omnibus suis protectioni divinae, me autem Vestrae Celsitudinis favori et gratiae commendo.
Dabantur Wittebergae a Museo, 5. Septembris Stylo veteri Anno 1614.

Vestrae Celsitudinis devotus

Magister Jacobus Martini
professor publicus
manu propria

Címzés: Illustrissimo celsissimoque Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Betthlemffalva, Regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, nec non de Arva perpetuo, ejusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti, Sacrissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Intimo Consiliario et pe[r Hun]gariam Locumtenenti, [domi]no suo clementissimo.
Más kézzel: Exhibitae 29. Decembris Anno 1614.
Árva, II-M/ 10. fasc. Nro. 125. Autográf.

37.

Eliás Láni Balthasar Meisnernek
Biccse, 1614. szeptember

Boldog, hogy fiának olyan kiváló praeceptora van, mint Meisner. Pártfogásába ajánlja Thurzó György másik alumnusát, Samuel Bartosovicot, aki az ózólyomi prédikátor fia, Izák Láninak tanulótársa és hű barátja. Fáradozásának méltó jutalmát Spiegelen keresztül fogja eljuttatni. Magyarországon nagy a drágaság. Linzben a törökkel 20 évre szóló békéről tárgyaltak. Az evangélikus egyházak állapota a nádor fáradozásainak eredményeképp békés. Ezekről a dolgokról bővebben majd Samuel fogja tájékoztatni.

Reverende vir et clarissime ac doctissime Domine doctor, salutem, gratiam et pacem a Deo Patre per Jesum Christum precatus, omne studium meum et operam Reverendae Dominationi Vestrae offero.

Etsi hactenus satis te nobis elegantissima scripta tua, quae quidem videre et terere potuimus, commendarunt, tamen honorificum filij mei de insigni tua fide et humanitate testimonium non parvum apud me ei commendationi addidit pondus atque auctarium.

Scripsit enim multa, cum de pulcherrimis donis, quibus te coelestis ille Spiritus dator munerum cumulate ornavit, tum de humanissima tua comitate, qua ipsum venientem exceperis, et ad optimam instituendorum studiorum Academicorum viam atque methodum consilij facem praetuleris. Gavisus sum me Christiane[?] talem ac tantum patronum atque Praeceptorem Isaaco meo peregre non absque singulari nutu divino obtigisse, quin etiamnum totus gaudeo atque gestio, quotiescunque in eam cogitationem incido. Perge, perge vir praeclarissime, non solum pulcherrimo eruditionis tuae splendore, verum etiam bene de nostratibus merendi studio celeberrimi nominis tui famam etiam in hasce Hungariae oras extendere. Vivit et celebratur apud nos Meisnerus, novum jubar Academiae Leucoriae, vivit postmodum et celebrabitur amplius. Enim emittitur per Illustrissimum Comitem Palatinum alter Academiae Vestrae futurus alumnus, Samuel Bartoschowicius, Pastoris Ecclesiae Veterosoliensis filius, Isaaci mei Achates et condiscipulus, Quem ego Tuae Reverendae Dominationi post meum filium charissimum ita commendo, vt eam ducem et directricem vtriusque studiorum et negociorum expetam. Ubi noster Magister Spiegelius ad Vos isthinc remigraverit (quod mense Januario proxime venturo futurum puto) dabo operam, vt gratitudinem meam decenti honorario per manum ipsius testatam faciam, praesertim si croceta[?] <...> spem nostram non eluserint.

Segetes nostrae hoc anno aerugine percussae, praesertim in planicie, magnam annonae caritatem minantur per totam Hungariam, jam nunc duplo majori, quam ante messem precio veneunt[!]. Quae etiam vna causa est, quod in Conventu Linciensi conclusum est de confirmandis cum Turca vicennalibus inducijs, et paranda Transsylvania. Unde speramus almam pacem, nisi eam prior hostis ruperit. Ea enim hic est conditio nostra: Interdum pax est, pacis fiducia nunquam. Ecclesiarum status, deo sint gratiae, excubante domino Palatino adhuc tranquillus est. De alijs rebus narrare poterit iste bonus juvenis Samuel. Nos vti nostras vobis preces offerimus, ita vestras vicissim imploramus. Quod superest, deum supplex veneror, dignetur Tuam Reverendam Dominationem cum vniversa Academia gratiae suae vmbraculo ab omnibus malis protegere et in felicissimo statu semper conservare, Amen.

Dabam Bitscha, September Stylo Gregoriani Anno 1614.

Reverendae et Clarissimae dominationi Tuae observantissimus amicus

Elias Lany Thurocensis,
trium Comitatuum
Trencziniensis, Liptoviensis et Arvensis
Superintendens.

Címzés: Reverendo et Celebratissimo Viro, Domino Balthasari Meisnero Sacrosanctae Theologiae Doctori et professori in Academia Wittembergensi dignissimoque Domino et patrono suo Clementissimo et charissimo in Wittenberg

Hamburg, Sup. ep. ff: 93-94. Autográf.

38.

Leonhard Hutter Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. október 27.

Az alumnusokat, akiket Thurzó rábízott, tanácsaival segíteni fogja. Köszöni, hogy Thurzó honorálja működését. Rudolph Hospinian kálvinista író hamis vádakat tartalmazó könyve ellen írt művét elküldi Thurzónak. Alázatosan kéri, hogy ezt a könyvet elfogultság nélkül olvassa.

Illustrissime, Spectabilis ac Magnifice Domine Comes, Domine submissa animj observantia singulariter mihi colende, Salutem, divinam benedictionem, prosperrimosque rerum gerendarum consiliorumque omnium successus a DEO OPTIMO MAXIMO Illustrissimae Tuae Spectabilitati ex animo precor, eidemque mea studia et servitia sine exceptione offero, polliceor, confirmo.

Quanquam, Illustrissime, Spectabilis ac Magnifice Domine, Comes, Domine debita animi subiectione colende, ea est nominis Vestrj celebritas, ea rerum gestarum magnificentia, et quod caput ac summa rej est, ea pietatis et asserendae purioris Religionis indefessa cura ac devotio, ut pius nemo, bonus certe nullus, de ea vel tantillum dubitare ausit, ingenue tamen fateor Illustrissimae Spectabilitatis et Dominationis Vestrae literas hanc meam et bonorum omnium sententiam mirifice confirmasse. Quae res facit, ut publicis privatisque nostris precibus tum Illustrissimae Spectabilitatis et Dominationis Vestrae Salutem, decus et ornamentum, tum totius inclyti Regnj Hungarici statum florentem et incolumem DEO autori et largitiorj omnis bonj ex animo sedulo commendemus.

Faxit immensa ipsius bonitas, DEI misericordia, ut secundum votum illud Tertulliani Illustrissimae Dominationj Tuae obtingat vita prolixa, domus tuta, exercitus fortis, Consiliarij fideles, regnum pacatum et, quaecunque hominum sunt ac Caesarum vota et optata, ea et Illustrissimae Tuae Dominationj et totj Splendidissimo Regno Hungariae eveniant singula et universa.

Quem ipsum animj mej affectum in eo quoque testatum facere studebo, ut quos Tua Illustrissima Dominatio mihi commendavit Alumnos, amore omnj prosequar, consilio, quo queam, maximo juvem, studia ipsorum dirigam, conatus promoveam idque efficiam, ut aliquando cum laude domum redire et Ecclesiae DEI reique publicae Christianae universae commodo ac emolumento esse possint.

Pro honorario vere magnifico, quo Illustrissima Tua Dominatio clementissime me donatum voluit, gratias debita animi submissione ago habeoque maximas, operam daturus sedulo, ut, quibus fierj queat, officiorum studiorumque generibus bene vicissim de Illustrissima Tua Dominatione mereri possim.

Quo fine non potuj non Librum praesentem RODOLPHI HOSPINIANI, Scriptoris Calvinianj manifestis crjminibus falsj contra librum Christianae Concordiae sparsis oppositum cum Illustrissima Tua Dominatione communicare, subiectissimo studio rogans, ut serena fronte eum accipere et, qua hactenus Clementiae aura ne prosequj dignata fuit, ea deinceps quoque fovere haud dedignetur.

Valeat et vivat Illustrissima Tua Spectabilitas et Magnificentia quam felicissime in annos quamplurimos.

Scripsi Wittebergae, die 17. Octobris, Stylo Veterj, Anno 1614.

Illustrissimam Spectabilitatem et Magnificentiam Vestram officiose colens

Leonhardus Hutterus Doctor
manu propria

Címzés: Illustrissimo, Spectabili ac Magnifico Domino, Domino Comiti Georgio Thurzonj de Bethlemffalva, Regnj Hungariae Palatino et Judicj Cumanorum, nec non de Arva perpetuo eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comitj: Sacrissimae Caesareae Regiaeque Maiestatis intimo Consiliario et per Hungariam locum tenentj, Domino suo submissa animj observantia colendo.

OL E 196. 24. cs. Nro. 40. Az aláírás autográf.

39.

Balthasar Meisner Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. november 1.

Dicséri Thurzót és megköszöni levelét. Alumnusait erejéhez képest segíteni és támogatni fogja.

Gratiam et pacem ex animo precor cum humilima obsequiorum pollicitatione, COMES ILLUSTRISSIME, HEROS MAGNANIME, Domine clemens et gratiose.

Benedictus sit deus in excelsis habitans, qui Assertores Fidei, Nutritios Ecclesiae, Patronos literarum nunquam non excitat et conservat. Celsitudo Tua inter illos velut stella clarissima elucet, cuius Zelum in propugnanda fide Evangelica, cujus curam in pace Ecclesiae conservanda, cuius munificentiam in re litteraria promovenda satis preadicare nequeunt, qui tantas virtutes recte aestimant. Accidit ad eas singularis humanitas, in tanto alioquin honoris fastigio rarissima. Sane erubui, cum Vestrae Celsitudinis epistolam legerem, ob benevolentiam erga me indignum summam. Vix enim in extremo eruditionis margine haereo, et tamen Celsitudo Vestra suo me favore prosequi nihil dubitat. Macte his animi virtutibus, HEROS ILLUSTRISSIME, in procinctu est, imo jamdiu fuit Fama et Memoria, ut istam Pietatem et Clementiam Aeternitatis albo cum Nominis Vestri honore immortali inscribant. Ego laetus spectator ero, quin et praeco, si licet,

meaeque subjectionis publicum aliquod monumentum erigam. Interim alumnis Vestrae Celsitudinis, quos Ipsa commendavit, adsistam pro virili meis consilijs: Me enim debitorem fateor et nulla re alia magis delector, quam Superioribus obedire, omnibus inservire. DEUS deorum Illustrissimam Celsitudinem Vestram cum universa prosapia vegetam florentemque conservet diutissime in laborantis Ecclesiae patrocinium et adversariorum confusionem, Amen.
Ita vovebam Witebergae, Calendis Novembribus Anno reparatae salutis MDCXIV.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humilimus cliens
Balthasar Meisnerus
Theologiae Doctor et Professor
Academiae Witebergensis pro tempore Rector

Címzés: Illusstrissimo Celsissimoque Comiti ac Domino, Domino GEORGIO THURZO de Betthlemffalwa, Regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, nec non de Arva eiusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti, Sacrissimae Caesareae Regiaeque Maiestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti, Domino suo clementissimo.
Más kézzel: Exhibitae Byttchae 29. Decembris 1614.
OL E 196. 24. cs. Nro. 44. Autográf.

40.

Samuel Bartošovič Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. november 7.

Tudja, hogy hálával és köszönettel tartozik azért, hogy a biccsei iskolából, ahol négy évig élvezte Thurzó támogatását, Wittenbergbe jöhetett. Útját három hétig részint a kellemetlen időjárás, részint a német ruha hiánya miatt meg kellet szakítania. Október 10-én érkezett meg Wittenbergbe. Itt, miután dolgait elrendezte, az egyetem professzorainak átadta az ő és társai érdekében írott levelet. A professzorok jóindulatukról biztosították őket.

Illustrissime Comes Domine, Domine mihi benignissime. Salutem animae, incolumitatem vitae cum felici Regni Hungariae administratione precor, me meaque officia paratissima Illustrissimae Celsitudini Vestrae defero.

Optimae virtutis Comes Illustrissime, optimum officium Philosophorum sanorum monumenta hunc praestare evidenter asseverant, qvi beneficij accepti se gratum exhibere benefactoribus contendit.

Nec immerito sane talis grati viri nomen meretur, Danti siquidem rependi qvicquam gratius ab accipiente potest, qvam si gratum habuerit, qvod gratis accepit. Nam spiritui gratiae contumeliam facit, qvi beneficium dantis grata mente non suscipit. Haec ego metmecum aeqviori lance pro ratione judicij mej perpendens sentio, et libenter agnosco me plurimum Illustrissimae Celsitudini Vestrae debere. Tum ob id, quod inter Alumnos scholae Bitschensis me fere per qvadrigenium liberaliter fovere et alere, tum ob istud, quod praeter omne officij mej

promeritum me in hoc dulcissimum Musarum domicilium ad conseqvendam solidae et liberioris doctrinae eruditionem promoveri Illustrissima Celsitudo Vestra minime dedignata est.
Verum qvia id nec fortunae et conditionis meae ratio permittit, nec etiam Illustrissima Celsitudo Vestra id a me efflagitat, ut beneficia hactenus abunde in me collata beneficijs cumulem, censeo et aeqvum esse judico hanc Illustrissimae Celsitudinis Vestrae gratae gratitudinis et Clementissimae benignitatis propensitatem me tam assidua et qvotidiana precum mearum oratione, qvam etiam diligenti studiorum humaniorum exercitatione et perpetua gratiarum confessione remererj posse. Iugiter siqvidem is sibi subvenire facit, cuj collatum beneficium ante oculos semper assistit.

Praeterea qvantum ad peregrinationis meae iter attinet, illud susceptum in spacio trium septimanarum tum ob importunam aeris tempestatem, tum ob vestitus Germanici Inopiam continuare minime valuj. Felici tamen pede Bitscha egressus superata omni itineris molestia, Vitebergam 10. Octobris bono cum Deo venj, Ubi rebus dispositis, literas ad Professores Academiae hujus mei et Socij causa datas una manibus eorundem assignavimus, qvi paratissime Illustrissimae Celsitudini Vestrae deferentes officiorum suorum commendationem nobis qvoque suam in studijs humanioribus communicandam promiserunt benevolentiam. Qvod superest, Comes Illustrissime, Domine Clementissime, Illustrissimam Celsitudinem Vestram una cum Inclyta Prosapiae suae familia gratiae Divinae commendans Deum veneror, ut is omnimoda Caelesti benedictione repleat domum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae in seculum, adeoque Ecclesiae, Patriae, ac serae Posteritati diu salvam et superstitem conservet.
Datum Vittebergae, 7. Novembris Anno 1614.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Humilimus clyens et Alumnus
Samuel Barthossovitz Veterosoliensis

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlenffalva, Comiti de Arva, ejusdemque Comitatus Arvensis Supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Cumanorum Judici; Sacratissimi Principis, ac Domini, Domini Matthiae Dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti etc. Consiliario, et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino ac Fautori, debita animi observantia mihi suspiciendo.
Más kézzel: Exhibitae Byttchae 29. Decembris 1614.
Árva, II-B/ 21. fasc. Nro. 118. Autográf.

41.

Erasmus Schmidt Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. november 13.

Örül, hogy Thurzó lett Magyarország nádora, ez hasznos lesz a környező tartományok számára is. Thurzó Wittenbergbe küldött alumnusait a választófejedelem parancsára úgy kezelik, mint a fejedelem saját ösztöndíjasait. Thurzó két levelet kül-

dött az egyetemnek: az egyikben fiának kér tanárt, a másikban pedig az általuk küldött személyt, Spiegelt erre a feladatra alkalmasnak ítéli. Ezek a levelek arra ösztönzik őt, hogy fiának – ha majd elérkezik az az idő, hogy idegenbe menjen tanulni –, Thurzó támogatását kérje. Ő maga is járt 20 évvel ezelőtt Felső-Magyarországon. Küld egy csekélyke ajándékot, hogy majd emlékezzen rá Thurzó.

Salutem a Rege Regum et Domino Dominantium

Etsi minor sum, Illustrissime Princeps, Domine Clementissime, qvam ut Illustrissimae Tuae Celsitudinis alloqvium petere mihi conveniat, facit tamen insignis Tuae Celsitudinis humanitas apud nos celebratissima, ut tantum audere audeam. Ob qvam, ut et ob Pietatem et sinceram Religionem multi boni viri in Germania ex animo gavisi sunt, qvum Palatinatus Hungarici fasces, Deo sic disponente, Celsitudini Tuae cessisse audirent, qvos ut in Hungariae totius (qvam murum nostrum merito aestimamus, et ne diruatur, cavere debemus) et vicinorum locorum salutem Tua Celsitas contra omnes technas clandestinas et apertas divinitus defensa diu gerat, calidis votis precamur.

Depraedicant Tuae Celsitudinis clementissimam humanitatem et pietatem Alumni ad nos missi, qvos Illustrissimus Saxoniae Elector non minus, qvam suos Alumnos nobis commendatos esse iussit. Sed et nos eam abunde perspeximus ex geminis literis ad Academiam missis, qvarum priores Illustri et Generoso Filio informatorem qvaerebant, alterae missum (Dominum Magistrum Spiegelium intelligo) negocio illi idoneum commemorabant, et qvo ab Illustri persona nos minores iudicamus, pro eius missione gratias agebant.

His igitur et pluribus alijs argumentis adductus sum, ut qvum filio meo iam adolescentulo Patronos etiam in peregrinis locis, qvae, si vixero, me autore et svasore cum bono Deo suo tempore adibit, conciliare decreverim, Tuae Celsitudini mei qvalemcunqve notitiam facerem ea spe fretus fore aliqvando, ut filius meus, ubi Hungaricos tractus accesserit, Illustrissimae Celsitudinis Tuae clementiam, gratiam, favorem et promotionem ob hanc qvalemcunqve mei notitiam, qvi et ipse iam ante 20 annos Hungariae superioris partes perlustravj, experiri possit.

Qvae notitia mei humillimj, ut Celsitudini Tuae magis in memoria haereat, mitto haec tenuia magis ad scholae, qvam ad Aulae usum accommodata, qvibus aliqvando ceu symbolis, ut mei notitiam in clementissimam recordationem, si res ita vel filij vel alterius mei causa tulerit, sibj revocet, et meis gratia et clementia prodesse dignetur, humillime oro, et Celsitudini Tuae ad humillima servitia me promptum defero, eandemque cum omnibus suis et tota Hungaria mihi semper amata Dei omnipotentis protectioni commendo.

Dabam Wittebergae, a. diem 3./13. Novembris Anno 1614.

Illustrissimae Celsitudinis Tuae humillimus

Magister Erasmus Schmidt
Graecae et mathemathum Professor
et Alumnorum Electori Saxoniae Inspector

Címzés: Illustrissimo et Celsissimo Principi ac Domino, Domino GEORGIO Thurczonj, Regni Hungarici Palatino, Comiti de Bethlemffalva, Judici Cumanorum, nec non de Arva eiusdemque Comitatus supremo et perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino meo clementissimo humillime colendo.

Árva, II-S/ 4. fasc. Nro. 142. Autográf.

42.

Izák Láni Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1614. november 16.

A bölcs ókor három korszakot különböztetett meg három különböző emberi tulajdonsággal. Az elsőt a bölcsesség, a másodikat – amely Nimródtól Julius Caesarig tartott – a háborúság és harag jellemezte. A harmadik a testi gyönyör és vágyakozás jegyében zajlik. A háborúban férfias, de igazságos és az alávetettekkel méltányosan bánó Thurzó azok közé tartozik, akik ebben a korszakban pártolják a tudományokat. Hálálkodik azért, mert lehetővé tette számára a tanulást. Ígéri, hogy nem költi haszontalanul a pénzt Wittenbergben.

Illustrissime Princeps et Potentissime Comes, Salutem et benigna cum Numinis Divini aura rerumque uberrimo successu Illustrissimae Celsitudini Vestrae cum tota Illustri domo precatus meas preces, officia et studia paratissima offerro.

Tribus, Illustrissime Domine Palatine, Heros et Evergeta studiorum nostrorum optime, umanis viribus, triplex aevum sapiens vetustas in specie designasse legitur. Menti primam aetatem, in qua floruerit excellens sapientia, subtilis inventio rerum, gubernatio Reipublicae paterna, plena prudentiae et justitiae. Affectui seqventem gradu inferiorem, bellicosam et pronam ad iram, durantem a robustissimo venatorum duce Nimrodo ad Julium Coesarem. Qvem deniceps excepit tertia mundi aetas Voluptatis et Cupiditatum magis, qvam Mentis et Affectuum nutrix.

Quae in haec labentis ima secula praecipiti cursu, velut ex alto dimanavere, sed ita, ut ijsdem affluxerit abyssi quaedem scaturigo, luxuries ac libido, voluptasque perditissima. Voluptatum quidem exempla quotidiana, Bellorum gesta domestica rem ita se habere testari possunt. Quin imo cultores etiam Mentis informandae intra angustissimos ludorum parietes coarctati his in Mundi fecibus defecatis antiquitatem non tantum aemulari, sed et promto inveniendi acumine judicandique exquisita dexteritate multis apicibus et gradibus superare possunt.

Hic nimirum ultimus est conatus naturae jam in propinquo expiraturae, excitantis Patronos et Evergetas pro re tuenda et conservanda, qvalem sub hoc Arctoo orbe non postremum, et in nobilissimo Regno Hungariae juste et sincere dicendo Summum nobis dedit Illustrissimam Celsitudinem Vestram, Dominum nostrum faventissimum et clementissimum, qvem Deus et Natura ex aequo ornavit fortitudine virium in rebus bellicis peragendis, Justitiae rigore in subditorum actionibus moderandis, Animi vigore in studijs nostris promovendis.

Quod Munificentiae genus praestitit inter coeteros nobis etiam Illustrissima Celsitudo Vestra promotione honestissima data ad altiora visenda Musarum domicilia studiorumque vela continuanda.

Pro qva Heroica et Magnifica benevolentia ego humillimus Illustrissimae Celsitudinis Vestrae cliens gratias ago tantas, qvantas possum maximas, qvasve non tam verborum circuitus enarrare, qvam animi discursus concipere valet. Voto religioso adjuncto me, Illustrissimam Celsitudinem Vestram precibus meis tota cum Illustri prosapia inclusurum, sumptusque hosce non in inutilem usum, verum in finem praeconceptum (studiorum nimirum) asseqvendum conlocaturum: studiorumque vela ita directurum, ut expectationi Illustrissimae Celsitudinis Vestrae non παχυλως, sed pro ratione aetatis et judicij mei imbecillicis satis faciant.

Mea ego interea, ut et imposterum toto vitae meae curriculo, omnia servitia et officia Illustrissimae Celsitudini Vestrae promta paratissimaque offero, studiaque mea commendo, et cum tota Illustri domo ac familia Diuinae clientelae commendo beneque valere opto.
Dabam Wittebergae, in Musarum domicilio, 6. Novembris Juliani Anno 1614.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humillimus cliens et Alumnus
Isaacus Lany Thurocziensis

Címzés: Illustrissimo Comiti, Domino, Domino Georgio Thurzo de Betlehemfalwa, Comiti de Arva, ejusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Cumanorum Judici: Sacratissimi Principis, ac Domini Dominorum Matthiae II. Dei gratia Romanorum Imperatoris etc. Consiliario et per Hungariam Locumteneti etc. Domino ac Evergetae suo, omni observantiae cultu colendo.
Más kézzel: Exhibitae Byttchae 29 decembris 1614.
Árva, II-L/ 4. fasc. Nro. 117. Autográf.

43.

Jeremias Spiegel Balthasar Meisnernek
Biccse, 1615. január 3.

Meisner Paulinyvel küldött levelét és a legfőbb jóról szóló értekezést megkapta. János napig marad Biccsén. Ha indulásukkor a nádor Bécsben fog tartózkodni, szívesen megállna ott a héber nyelv gyakorlása kedvéért. Meisner könyvével a kapott utasításnak megfelelően járt el. Az ifjú grófnak retorikát, etikát és történelmet ad elő, szorgalmasan olvassák Cicerót. Köszöni a kálvinizmusról szóló disputációt. A nádor Nagyszombatba ment, ahol a haditanácsosokkal a törökökkel kötendő béke feltételeiről, Erdélyről és más, a királyságot érintő dolgokról tanácskoznak. Reménykednek a békében, mivel mindkét fél erre törekszik. Ali budai pasa ígéretet tett a károk rendezésére. Nauszuf pasa a Bethlentől elvett Lippát visszszaqdta az erdélyieknek. Ezt december 17-én írták meg. A Komárom alatt állomásozó Bucheim vezetése alatt álló német katonaságot feloszlatták. Kollonich úr még nem szabadult ki. Tudósítja a Nigroniusszal történtekről. Klesl élénken politizál. A jezsuiták szillogizmusaikkal izgatják a népet és uraikat, a szent dolgokat a profánnal keverik.

FELICEM FAUSTUMQUE ANNUM a domino Jesu. MAGNIFICE RECTOR, Vir Excellentissime.

Quas Magnificentia Vestra per Paulinum ad me misit litteras, eas cum doctissima illa dissertatione de summo Bono recte accepi. Et quamvis non cupiam optemve, ut Magnificentia Vestra gravioribus negotijs occupata longiores illas ad indignum me dedisset, mihi tamen succensèo, qui tam certa reditus mei incertissimi facta ante pollicitatione.

Novarum ibi-rerum cognitione, aut quae praeterea discere poteram, ipsemet mihi invidi, culpaque propria eripui. Haereo enim hic et haerebo ξυν θεω ad Johanneas usque Ferias, Rogante ita et miris modis solicitante Illustrissimo Domino Palatino, Domino mihi Clementissimo, eiusdemque Celsitudinis Filio Magnifico. Dominus Jesus porro adsit docenti discentijs. Si forte circa dimissionis meae tempus Viennae futurus est, ut facile poterit, Illustrissimus dominus Palatinus, ibi quoque subsistere aliquandiu et cum Judais linguae sacrae exercendae caussa conferre et conversari constitui. Magnificentiae Vestrae librum eo nomine, quo jussus sum, Magnifico domino Commilitoni meo obtuli. Carum donum fuit tum datoris autoritate atque affectu, tum etiam sui pretio et usu commendatum.

Versatur enim Comes in eo ipso studio ethicae et juxta Orationis Latinae exercitium, Historiarumque lectionem, officia Ciceronis studiose fructuoseque audit. Pro Disputatione de Calvinismo fugiendo gratias ago [ma]ximas, relaturus etiam si possem. Sed faxo tame[n], ut ingrati animi absolvar.

Publicarum rerum Nova nulla sunt, quae quidem ignorare Vos credam. Caetera hic in silentio et suspensa pleraque. Illustrissimus Palatinus, Dominus noster Clementissimus cum Caesareae[?] Regiae majestatis per Hungariam Consiliarijs et domino e [...] Consilij bellici praeside, Tirnaviae propediem conveniet, deque conditionibus Turcae et Transsylva[niae] proponendis alijsque ad statum Regni pertinenti[bus] concludet. Pacis continuationem certo speramus. [Non] enim Caesar noster ullam provinciam habet ad belligeram inclinatam promptamque, neque Turca quicquam praeter pacem expetit. Hali, Bassa Budensis, suum in con[...]ntis ambos Imperatorum animis studium prolixe legatis[?] huc missis commendat. Promittit etiam detrime[nto]rum, quae durantibus Indicijs accepissemus, aequam ab Imperatore suo, compensationem. Et [nunc] quid prae se ferre dicam, quod Tyrrannus arcem [Trans]sylvaniae Lippam a Bethlenem Gabriele <alienatam> per Bas[sam] Naussuff, Caesaris generum alienatam, Transsylvanis restituerit. Ita enim die 7./17. Decembris huc scriptum est. Mirati cum Illustrissimo domino Palatino sumus omnes rem Turcarum mori contrariam, nullis quam illorum historijs notam. Miles Germanicus, qui hactenus non longe a Comarrino sub Capitaneo domino a Bucheim castra hab[et], exauctoratus nunc dimissusque est. Dominus Kol[lo]nitsh nondum captivitate liberatus est. Pontificij, ut ex alio adeoque perpetuam moram nectunt.

Nigronius perfidiam in legationem ad Portam Ottoman admissam [...] propediem luet.

Illustrissimus dominus Gleselius in negotijs politicis est supra modum et

crepidam occupatus. Pudeat nostros Theologos, qui nihil praeter Biblia et pacis negocia tractare norunt. Jesuitas adeant et illos extemporaneae doctrinae atque eruditionis etiam belli[cosos?] professores, qui <...> syllogismis et conclusionibus suis populos populorumque dominos provocare sciunt. Classicum canunt ut tuba, nec cessant summa infimis sacra profanis miscere. Sed longior fui, quam volui, fortan etiam, quam debui, loquacior ac molestior.

DEO optimo maximo Magnificentiam Vestram cum Academia celeberrima commendo, utque Eadem me quoque quamvis indignum, quam commendatissimum sibi habeat, etiam atque etiam peto. Bene Vale.
Bitchae Hungariae, III. Nonae Januarij Anno 1615.

Magnificentiae Vestrae dedictissimus

Magister Jeremias Spiegelius
manu propria.

Reverendus atque Excellentissimus Dominus, Dominus Balduinus, quem ego virum summopere veneror, a me salveat. Salveto etiam Magnifica Vestra domina Socrus, Uxor et Affines.

Címzés: MAGNIFICO, Reverendo atque Excellentissimo Viro, Domino Balthasari Meisnero, RECTORI et Sacrosanctae Theologiae Professori Publico in alma Wittebergensi Academia. Domino Praeceptori et Fautori meo colendissimo.
Hamburg, sup. ep. ff: 32-38. Autográf.

44.

Eliás Láni Balthasar Meisnernek
Biccse, 1615. január 13.

Megköszöni Meisner levelét és a kálvinizmusról szóló értekezését, valamint fiáról való gondoskodását. Magyarországon a török betörésekkel próbál érvényt szerezni akaratának. Bethlen erdélyi fejedelemmé tétele a magyar korona elleni bűn. Thurzó békére törekszik a törökkel az adózó falvak ügyében, míg a katolikus főpapok és főurak folyvást fegyverért kiáltanak. Az egyik katolikus főúr mindenáron erdélyi fejedelem akar lenni. Tartani kell a háborútól: a hajdúk és kozákok már gyülekeznek a Tisza körül. Az evangélikus egyházak sértetlenek. Weigmann úr levelét és a Paulini távoztakor neki küldött könyveket most küldi el.

Reverende, clarissime, et excellentissime vir, domine fautor et amice observandissime, salutem et prosperum animi labentis cursum, aliorumque multorum recursum Reverendae Dominationi Tuae amico pectore optans, omne meum studium et operam defero.

Literae Reverendae Excellentiae Tuae triplici nomine gratae mihi fuerunt. Primo quidem, quod fores amicitiae suae mihi Reverenda Excellentia Tua tam prompte aperit, deinde, quod symbolum etiam ejus rei sane scitum et elegans disputationem de Calvinismo transmittit, tum autem, quod filij mei Isaaci

studia juvare se pro virili scribit. Magna profecto apud me omnia, sed inprimis ipsa tanti viri et Theologi amicitia, ex qua, velut e fonte, posteriora duo emanant. Pro quibus, quid contra vel polliceri vel reponere possim, praeter animum reciproci amoris et gratitudinis plenum non reperio. Hoc citra ruborem ajo, me scripta Meisneriana non solum cum voluptate, verum etiam cum eximia vtilitate et profectu evolvere, alijsque volvenda commendare. Utinam tertiam quoque sobriae Philosophiae partem in aspectu luceque homini felix quaepiam dies sistat. Sed et priorem sacrae ανθροπολογιας partem adhuc desidero. Intelligo autem eam recusum iri, quod, vt fiat, etiam atque etiam oro.

Quantum ad studia Isaaci mei, ea vt probari et curae esse Reverendae Excellentiae Tuae mihi tam volupe est, vt in hisce rebus mundanis nihil magis esse possit. Quod vt in posterum quoque faciat, summopere rogo cum propter suam apud nos existimationem gratamque nominis celebrationem tum propter Christum, qui dixit: Qui receperit vnum e minimis hisce, me recipit.

Caeterum ago Reverendae Excellentiae Tuae ingentes gratias, quod ad vlteriorem filij mei promotionem a Domino Palatino nostro impetrans suam offerat operam. Expectabimus meo judicio adhuc modicum, dum videamus, quid valetudo Isaaci, quid mea vel domini Palatini conditio in hac mortalitate et perpetua rerum Hungaricarum vicissitudine férat.

Nam, vt de statu Hungariae aliquid attingam, quandoquidem Turca de pagis tributarijs controversiam movet, et in excursionibus multa hostiliter agit perperam intellectis conditionibus vicennalium induciarum, ausus est insuper sua ipsius autoritate profugum Transsylvanum nobilem, Gabrielem Bethlen, Transsylvaniae Vaywodam constituere in manifestum praejudicium coronae Hungaricae metuimus omnino, ne rupta pace bellum adversus T[ur]cam et Transsylvanum recrudescat. Illustrissimus Dominus Palatinus toto hactenus in se contendebat, vt per emissos a Caesare Comissarios controversia potissima de pagis tributarijs cum Turca componeretur, postea etiam cum Gabriele Bethlen peculiariter ageretur. Sed Praelati et Magnates quidam Pontificij: Arma, Arma, concrepabant, et adhuc concrepant. Quia vero in tale bellum neque Hungaria, neque Bohemia, neque aliae confoederatae provinciae consentire et subsidia Suae Majestati decernere voluerunt, non erat hucvsque modus gerendi belli. Nunc exortus est quidam ex Pontificijs Proceribus, qui Vaywodatum Transsylvaniae ab Imperatore nostro conferri sibi expetit et proprio gladio Transsylvaniam se subacturum, Regnoque Hungariae conjuncturum pollicetur. Ut de novas turbas, et civile, imo Turcicum quoque bellum valde formidamus, praesertim cum vtrinque multi Haydones et Cosaci ad Tybiscanam oram congregati habeantur. Deus misereatur nostri, et dissipet Gentes, quae bella volunt. Orate, quaeso, pro pace nostra.

Alioqui status Ecclesiarum Augustanae Confessionis, Deo sint gratiae, est mediocris. Qualis in Germania Vestra sit, praesertim in Marchia et Neoburgico Ducatu, sub recentibus Apostolis scire avide avemus.

Literas Domini Weigmanni mox a discessu Paulini ad me missas cum nonnullis libellis nunc transmitto. De caetero me Clarissimae Dominationis Tuae amori, eandem vero curae Altissimi commendans feliciter valere et florere opto. Dabam Bitschae, 13. Januarij Anno 1615.

Reverendae Excellentiae Tuae addictissimus in Domino
Elias Lany
Ecclesiae et Aulae Bitschensis Pastor
Comitatus Trenchiniensis, Liptoviensis et Arvensis Superintendens

Címzés: Reverendo, doctissimo et longe celeberrimo viro, Domino Balthasari Meisnero, Sacrosanctae Theologiae doctori et Professori in Academia Vitebergensi publico, longe dignissimo, domino fautori et fratri per Christum Jesum mihi observando.
Hamburg, Sup. ep. ff: 95-96. Autográf.

45.

Balthasar Meisner Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. január 22.

Köszönetet mond Thurzónak, mert a hitnek és a hit ápolóinak szolgálatokat tesz. Cselekedeteit örök hírre méltónak ítéli. Örömmel irányítja az alumnusok tanulmányait.

COMES ILLIUSTRISSIME, Domine Clementissime.

Quo pauciores sunt, qui vel de pura religione, vel de cultoribus eiusdem bene mereri gestiunt, eo majori laude Celsitudinem Vestram prosequendam esse censeo. Ponit illa partem laetitiae suae in his meritis, et ponere Se apud me indignum ingenue profitetur. O, exemplum Pietatis et Humanitatis rarissimum, praesertim in tam sublimi honoris gradu! Benedicat ob id Jehovah noster, repleat longitudinem dierum, successum det consilijs, ut videat Celsitudo Vestra Ecclesiam pacatam et puram Religionem longe lateque propagatam. Ego cultor ejusdem minimus benedictionem et victoriam hanc laetus aspiciam et in Famae templo tabulam Honori vestro sacratam humilime suspendam: COMES GEORGIUS THURZO, RELIGIONIS PURAE VINDEX ACERRIMUS, LITERATORUM PATRONUS MAGNIFICENTISSIMUS, PRINCEPS FELICISSIMUS, HEROS INCOMPARABILIS.

Voto vim addat Altissimus, qui Celsitudinem Vestram in veritatis patrocinium, et confusionem hostium conservet florentissimam, Cui non tantum promptitudinem in dirigendis alumnorum studijs, sed quaevis alia servitia paratissime oblata volo.

Dabam Wittebergae, ad diem XXII. Januarij MDCXV.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humilimus servus
Balthasar Meisnerus Doctor

Címzés: Illustrissimo et Celsissimo Comiti ac Domino, Domino GEORGIO THURZONI de Betthlenfalwa, Regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, nec non de Arwa Perpetuo

et Supremo Comiti, Sacratissimae Caesareae ac Regiae Maiestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti, Domino suo clementissimo.
Idegen kézzel: Exhibitae sunt Bitsae die 22. Februarij Anno 1615.
OL E 196. 37. cs. 7.sz. Autográf.

46.

Izák Láni Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. február 1.

A tudományok és a teológia romlásának okát fejtegeti. Etikával és fizikával, mely tudományok az élet alaptörvényéhez, a teológiához vezetnek, korábban a vitatkozások alkalmával foglalkozott. Ezen stúdiumok bizonyítékát, fizikai dolgozatát Thurzó Imrének dedikálva elküldi. Teológia előadások híján részint privát studiumokon, részint filozófiai gyakorlatokon és privát teológiai disputációkon vesznek részt, melyeket Jakob Martininál tartanak. Egészségi állapota lassanként javul.

Illustrissime Domine Palatine, Comes et Musageta noster celeberrime. Benigno cum afflatu Divino felicique eventu rerum publicarum, Salutem benignissimam Illustrissimae Celsitudini Vestrae precatus, mea humilia officia, servitia, studia, preces quotidianas offero.

Qvam fraudem, Illustrissime Domine Palatine, Musageta studiorum nostrorum humillime honorande, Disciplinis omnibus tempora senescentis naturae fecerint, ut uno quidem in loco multis velut falce qvadam amputatoria resectis eas mutilas et truncatas effecerint, alibi vero assutis multis dissimilaribus eas monstrose auxerint, coetera ita de sua sede luxarint, ut nullum fere membrum suum sibi convenientem situm retinuerit, sed omnia suis sedibus a natura et arte assignatis exturbata, in aliena loca sese receperint. Hoc idem infortunium Theologiam quoque sacrate venerandam arripuit per infelicissimum Satanae partum Pontificem Romanum et αλλοιωσιν Zwinglianam.

Cum etiam Theologia ejusmodi in collatione ad alia sortita esset locum, ut in confinio, qvasi omnium Disciplinarum constituta nullis earum terminis circumscriberetur, factum est, ut limitibus sive confusis, sive sublatis multa in eam irrepserint Heterogeneae fundamento scripturae postposito fundamento naturae.

Qvare Theologi sincerioris divinae Mixturam hanc dissimilarem separandam suscipientes, relicturi quaevis in sua naturali sede, Tyrones Theologiae primum omnium armis pugnandis instruunt hebetioribus, laethales ictus non facientibus exercitijs Philosophicis, post, ubi necessitas postulat, exercitatos periculosiori navigio Theologicis disputationibus committunt.

Horum igitur praescriptum ego secutus Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humillimus cliens Ethicis et Physicis me hactenus commiseram Disceptatorijs Ludis pro commodiori aditu ad fundamentalem nostrae vitae semitam Theologicam. In quorum studiorum infallibile τεκμηριον, meas Positiunculas Physicas Mitto et Dedico Magnifico Domino Comiti Emerico, filio Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, Domino meo clementissimo: non aestimans dignas esse has Theses Dedicatione Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, tum ob materiae humiliorem

conditionem respectu Theologiae, tum ob paucitatem chartularum, summamque praestantiam et conditionem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, qvem Deus et Natura summum, et nemini comparandum in Regno nobilissimo Hungariae, voluit esse Heroam et Principem. Theologis silentibus, nullis nos publicis adjungere possumus Collegijs: defectum recompensaturi partim studijs privatis, partim exercitijs Philosophicis, et privatis disputationibus Theologicis apud Dominum Jacobum Martini habitis, eo, quo pro ratione aetatis nostrae juvenilis, fieri poterit maximo modo.

Vires valetudinis meae concussae, nonnihil restauratae sunt: etiamsi privatam omnes nostrae gentis studiosi vitam agamus, proprie evitandas occasiones turbarum, qvales quidem hactenus exortae fuere, modo vero nonnihil sedatae.

Coeterum Illustrissimam Celsitudinem Vestram, tota cum Illustri domo et familia, Divinae protectioni commendo, meaque studia, officia, preces denique quotidianas, quovis loco et tempore, paratissimus humillime offero, meque insuper sub protectionem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae commendo.
Dabam in Leucorea ad Albim Academiam, 22. Januarij Juliani Anno 1615.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humillimus cliens
Isaacus Lany Thurociensis
Alumnus Palatini

Címzés: Illustrissimo ac Celsissimo Comiti et Domino, Domino Georgio Thurzo de Betlehem-falwa, Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus Arvensis supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Cumanorum Judici, Sacratissimi Domini, Domini Matthiae, Dei gratia Imperatoris Romanorum etc. intimo Consiliario et per Hungariam Locum-Tenenti etc. Domino meo benignissimo ac Musagetae omni observantia cultu humillime colendo.
Idegen kézzel: Exhibitae sunt Bitchae die 22. Februarij Anno 1615.
OL E 196. 24. cs. 1. fasc. Nro. 176. Autográf.

47.

Izák Láni Thurzó Imrének
Wittenberg, 1615. február 1.

Köszönti a grófot, mint tanulmányainak pártfogóját. Magasztalja a családot, csodálja a nádort. Imrében fokozódott az apjától és nagyapáitól öröklött kiváló virtus, ehhez járult még nagy tehetsége és a szabad művészetekben való jártassága. Patrónusa, Imre iránti hálája jeléül írását, amelyben az úrvacsora kérdésével foglalkozik, neki dedikálja. Néhány napja összetűzés volt az egyetemisták és a polgárok között. Még fegyveres összecsapásra is sor került. A magyarok ettől távolmaradtak.

Spectabilis ac Magnifice Comes, Domine mihi clementissime Fautorque studiorum meorum maxime, Salutem benigno cum afflatu fortunij rerumque felicissimo successu Magnificae Dominationi Vestrae precatus, officia et servitia mea quovis tempore et loco promptus paratissimusque humillime offero.

Non abs re, Spectabilis ac Magnifice Domine Comes, gratulatur Juno Pannoniae et Apollo Lycaei cujusvis Hungarici, sibi, seculo, doctrinae ac virtutj. Sibi: quod intra pomeria sui regni nobilissimi alat Potentem ac Magnanimem Heroam, antiqui simul ac nostri temporis praestantissimo cuique Principi ingenio, doctrina, virtute et eloquentia comparandum.

Seculo: quod Spectabilis ac Magnificae Dominationis Vestrae hoc exemplum praeteritis seculis opponere, praesenti proponere et ad venturam posterorum aetatem, velut splendidissimam Hungaricae generositatis et magnanimatis facem praeferre possit. Virtuti denique ac doctrinae: dum praeter illustria exempla heroici animi ornamentum insigne ac plenum constantis fiduciae patrocinium in Magnifica Dominatione Vestra videt esse paratum. Quod ingens omnino decus Illustris familiae Thurzonianae est, habentis continuo successu heroas virtutis, prudentiae, eruditionis, rerum denique bellicarum studiosissimos et peritissimos. Id quod patet cum exemplo Spectabilium ac Magnificorum Dominorum non ita multis annis ab hinc in spe salutifera obdormientium, tum vel maxime Illustrissimj ac Celsissimi Domini Palatinij, Domini Patris Magnificae Dominationis Vestrae, dominj mei clementissimj, cujus arduum atque sublime de rebus imperij judicium, fortitudinem admirabilem, rei bellicae peritiam, excelsum denique animi robur in tuenda religionis libertate et veritate maximo cum mentis stupore admiramur.

Hanc in Spectabili Magnificentia Vestra Avitam et Paternam virtutis excellentiam auxit Divina benignitas, superaddens ingenij et judicij summam vim, excellentem eloqventiam, disciplinariumque liberalium cognitionem. Qvas dotes non sôlus ex affectu aliquo levi (ut pote qvem natura et educatio ab omni adulatione sivit esse alienum) de Spectabili Magnificentia Vestra praedico, verum ex animj debita subjectione et gratitudine, studiorumque declarando profectu, benefactori suoque Evergetae, Patrono ac Fautori aeternum colendo.

In cujus rei signum evidentissimum mea haec studiorum Academicorum prima Tyrocinia Phisica Magnificae Dominationi Vestrae, Domino meo benignissimo, qua possum, optima verborum forma cum ipso hoc animo ingenioque meo Dico et Dedico, spe bona ductus hanc meam quoque Dedicatiunculam Magnificae Dominationi Vestrae non ingratam futuram, praesertim id fecerim certis de causis, sive Dominum Patronum, sive ipsam Materiam contentam spectem, quae ut in genere nervus et thesaurus totius Philosophiae, sic in specie praesens thema fundamentum discordiarum Philosophicarum inter Theologos Augustanos et Helwetianos (de Localitate et Vbiquitate carnis Christi in λογον non locum assumptae) merito dicitur.

Coeterum Illustrissimum ac Celsissimum Dominum, Patrem Magnificentiae Vestrae, Dominum meum clementissimum, mea quod non modo salutem thesium Dedicatione, causae ut aliae plurimae animi intentionem inpedientes fuere, tum vel maxime defectus Theologicae materiae (propter silentium Dominorum Doctorum), cujus solum themata dedicanda esse ad imitationem praecedentium Alumnorum Illustrissimo Domino, Patri Magnificentiae Vestrae duxi.

Nova publica sub hac quietiori parte orbis Arctici nulla, praeterqvam diebus ab hinc aliquot insurrectionem totius Academiae contra Wittebergenses cives

factam esse, re in tantum excrescente, ut explosione bombardarum pars alterutra se ex Curia defenderet. A quibus tamen turbis alieni esse voluerunt nostrae gentis studiosi.

In reliquo Spectabilem Magnificentiam Vestram cum Illustrissimo Domino Patre, Fautore nostro benignissimo et Domina Magnifica Matre, domo denique illustri tota Divino commendans Numinj, mea officia, servitia preces denique quotidianas quovis tempore humillime offero.
Dabam Wittebergae, 22. Januarij Juliani Anno 1615.

Spectabilis Magnificentiae Vestrae humillimus cliens
Isaacus Lany Thurociensis
Alumnus Illustrissimi Domini Palatini etc.

Címzés: Spectabili ac Magnifico Comiti et Domino, Domino Emerico Thurzo de Betlehemfalwa, Comiti perpetuo de Arwa ejusdemque Comitatus supremo et perpetuo Comiti, Filio Illustrissimi Domini Palatini etc. Domino meo clementissimo et Evergetae suorum studiorum honore debitaque animi subjectione proseqvendo.
Árva, II/3. Nro. 129. Autográf.

48.

Leonhard Hutter Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. március 15.

Thurzó leveléből értesült arról, hogy az megkapta Hospinian ellen írt dolgozatát. Híven és szorgalmasan gondoskodik alumnusairól.

Illustrissime, Spectabilis ac Magnifice Domine Comes, Domine Clementissime. Salutem et officia, qua par est, animj submissione semper paratissima.

Si, Illustrissime, Spectabilis ac Magnifice Domine, Domine Clementissime, Celsitudinis Vestrae amplitudinem metirj voluero, nihil profecto vel in me, vel in meis laboribus invenietur, quod tanto sit fastigio dignum et, si contra singularem illam et vere admirandam Celsitudinis Vestrae humanitatem cum vera pietate conjunctam intuerj liceat, quae non donum, sed animum, non personam, sed rem aestimare solet, nullum mihi est dubium, quin clementissimo affectu et legat, et accipiat, qua a me mittuntur animo Celsitudinis Vestrae observantissimo. Et sane mea haec sententia me minime fefellit. Quam serena enim et clementj affectione Celsitudo Vestra Anti-Hospinianum meum nuper transmissum exceperit, ex literis eiusdem non sine insignj voluptate cognovj. Equidem tanto magis Celsitudinj Vestrae ad quaevis studia et officia devinctum me obstrictumque fateor, quanto laborem illum meum, tanto honore inferiorem esse judico. Proinde sic velim, Illustrissime Princeps, statuas tanto maiore etiam fide ac diligentia me curaturum, quicquid ad ornandos juvandosque Celsitudinis Vestrae alumnos nobiscum degentes pertinere arbitratus fuero. Interim Celsitudinem Vestram una cum filio Spectabilj ac Magnifico, Domino Comite EMERICO THURZONE totum-

que florentissimum regnum Hungariae divinae misericordiae animitus commendo, supplex eandem Veneratus, ut quam ad statum pacatum et tranquillum, ad pacem et concordiam firmiorem, ad Religionis purioris incrementum, ad consiliorum successum salutarem facere possunt, ea singula atque universa impertire vobis dignetur.

De caetero Celsitudo Vestra recte feliciterque vivat, valeat, floreat annis quam plurimis, meque clementiae suae aura prosequi pergat.
Scripsi Wittebergae, die 15. Martij Annj 615.

Illustrissimam Vestram Celsitudinem submisse colens
Leonhardus Hutterus Doctor
manu propria

Címzés: Illustrissimo Spectabilj et Magifico Domino, Domino Comiti GEORGIO THURZONI de Betthlenffalwa, Palatino Regnj Hungariae, Judicj Cumanorum nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus Arvensis supremo ac perpetuo Comitj, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestatis Intimo consiliario et per Regnum Hungariae locum tenentj etc. Domino suo Clementissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bichae 29. Aprillis 1615.
Árva, II-H/ 40. fasc. Nro. 32. Az aláírás autográf.

49.

Eliáš Láni Balthasar Meisnernek
Biccse, 1615. március 16.

Nem lehet eléggé hálás azért, hogy Meisner fiát és annak tanulmányait jóindulatú figyelemmel kíséri. Örömet okozott neki az a hír, hogy Meisner hivatali teendőitől megszabadulva ismét a szent tudományoknak szenteli magát. Köszöni a jó hírt az őrgrófság egyházairól. Nemcsak neki fontosak Meisner levelei, hanem a nádornak is, aki külön csomóba gyűjti a professzorok leveleit. Magyarország és az evangélikus egyház helyzetéről fiának írt leveléből értesülhet.

Reverende et longe clarissime vir, Domine fautor et per Christum Jesum frater observande.

Dupliciter delectatus sum Reverendae Celsitatis Tuae literis, primo quidem propter res, quas continebant privatas, deinde propter publicas. Privatas voco significationem paternae Tuae erga filium meum benevolentiae, et studiorum ipsius curam sane fidelem, quam ipse etiam Isaacus satis depraedicare nequit. O, me felicem hoc tanto amico, o, feliciorem filium tanto talique Curatore, quem merito ingenij sui parentem perpetuo dixerit, perpetuo coluerit. Equidem vna cum ipso gratiae referendae perpetuum me debitorem voveo, modo sciam, quo genere officij tanta Reverendae Celsitatis Tuae merita reponere debeam. Studium certe gratificandi promptissimum offero.

Quantum ad publicas res Ecclesiae, pergratum mihi lectu fuit, quod Clarissima Dignitas Tua scribit, se post exantlatas officij Rectoratus et Decanatus

molestias tam ανθροπολογιας sacrae, quam sobriae Philosophiae partem tertiam elucubraturam. Promoveat Deus propositum, equidem jam nunc appetitum ad editionem earum paratum gero, postmodum famem (vt ita dicam) integram allaturus. Non minus gratus volupeque est, quod Reverenda Celsitas Tua de Ecclesijs Marchicis bonam spem habet, et nos simul bene sperare jubet. Magnus ille ovium suarum Pastor ac Redemptor constantes confirmet, aegras sanet, errantes reducat, vt verbum ipsius currat et glorificetur, regnum autem Satanae evertatur. Qua de re, si me etiam per hunc praesentem tabellarium certiorem observandissimus dominus frater fecerit, nihil mihi fecerit gratius. Et quid dico mihi? Ipsi quoque Illustrissimo domino Palatino meo, qui literas vestras, hoc est, dominorum Professorum in peculiarem arcam colligit thesauri loco et honestissimae memoriae causa posteritati relinquendas. Quare, si quid suorum Scriptorum ei dedicare, vel literarum dare ad eum libuerit, ego sancte recipio totum id cum honorifice, tum libenter acceptum iri.

Statum Regni Hungariae et orthodoxarum in eo Ecclesiarum si cognoscere non displicet, ex his, quae ad filium perscripsi, liquide cognoscet. Ego Reverendum et Excellentissimum dominum plus justo occupatum satis et ipse occupatus, non occupabo, De caetero Deum pacis veris genitibus veneror, dignetur Germaniae Vestrae, imo nostrae pacem auream restituere, puras et orthodoxas Ecclesias cum Academijs et Scholis calore gratiae suae fovere, et singulariter Reverendam Clarissimam Dominationem Tuam pro publico vsu Scholarum atque Ecclesiarum quam diutissime conservare et benedicere. Amen. Vale, Vir Reverendissime, meque quod facis, ama vna et Isaacum meum.
Dabam Bitscha, 16. Martij Anno 1615.

Clarissimae ac Reverendissimae dominationi Tuae omni observantia et fide addictissimus

Elias Lany Superintendens

Címzés: Reverendo, Clarissimo, variarum rerum scientia Sacrarum literarum noticia Excellentissimo Domino Doctori Balthasari Meisnero in Academia Wittebergensi Professori Celeberrimo, fautori perpetim Honoratissimo. Witeberg.
Idegen kézzel: I. Lanj Tornovius.
Hamburg, Sup. ep. ff: 14. autográf.

50.

Friedrich Balduin Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. március 23.

Magasztalja a nádor bölcsességét és kegyességét. Neki Passio Typica, fiának pedig a De Antichristo című írásának bővített és újbóli kiadását küldi el. Ajánlja szolgálatait.

Gratiam ac pacem a Deo per Jesum Christum, Filium suum in unitate Spiritus Sancti una cum humillimis meis obsequijs ac officijs.

Illustrissime ac Generosissime Comes, Domine Clementissime. Quum primum animum ac calamum hunc ad scribendum appuli, vehementer equidem dubitavj, an intra molestiae limites me continerem, si Tanto Heroj inconditis meis literis et fere absque argumento scriptis molestias crearem. Sed cum considerarem, quid Salomoni Regum omnium sapientissimo acciderit, qui virtute sua etiam ex remotissimis oris aliquis, forte etiam tenujeris sortis homines excivit, qui tanti Regis favorem gratiamque et anxie appetiverunt, et feliciter impetrarunt, aliqvem tantum excusationem hanc meam audaciam habituram confisus sum, si a Proregis magni Regni Hungariae et sapientissimi, et pientissimi splendore illustri tenebris meis aliquid luminis humilitate debita irem mutuatum. Ea enim est et pietatis, et Zeli in religionem sinceram, et eruditionis Tuae apud nos et constans fama, et praeclara praedicatio, quae Bonos omnes, imprimis Religionis Orthodoxae et bonarum literarum studiosos in Tui admirationem rapit, votaque pro Tua Tuorumque incolumitate fusa calidiora facit. Inter quos quod et ego servorum Christi infimus adrepo, meamque in Te, Prorex inclyte, pietatem ac observantiam hoc chartarum involuto utcunque significo, spero veniam me meriturum, quia pietatis opus est, quin et favorem gratiamque aliquam, qvia ex debita humilitate profectum, in cujus testimonium adjunctum libellum Passionem Typicam superiori anno publicatum Illustrissimae Tuae Generositati, Ejusque generosissimo Domino Filio alterum De Antichristo jam locupletius iterata editione manu missum magna cum reverentia offero, vehementer rogans, ne hoc munusculum, verum pij affectus indicem Illustrissima Vestra Generositas aspernetur, sed clementi vultu accipiat, meque gratiae favorisque sui aura dignetur.

Quod si vixero, et Dominus Deus meus volverit, faciam fortasse, ut alia quoque in re Illustrissima Tua Generositas intelligat me nominis sui fuisse quam studiosissimum.

Quod restat, Deum pacis ac veritatis ex animi sententia supplex veneror, ut jnclytam patriam vestram, murum Germaniae nostrae, et Te in Ea, Prorex Inclyte, ab omnibus corporis omniaeque hostibus quam diutissime salvum incolumemque praestet id, quod serio precor, mecumque quotidie precatur Ecclesia nostra, neque de clementi exauditione Altissimi dubitamus. Valeat Illustrissima Tua Generositas in Domino.

Wittebergae, a. d. 23. Martij Anno Christiano 1615.

Illustrissimae Tuae Generositatis devote addictus
Fridericus Baldvinus Doctor
manu propria

Címzés: Illustrissimo ac generosissimo Domino Comiti GEORGIO THURZO de Betthlenffalwa, Regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis jntimo Consiliario et per Hungariam locumteneti etc. Domino suo clementissimo.

Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 29. Aprillis 1615.

OL E 196. 24. cs. Nro. 44. Autográf.

51.

Leonhard Hutter Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. május 29.

Thurzó levelének kézhezvétele napján ír. A nádor leveléből megtudta, hogy fiát az ő egyetemükön akarja a tiszta vallásban megerősíteni. Ennek érdekében Hutter mindent meg fog tenni. A további tennivalókról kollégái fogják tájékoztatni.

Illustrissime Generossissimeque Comes, Domine debita animi subjectione colende. Salutem et perpetuam officiorum promtitudinem offero, polliceor, confirmo.

Literas Illustrissimae Excellentiae et Dominationis Vestrae hoc ipso die mihi redditas non modo summa animi submissione legi, sed et ex illis cognovi id, quod cognitu longe erat gratissimum. Neque enim hoc quidem tempore majus ornamentum Academiae nostrae obtingere posse statuo, quam quod ex adventu Illustrissimae Celsitatis Vestrae Filij unici et charissimi, Spectabilis ac Magnifici Comitis, Domini Emerici Thurzó de Betthehemffalwa, Comitis perpetui de Arua ejusdemque Comitatus supremi ac perpetui Comitis etc., Domini mei clementissimi propediem ipsi eventurum intelligo. Jam cum inter reliqua laudatissimi regni Hungariae munimenta et columina principem facile locum obtineat purior RELIGIO, sine qua mancum et ignobile merito censetur, quicquid hoc in mundo alias excellere videtur, laudem utique et gloriam sempiternam meretur Illustrissimae Celsitudinis Vestrae singularis cum et affectio, quae ut charissima patria Hungaria certum et quasi haereditarium haberet Orthodoxae Religionis Christianae praesidium et asylum, Illustrissimum Filium in capitibus potissimum pietatis et sincerae fidei apud nos magis magisque confirmari decrevit. Qua sane in parte Illustrissimae Vestrae Celsitati meam ego opellam et officium studio, quo possum, maximo offero et polliceor operam daturus sedulo, ut fidem et industriam meam, nec non submissum grati animi affectum reipsa probem et testatum faciam. Ipse vero DEUS impleat spem nostram et tum itineris, tum studiorum successum largiatur felicissimum exoptatissimumque.

De reliquis hanc ad rem necessarijs prolixe perscribent Domini Collegae mei, quibus haec cura singulariter ab Illustrissima Vestra Celsitudine est demandata.

Quod reliquum est Illustrissimam Vestram Spectabilitatem et Magnificentiam una cum Filio Generosissimo totoque inclyto regno Hungariae divinae protectioni ex animo commendo.
Scripsi Witebergae, die 19. Maij Stilo vetero Anno 1615.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ex officio addictissimus
Leonhardus Hutterus Doctor
manu propria

Címzés: Illustrissimo, spectabili et Magnifico Domino, Domino Georgio Thurzo Comiti de Bettlehemffalwa, Palatino Regni Hungariae, Judici Cumanorum, nec non de Arwa perpetuo ejusdemque Comitatus Arvensis supremo ac perpetuo Comiti, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis intimo Consiliario et per Regnum Hungariae Locumtenenti etc. Domino suo qua par est submissione colendo.

Árva, II-H/ 40. fasc. Nro. 58. Autográf.

52.

Balthasar Meisner Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. május 30.

Kegyes dolog az, hogy Thurzó fia megfelelő taníttatásán fáradozik, és hogy éppen a wittenbergi egyetemet és Meisner személyét választotta erre a célra. Biztosítja szolgálatairól. Thurzó kérésére érdeklődött a fejedelmi tanácsosnál, aki véleményét a kapitány leveléhez csatolta, és a többi úr véleményét is kikérte. Ha javaslataik nem felelnek meg Thurzónak, szívesen alkalmazkodnak további igényeihez.

ILLUSTRISSIME COMES, DOMINE CLEMENTISSIME, Gratiam et pacem cum humilima servitiorum pollicitatione ex animo precor.

Ex vestris iterum rarae tum pietatis, tum clementiae documentum clarissimum conspexi.

Pietatis est, quod Celsitudo Vestra in rectam educationem Spectabilis et Magnifici Comitis Emerici Thurzonis, filij et haeredis vestri unici, Domini mei clementis et gratiosi tam solicitam curam impendit. Clementiae est, quod nostram prae alijs Academiam, cui Filium committeret, selegit, meamque tenuitatem ad id requirendam rogandamque duxit.

Magna sunt haec propensissimae voluntatis argumenta, ut vel hoc solo nomine ad quaevis servitia me obstrictum obligatumque esse fatear. Expeditum igitur dedi humiliter, quod Celsitudo Vestra imperavit, et Quaestoris Electoralis mentem cum caeteris Dominis, quorum consilium requisitum est, exploravi, qui scripto literis Capitanei inserto sententiam suam exposuit. Quae si Celsitudini Vestra placuerit, nobis gratulabimur, sin minus, lubenter ad vestrum praescriptum de alia conditione cogitabimus.

Deus, qui in Altis habitat, Magnificum filium vestrum incolumem salvumque educat, et coelestis militiae comitatu ad nos deducat, ut aetate crescat et Sapientia, paternisque vestigijs insistens Ecclesiae fiat futurum et universae patriae stabilimentum. Audiat hoc calidum votum Altissimus, cui Celsitudinem Vestram una cum filio Magnifico et tota prosapia illustri ex animo et devote commendo. Dabam Wittebergae, die XX. Maij MDCXV.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humilimus servitor
Balthasar Meisnerus Doctor

Címzés: Illustrissimo et Celsissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzoni de Betthlemffalva, Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, nec non de Arva perpetuo eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti, Domino meo clementissimo.

Árva, II-M/ 19. fasc. Nro. 60. Autográf. v

53.

Friedrich Balduin Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. május 31.

Örömmel értesült arról, hogy művét Thurzó kedvezően fogadta. Leveléből tudja, hogy fia a wittenbergi egyetemre készül. Andreas Uswaldnál eljárt Imre ügyében. Ennek a kapitány leveléhez csatolt írásából értesülni fog a tanulmányúttal kapcsolatos teendőkről.

Illustrissime Generosissimeque Domine, Domine gratiosissime, Illustrissimae Tuae Dominationi a Deo praepotenti gratiam ac pacem cum omnibus animi corporisque bonis ex sententia precor, et humillima officia mea offero.

Argumentum satis illustre magnae humanitatis e summo honorum fastigio sese demittentis ex literis Illustrissimae Tuae Generositatis perspexi, quod nisi debita gratae mentis significatione agnoscerem, ingratissimi hominis notam effugere non possem.

Neque enim libellos meos tamen, quos misi, quam clementissime et benevolentissime Illustrissima Tua Generositas accipere, sed et favore gratiaque longe benignissima complecti me dignata fuit, quo nomine me perpetuum Illustrissimae Tuae Generositatis debitorem agnosco, cui non facile sit committendum, ut tanti solis splendor in lutum aut quisquilios incidisse videatur. Venerabor itaque Illustrissimam Tuam Generositatem, ut Religiones vere Reformatae heroim excellentissimum, et Ecclesiae Nutritium munificentissimum, quoad vixero, beatumque me praedicabo, si ab isto jubare, stricturam aliquam luminis me diu mutuari contigerit.

Quod autem familiam in Illustrissima Tua Generositas literis ducit, intellexi constitutum esse filium dilectissimum, Spectabilem ac Magnificum Comitem EMERICUM Thurzo de Bethlemffalwa, Comitem perpetuum de Arwa eiusdemque Comitatus supremum ac perpetuum Comitem etc. ad Academiam nostram studiorum gratia mittere, qvo in genere Illustrissima Tua Generositas consilio meo, quo ad victum et habitationem, uti voluit. Eundem itaque me ad obsequia omnia Illustrissimae Tuae Generositati pro virili praestanda lubens offero, ita Eidem pro praeclaro hoc in me adfectu gratias itidem habeo longe maximas, meque intermisi, ut hac de re cum Domino quaestore huius oppidi, Andrea Vswaldo agerem quam diligentissime. Cuius quis sit hoc in genere animus, peculiaribus literis, quas legi, et se Domini Capitanei nostri Responso inserturum dixit, aperuit, neque necessarum iudicavi, ut molesta repetitione hoc in loco Illustrissimam Tuam Generositatem onerarem. Spero declarationem <est> fore eiusmodi, quae,

quid hoc in genere facto opus sit, Illustrissimae Tuae Generositati facili negotio suppeditare possit.

Ego vero hoc unice in votis optatisque habeo, ut Illustrissimae Tuae Generositatis Filius generosissimus bono cum Deo salvus ac incolumis ad nos veniat, studia sua felicissimo cum successu hic continuet, omnia pietatis ac observantiae officia a nobis expectet, et suo tempore ex animi sui sententia in patriam revertatur. Quod votum meum ex jmis animi penetralibus profectum ratum habeat Deus deorum benedictus in secula, cujus divinae protectioni Illustrissimam Tuam Generositatem cum omnibus suis adeoque universum illum Germaniae murum, HUNGARIAM dico, pijs precibus sedule commendo.
Wittebergae, a. d. 21. Maij Anno Christiano 1615.

Illustrissimae Tuae Generositatis humillime addictus
Fridericus Baldvinus Doctor
manu propria

Címzés: Illustrissimo Celsissimoque Principi ac Domino, Domino GEORGIO THURZO Comiti de Betthlemffalwa, Regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, nec non de Arwa perpetuo ejusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti, Sacrae Romanae Caesareae Regiaeque Maiestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenentj etc. Domino suo gratiosissimo humiliterque observando.
Árva, II-B/ 8. fasc. Nro. 61. Autográf.

54.

Samuel Bartošovič Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. május 31.

Már évekkel ezelőtt a biccsei iskolában is tapasztalta Thurzó iránta való jóindulatát, aki egyetemi tanulmányait is támogatja. Kívánja, hogy Imre peregrinációja sikeres legyen.

Illustrissime et Celsissime Comes Domine, Domine mihi clementissime. A mundi Rectore maximo et coeli moderatore potentissimo optatissimam et longaevam Animae et Corporis salutem felici cum Patriae nostrae administratione precatus, Celsitudini Vestrae Illustrissimae studia mea humilima defero.

Promptitudinis et benevolentiae Illustrissimae Celsitudinis Vestrae clementia victus, Comes Illustrissime et Heros Patriae nostrae Celsissime, non possum, non nisi cum primis DEO meo, post Illustrissimae Celsitudini Vestrae acceptum ferendo ingemiscere, meque tanti beneficij Indignum fateri. Annis praeteritis munificentissimam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae in Schola Bitschensi expertus benevolentiam, eandem et longe majorem hac quoque temporis serie experior, dum Cursum et profectum studiorum meorum approbando, et ulteriori beneficio eadem promovendo benignitatis Clementissimae, Illustrissimae Celsitudinis Vestrae affectum in me abunde extare sentio. Gravem sane animadversio-

nem Incurrerem, nisi publice munificentissimum Clementiae Vestrae affectum praedicarem, et submisso Judicij mei acumine alijs qvoque satis largiter praestitum aestimarem. Virtutum siqvidem ea vis est, ut ad se trahant, et in admirationem rapiant. Eandem vim in Illustrissima Celsitudine Vestra animadvertunt ij, qvibus micam solidae rationis superesse scio. Fidei sinceritas, regendi dexteritas, Religionis Christianae defensio constans, justitiae amor totusque Virtutum Heroicarum chorus in Celsissimo et Illustrissimo pectore Vestro sedem suam fixerunt et optatum habent domicilium. Qvae omnes una cum alijs me qvoque accurrere faciunt, velut humilimum earum aestimatorem et admiratorem. Qvid aliud dicam? Non video, nec animo meo qvicqvam succurrere sentio, qvam ut votis meis Deum, Patrum nostrorum humilime comprecer, ut is Celsitudini Vestrae Illustrissimae cum Inclyta domus suae familia vitam longaevam prolongando, spiritum Roboris in administratione Patriae nostrae adaugendo benedicat ex alto. Sit prosperitas in muris et salus in palatijs. Misericordia et Veritas obvient sibi, Iustitia et pax osculentur se in ditionibus Dominij Vestri. Adaugeat Dominus de Caelo Vires pristinas Valetudinis Illustrissimae Conjugi Celsitudinis Vestrae, effloresçat Corona benedictionis divinae super eam, qvo et Imposterum Vita Comite, Mater Ecclesiarum, Scholarum et subditorum nuncupari qveat. Faciat etiam Deus Zebaoth, et ad finem salutariter perducat, qvod operari caepit in Celsitudinis Vestrae filio, Illustri ac Magnifico Domino EMERICO. Dirigat Angelum pacis cum eo, qvi eum ad locum destinatum ducat et reducat Incolumem. Sit ipsi Comitatus jucundus, et nullus ei Viam surripiat Inimicus, procul sit ab eo malignorum spirituum accessus, et Comes ejus dignetur esse Spiritus Sanctus. Votum hoc audiat Dominus exercituum, audiat in Throno Majestatis suae, et benedicat Illustrissimae Celsitudini Vestrae ex hoc nunc et usque in seculum.
Dabam Vittebergae, Calendario Julianij 21. Maj Annj 1615.

Illustrissimam Celsitudinem Vestram Humilime colens
Samuel Barthossowitz Veterosoloensis

Címzés: Illustrissimo Celsissimoque Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethleenffalva, Comiti de Arva ejusdemque Comitatus Arvensis Supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Cumanorum Judici, Sacratissimi Principis ac Domini, Domini Matthiae, Dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti etc. Consiliario Intimo et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino Evergetae et Mecaenati studiorum suorum omni observantiae cultu aeternum suspiciendo

OL E 196. 37. cs. 3. sz. Autográf.

55.

Izák Láni Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. május 31.

Thurzónak, mint az egyházak és iskolák támogatójának érdemeit méltatja. Pártfogójának megküldi dolgozatát. Ezt már korábban megtette volna, de Meisner részben nem tartózkodott Wittenbergben, részben pedig hivatali kötelességei teljesen

lekötötték, és emiatt nem tudta munkáját segíteni. Magánóráin kívül teológiát hallgat Jakob Martininál. Sok sikert kíván Thurzó Imre peregrinációjához.

Illustrissime Domine, Comes Potentissime, Musagaeta ac Patrone. Benignissimam Salutem a supremo rerum in Natura Motore felicissimo cum eventu rerum prosperoque successu negotiorum publicorum precatus, mea studia, officiola, preces denique quotidianas humilime offero.

Solis velut ad accessum, Illustrissime Domine Comes, Evergeta noster humilime colende, et motum ejus propius ad verticem accedente nostrum, omnia naturaliter agentia suas resumunt vires, et roborata acceptum causae adjuvanti ferunt fructus et effectus, non secus ac debita quaedam naturae eidem offerentia. Econtra recedente virtute ejusdem, tanquam fortiore ab alto agente vires inferiorum hebescunt.

Eodem modo se res habet in ipsis rei literariae sectatoribus, qui in conseqvendo aliqvo eruditionis scopo deficientibus Evergetis ac Patronis, vires se habere sentiunt debilissimas, ad asseqvendum finem insufficientes et inhabiles. Adjuti vero virtute extrin[!] secus fortiore, promotionibus et incitamentis atque adeo serijs monitis vires in actum producentes ad suam praefixam metam pervenire contendunt rationem Patroni, patriae, amicorum et sui ipsius habentes.

Extraneis rem ut declarem exemplis, supervacaneum esse puto, qvum id manifestissime omnium pateat in Illustrissima Celsitudine Vestra, Musagaeta et communi Ecclesiarum ac Scholarum Patrono, in Academia nostra decantatissimo, non solum Politiam celeberrimi regni Hungariae felicissime dirigente, statum Ecclesiarum Lutheranarum erigente et confirmante, sed et ipsos tenuioris sortis Musarum cultores cum alios plurimos, tum etiam nos ad altiora visenda Lycaei domicilia promovente, spe ulterioris promotionis facta.

Ob quod Magnificum munificentiae specimen, meam ut Mentem, officiola atque paratissima et debita obsequia dudum dedicaram, sic et fructus ingenijque partus e studiorum curriculo Illustrissimae Celsitudini Vestrae. Domino meo clementissimo consecraturus sum gratiarum cum actione tanta, qvanta e meo spiritu simplici et immortali proficisci potest maxima. Qvin imo hactenus consecrassem, ni coeptum hoc meum partim absentia Domini Doctoris Meisneri, partim ejus publicum munus impedijsset.

Interea tamen memor officij mei non privatis solum studijs, sed et Exercitiis Theologicis apud Dominum Jacobum Martinj, ingenium eo, quo debui et potui, modo excoluj, hanc eandem imposterum qvam necessario praestare debeo promittens diligentiam.

Votis quotidianis annexis Deus, ut Illustrissimam Celsitudinem Vestram cum Magnifica Domina Comitissa Generosissimisque Liberis, Patriae, Ecclesiae, Scholis denique diutissime atque optatissime sospitet. Illustremque ac Magnificum Dominum Comitem juniorem, Filium Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, Dominum meum itidem clementissimum (qvem alias gratulabunda expectat tota Academia de novo Patrono et Musagaeta sibi gaudens) felicibus auspicijs peregrinationis iter aggredientem prosperrime ducat, felicissime regat, optatissime reducat ad ejusdem Patriae nobilissimae regimen, Ecclesiarum et Scholarum erectionem studiorumque nostrorum promotionem et sublevationem. Cui me quoque

debere plurima animj obseqvia humilima lubens agnosco, precibus Magnificam Dominationem Suam quotidianis includens cum Illustrissima Celsitudine Vestra totaque Illustri domo Thurzoniana. Et mea studia, officiola, debitaque animi humilimj obsequia sub tutelam et patrocinium Illustrissimae Celsitudinis Vestrae commendans.
Exhibui in Athenaeo Wittebergensi, 21. Maij Julianj Anno 1615.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humilimus cliens et alumnus
Isaacus Lany Thurociensis

Címzés: Illustrissimo, Celsissimo Potentissimoque Comiti ac Domino, Domino GEORGIO THVRZO de Betlehem-falwa, Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus Arvensis supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Cumanorum Judici, Sacratissimique Principis ac Domini, Domini Matthiae Dei gratia Romanorum Imperatoris etc. intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino ac Patrono suo omni observantiae cultu proseqvendo et colendo.
OL E 196. 37. cs. Nro. 1. Autográf.

56.

Erasmus Schmidt Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. május 31.

Nagy megtiszteltetés, hogy fia, Imre számára a wittenbergi egyetemet választotta. Már beszélt Andreas Uswalddal, aki ír az itteni körülményekről és lehetőségekről.

Illustrissime Celsissimeque Princeps ac Domine, Domine clementissime, Illustrissimae Celsitudini Vestrae gratiam divinitus ex animo precor, meaque servitia qvaliacunqve humillime offero.

Illustrissime Celsissimeque Princeps ac Domine, Domine clementissime, ex animo gaudeo, Deoque benignissimo gratias ago pro ευφυια optimaque indole Filij unicj, Illustris, Spectabilis ac Magnifici Domini, Domini EMERICI, Comitis de Betthlemffalwa, Comitis perpetuj de Arva eiusdemque Comitatus supremj ac perpetuj Comitis etc., Domini mei clementissimi, utque Deus eandem indolem subinde in eo augeat et confirmet, serio voveo. Gaudeo etiam Deum Illustrissimae Celsitudini Vestrae eum diem illucescere concessisse, qvo Filius ευφυες αλη[?] eo usqve aetatis et virtutis processit, ut cum fructu ad peregrina emittendus iudicetur. Nec parum Illustrissimae Celsitudini Vestrae debere se fatebitur Witteberga nostra ob honorem hunc sibj habitum, qvod Filium et qvidem unicum suo gremio destinatum intelligit, qvem etiam hauddubie ευσαρτος favebit, qvantum fieri potest.

Qvod autem nunc expediendum fuit, pro virili expedivimus. Communicavimus rem cum Andrea Usswaldo, Qvaestore nostratj, qvi qvid ad conditiones et circumstantias ab Illustrissima Celsitudine Vestra praescriptas respondeat, ex ipsius scripta declaratione, qvam, ut spero, Domini Capitanei literae inclusam ha-

bebunt, cognosci poterit. Faxit Deus, ut Illustris, Spectabilis et Magnificus Filius, Dominus EMERICUS Comes feliciter ad nos perveniat, commode nobiscum vivat, laetus suo tempore a nobis discedat et salvus salvos suos omnes domi revisat. Faxit hoc Deus benignissimus per Christum, cuius potenti tutelae Illustrissimam Celsitudinem Vestram cum tota Hungaria serio commendo.
Dabam Wittebergae, a. d. 21./31. Maij Anno aerae Christianorum MDCXV.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humillimus
Magister Erasmus Schmidt

Címzés: Illustrissimo Celsissimoque Principi ac Domino, Domino GEORGIO THURZO, Comiti de Betthlemffalwa, Regni Hungarici Palatino et Judici Cumanorum, nec non de Arva perpetuo eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino meo clementissimo.
Árva, II-S/4. fasc. Nro. 68. Autográf.

57.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Bécs, 1615. július 13.

Miután Biccséről elindult, rögtön hozzálátott az apja által rábízott teendők elvégzéséhez. A bécsi ügyeket és híreket már ismeri apja. Ő maga jól van, utazása is kényelmes. A peregrinációjával kapcsolatos dolgokat Henckellel megtárgyalta, erről Armpruster fog részletesen beszámolni. Este 6 és 7 óra között érkezett meg Bécsbe, másnap indul tovább.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime. Salute et servitiorum meorum subjectissimorum filialiumque commendatione praemissa.

Posteaquam, Illustrissime Domine Pater, Bittcha movi, in idipsum maximopere incubui, quomodo et qualiter satis facere possem mandatis Illustrissimae Vestrae Dominationis. Inter caetera autem, ut severe mihi injuncta, ita maxime curae fuit literarum exaratio. Hactenus autem nec temporis ratio, neque itineratio cum suis molestijs conjuncta idipsum patiebantur, jam cum commodam tandem occasionem habeam, juxta admonitionem Paternam Illustrissimae Vestrae Dominationis hanc ad eamdem dandam censui epistolam. Qua tamen nihil paene aliud, quam de valetudine mea referre valeo. (Viennensium namque rerum habet Illustrissima Vestra Dominatio et scriptores, et nuncios, in meis autem rebus nihil est sane novi. Quod enim attinet negotia cum Domino Henckelio pertractanda, caeteraque de ulterioris peregrinationis meae modo, ea abunde literae Domini Armprusteri Illustrissimae Vestrae Dominationi intimabunt.) Sciat igitur Illustrissima Vestra Dominatio me (LAUS SIT UNO ET TRINO) mediocriter valere, iterque pro tempore sat commodum habuisse, et inter horam 6 et 7 vespertinam diei nudius tertij huc Viennam appulisse, hincque DEI voluntate accedente cras discessum parare. DEUS OPTIMUS MAXIMUS inposterum quoque gratia

sua adsit largiaturque, ut cuncta felicia prosperaque de valetudine Illustrissimae Vestrae Dominationis audire possim. Valeat feliciter Illustrissima Vestra Dominatio meque filium, ut coepit, amare ne desinat.
Datae Viennae Austriae, 13. Julij Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obseqventissimus
Comes Emericus Thurzo
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalva, Comiti de Arva ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino etc. etc. Domino Patri meo summo filialis observantiae studio semper proseqvendo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 17. Julij 1615.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 80. Autográf.

58.

Eliáš Láni Thurzó Imrének
Biccse, 1615. július 18.

Liptay Márton Bécsből visszatérve hozott hírt Imréről. Ők, a Biccsén maradottak, nap mint nap imádkoznak érte. Szülei jól vannak. Még nem biztos, hogy a törökkel békét kötöttek-e. Liptay szerint a béketárgyalások eredménytelenek voltak. Értesítse őket a birodalom ügyeiről. Fiát ismét Imre gondjaira bízza.

Illustris et Magnifice Domine Comes, domine mihi observandissime. Salutem et prosperum studiorum vitaeque Academicae cursum Illustri Magnificentiae Vestrae precatus, servitia mea cum orationibus defero.

Reversus heri Vienna Martinus Liptay retulit mihi iter Illustris et Magnificae dominationis Vestrae hactenus deo fortunante mediocrem successum habuisse. Hoc nimirum et nos Bitschae relicti hucvsque quotidie vovimus, nec vovere desinimus. Dominus Jesus, qui olim puer inter doctores sedit, protegat Illustrem Magnificentiam Vestram, instruat de plenitudine sua Spiritu sapientiae, et pijs coeptis radijs gratiae suae semper affulgeat.

Dominus Illustrissimus Parens vna cum Illustrissima domina matre hoc tempore satis bona et ad nutum fluente valetudine vtuntur, jubeat deus ipsis hoc bonum perpetuum esse, vt cum gaudio aliquando excipiant reducem vnicum suum.

Pax cum Turcis quomodo conclusa sit, nondum plane scimus, sed si ita, vt Liptay narrat, conclusa est, non est, vt de ea multum gratulemur. Qualis in Imperio sit, faciat nos Illustris Magnificentia Vestra certiorem, vt et de vniverso rerum suarum statu. Id erit nobis longe gratissimum. Filium meum, vti semel coram commendavi, ita nunc quoque per literas commendo, pateat illi janua favoris et benevolentiae Illustris Magnificentiae Vestrae, sufficiet et mihi, et ipsi. Praeterea quid scriptione dignum occurrat, non habeo. Facio igitur finem hac praemissione,

si quid tale inposterum habuero, me diligenter et fideliter scripturum esse. His nunc Illustrem Magnificentiam Vestram bene et diutissime valere et agere opto, ac mea officia humilima eidem voveo.
Bitschae, 18. Julij Anno 1615.

Illustris ac Magnificae Dominationis Vestrae addictissimus in Christo servus

Elias Lany Superintendens

Címzés: Illustri et Magnifico domino, Domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti de Arwa ac ejusdemque Comitatus Arvensis perpetuo Comiti, domino et Patrono mihi observandissimo.
Árva, IV-L./ 1. fasc. Nro. 138. Autográf.

59.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1615. július 18.

Imrének július 13-án Bécsből írott levelét Liptay Márton közvetítésével megkapta. Örül, hogy Imre egészséges, az otthoniak is jól vannak. Ha alkalma lesz, írjon, ebben Lazar Henckel lesz segítségére. Reméli épségben, tanultan és a német nyelv ismeretével tér haza.

Spectabilis ac Magnifice Comes, Fili mihi charissime. Salute Plurima ac Paterni mei amoris in te benevolentiaque commendatione praemissa.

Litteras tuas, dilectissimi Fili, Viena 13. currentis Mensis exaratas Martinus Liptai recte mihi exhibuit, ex quibus, cum de commodiori valetudinis tuae statu sim edoctus, erant mihi lectu gratissimae ac iucundissimae. Faxit divinum numen, ut et inposterum optata quaeque de te audire et intellegere possim. Ego et mater tua una cum sororibus, domino Deo sit honor et gloria gratiarumque actio, valemus ex sententia. Nunc autem cum nihil aliud habeo, qua de re ad te scribam, Monendum te Paterne censui, ut tam de tua incolumitate, quam Profectionis statu me certiorem reddere minime praetermittas. Non dubito te monita mea in corde tuo infixa habere, iisque vitam moresque tuos in studiisque profectus accomodatur, valetudinisque tuae diligenter curam habitur, in exarandis vero litteris cum per Generosum Dominum Lazarum Henkelium optimus et commodus sit declaratus modus. Rem gratissimam praestabis, si commoda occasione non neglecta ad me saepius scripseris, tuisque Epistolis me exhilaraveris. Dominus DEVS conatus tuas pias clementer benedicere ac promouere, Spiritu suo sancto te gubernare, tibique adesse, saluum et incolumem conseruare ac suo tempore bene doctum et Germanicae linguae gnarum ad nos reducere dignetur.

Dabantur Bitchae, 18. Julij Anno 1615.

Pater tuus quoad vixerit semper erga te benevolentissimus

Comes Georgius Thurzo
manu propria

Címzés: Spectabili ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlemffalwa, Comiti perpetuo de Arwa eiusdemque Comitatus Arwensis Supremo ac perpetuo Comitj. etc. Filio nostro Charissimo.

Thurzó Imre kezével: Accepi 3./13. Augusti Wittembergae. Respondi 8./18. ejusdem mensis Anno 1615.

Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 83. Autográf.

60.

Matthias Hoë von Hoënegg Thurzó Györgynek
Drezda, 1615. július 26.

Dícséri a nádort, hogy fiát az egyetemre küldi, így annakidején majd nem csupán „illustrisként", hanem „optimusként" térhet haza. Thurzó kérésére előkészítette, hogy a választófejedelem fogadja Imrét.

Ita est, Illustrissime Domine Comes, Domine benignissime, ita, inquam, est non sufficere, ut magnates tantum vivant, nisi etiam BENE vivere discant. In hoc esnim quasi uno homines a brutis Longissime distant. Quam arduum vero et laborosissimum opus sit bonam et Christianam vitam agere, quotus quisque est, qui accuratius considerat? Utique potissima pars culturam omnem negligit, solamque naturalem per cibos quotidianos sustentationem instar bestiarum avidissime appetit. Rectius vero prudentiores et, quibus enthea in animis virtus residet, fastitare solent. Hi namque Socratis commonefactionem reipsa comprobant, quando de bona Liberorum educatione solicitos se admodum esse declarant. Et certe inter ipsos etiam Ethnicos non prorsus defuere, qui hac in parte prudentiam suam conspicuam reddiderunt.

Cretenses, ut bene vivere discerent juniores, primum Leges memoriam mandare eos coegerunt, ne scilicet peccantes inscitiam praetendere possent. Deinde hymnis Deorum animos adjuxerunt. Tandemque Exempla praeclarissimorum virorum proposuerunt. Et quis scholas Philosophorum celeberrimas, quis musarum illud toto orbe Laudatissimum domicilium Athenas ignorat? Nunquam profecto tot molestissimos Labores Tanti viri exantlassent, nisi educatione ad bene vivendum opus habere homines intellexissent. Mundus hic in maligno est positus, et velut quoddam diversorium, in quo Circes, Cavendum igitur recta institutione, ne poculis veneficis in jumenta commutemur. Mundus sic est, velut mare, in quo Sirenes, Cantione ergo opus, ne aures demulcendo a recto cursu nos abripiant.

Bene ergo facit Illustrissimus Dominus Palatinus, Dominus meus gratiosissimus, quod Filium Suae Celsitudinis unicum et Illustrem non vivere tantum, sed cum ratione vivere, sed bene vivere, sed pie vivere, sapientissime cupit, ideoque ad augendam eruditionem, ad confirmandam DEI veram cognitionem, gloriaeque immortalis acquisitionem Illustrem ejus Magnificentiam in Academias bene constitutas mittit. Praepotentissimus Jehova faxit, ut suo tempore non Illustris tantum, sed et Optimus in patriam redeat: Parentes Illustrissimos ac Universam Christi Ecclesiam praeclarissimis suis dotibus et virtutibus reficiat, idque Unum, quod DEO, quod familiae Generosissimae, quod Regno Hungariae, quod Bonis aliis gratum et honorificum diutissime et felicissime efficiat. Ita prorsus spero, dum spiro, in Christo Jesu, Domino nostro, Amen.

Caeterum, Illustrissime Domine Comes, quod commendationem Vestrae Celsitudinis attinet, sciat multis et infinitis modis illam non nisi maximum pondus apud me habere potuisse. Minor sum sane, quam ut tantum Depositum vestra Celsitudo mihi commendet, si tamen aliquid in me virium, id omne et universum Vestrae Celsitudini et ejusdem Illustri Domino Filio sancte addictum ac mancipatum volo. Feci alioquin hactenus ad jussum vestrae Illustrissimae Magnificentiae, quantum volui, Illustri Domino, Domino Emerico Thurzo etc. etc. Domino meo clementi aditum ad audientiam Serenissimi Domini, Domini Electoris paravi, aliaque pro tenuitate mea servitia <exs> exhibere laboravi, quam si Vestra Celsitudo forte ex aliorum relationibus cognoscet, ut grata sibi esse sinat, humiliter oro: inposterum quoque ad nutum Vestrae Celsitudinis et obsequium paratissimum me obstringo. Vicissim vero ea, qua par est, humilitate gratiae ac clementiae vestrae Celsitudinis me et meos commendo. Benedicat Illustrissimo Domino Palatino Is, in quo benedicuntur omnes gentes.
Scribam Dresdae, a. die 26. Julij Anno 1615.

Vestrae Illustrissimae Celsitudinis dedictissimus Servitor

Matthias Hoe ab Hoenegg
Domini Serenissimi Electoris Saxoniae
Concionator primarius Aulicus,
et Consiliarius Ecclesiasticus

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Betthlemfalwa, Regni Hungariae Palatino ac Cumanorum judici, nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus supremo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis intimo consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino meo benignissimo.

Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 11. Decembris 1615.
OL E 196. 24. cs. 1. fasc. Nro. 49. Autográf.

61.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Drezda, 1615. július 27.

Július 22-én este érkezett Drezdába. A választófejedelem nem tartózkodott a városban, de a kiváló Koppel doktor beajánlotta őt a fejedelem öccséhez, aki másnap fogadta. Ami említésre méltót látott és hallott, Wittenbergből rövidesen megírja. A választófejedelemhez írt levélről Hoë doktorral tanácskozott. E percben indul a herceghez ebédre. Következő levelében majd beszámol erről.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime, Salutem ac servitiorum meorum subjectissimorum commendatine praemissa.

Quas Illustrissima Vestra Dominatio Dresda ad se exarari mandavit literas, eas ego longissimas darem, nisi tempus et conditio rerum brevitatem imperaret. Etsi enim dies jam 4. hic Dresdae agam, ubi forsan non unas scribere potuissem, sed vel ternas, aut qvaternas Epistolas, tamen, qvia scribentis non est dubium reddere lectorem, sed, quam ejus fieri potest, certissimum, et vero negotia mea ante hunc diem nondum plene erant confecta, nec de ijs certi qvicqvam referri poterat, differenda scriptio fuit. Id igitur breviter sciat Illustrissima Vestra Dominatio me 22. Julij sub vesperam huc appulisse, Electorem qvidem domi non reperisse, sed ipsius tamen Domino Fratri per Doctorem Koppelium, virum singularis humanitatis et humilitatis, postridie adventus singulariter esse commendatum. Quo qvidem ipso statim die Serenissimus DVX, ut hilari gratulabundoque animo mei adventum accepit, libentissime daturus erat audientiam, nisi triduanum iter, cui jam jam insistebat, impedimento fuisset. Factum igitur, ut id in hodiernae meridiei horam 4 differretur. Qua quicqvid futurum, nec non quae interea temporis, dum hic substiti, memorabilia vidi audivique ad Illustrissimam Vestram Dominationem brevi Witteberga perscribam. Quid de literis ad Serenissimum Electorem spectantibus faciendum, consului Dominum Doctorem Hoen, nunc apud Suam Serenitatem haerentem. Is hoc consilij dedit, quod Illustrissima Vestra Dominatio hic videt, quodque ego seqvendum, crastinoque die exeqvendum constitui. Hac vice nihil est qvod ista temporis brevitate ad Illustrissimam Vestram Dominationem exarare possim, nisi fortasse, quod omnino debeo singularem fidem, candorem et amicitiam Doctoris Koppelij, ut et fidelitatem mihi adjunctorum, Illustrissimae Vestrae Dominationi denuo commendem. Nunc enim et hoc ipso momento ad audientiam et coenam Serenissimi Ducis Augusti auocor. Quod restat Illustrissimae Vestrae Dominationi proxime significabo. DEUS OPTIMUS MAXIMUS eam quam diutissime salvam et incolumem servare dignetur.
Dresdae, 27. Julij Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obsequentissimus
Comes Emericus Thurzo
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo, Comiti de Arva, ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino etc. etc. Domino Patri filiali observantia, mihi subjectissime colendo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 13. Augusti 1615.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 92. Autográf.

62.

Leonhard Helfried von Meggau Thurzó Györgynek
Prága, 1615. július 29.

A szász választófejedelemhez Thurzó Imre érdekében írandó császári ajánlólevél ügyében minél előbb cselekedni kívánt. A késedelmet az okozta, hogy Imre érkezésének időpontja bizonytalan volt, és csak rövid ideig tartózkodott Prágában. A továbbiakban is számíthatnak segítségére.

Illustrissime Domine, Domine et Amice etc.

Ad requisitionem Illustrissimae Dominationis Vestrae apud me per literas factam in obtinendis literis commendatorijs a Sacra Caesarea Regiaque Majestate ad Illustrissimum Electorem Saxoniae pro Illustri charissimo filio ejusdem lubentius operam impendere conatus sum, ut per hoc tam voto Illustrissimae Dominationis Vestrae, quam meo erga ipsam officij studio satisfieret. Quod tamen Expeditioni mora injecta fuerit, ea de causa factum, Nam de tempore aduentus ipsius dubium erat, et postquam huc aduenerat, perexiguo tempore hic moratus <est>, iter susceptam prosecutus est. Ordinatum tamen extitit, ut expeditae literae submitterentur, quod etiam factum fuisse mihi refertur. Daturus ego operam in posterum quoque, ut in occurrentibus gratum officium studiorum meorum erga Illustrissimam Dominationem Vestram declarari possit. Quam diutissime beneque valere exopto.
Datum Pragae, die 29. Julij Anno 1615.

Illustrissimae Dominationis Vestrae Seruitor et Amicus
addictissimus

Leonardus Helfridus
Baro a Meggau etc.

Kívül: Paria literarum Illustrissimi Domini a Meggau, Supremi Cubicularij et consiliarij Suae Majestatis, ratione literarum Intercessionalium Suae Majestatis ad Electorem Saxoniae pro filio nostro charissimo ad nos datarum. etc.
OL E 196. 15. cs. 72. fasc. Másolat.

63.

János György szász választófejedelem a wittenbergi egyetemnek
Neusorg, 1615. július 31.

Értesíti az egyetemet, hogy Thurzó György fia, Imre, akitől megkapta apja ajánlólevelét, oda fog érkezni. Figyelmükbe ajánlja az ifjú grófot, akinek apja mindig küldött saját költségén tanulókat az egyetemre. Figyelmezteti őket, ne engedjék meg, hogy idegen öltözetük miatt az egyetemi ifjúság rajtuk nevessen.

Johannes Georgius Dei gratia Dux Saxoniae, Juliae, Cliuiae et Montium Elector etc.

Reuerendi et Doctissimi Deuoti et Fideles nobis dilecti. Notum facimus vobis per praesentes nostras Illustrissimum nobis singulariter dilectum Dominum, Georgium Thurzo, Comitem de Betthlenffalwa etc., Regni Hungariae Palatinum etc. humilime nobis significasse, qualiter non tantum ex singulari erga veram nostram Euangelicam Religionem hactenus in universitate nostra Wittebergensi duos semper beneficiarios et alumnos sumtibus suis sustentaverit, sed ex praematura etiam deliberatione ac prouidentia, ne post obitum suum beatum in Comitatum ac Dominia sua alia aliqua falsa Doctrina ingeratur, vel aliquo modo introduci possit, Filium suum unicum, Illustrem et Magnificum Dominum Emericum Thurzo de Betthlenffalwa, Comitem perpetuum et haereditarium de Arwa etc. Witebergam mittere constituerit. Sicuti hodierna die praedictus Junior Dominus Comes se praesentauit, exhibitisque Domini Parentis sui literis in nostram tutelam ac protectionem humilime recommendauit.

Quemadmodum autem benefati Domini Palatini paterna dispositio et singularis erga veram nostram Religionem Zelus merito laudandus, ita hoc propositum suum maxima cum beneplacentia recognoscimus, eiusdemque Filium Dominum Juniorem Thurzo cum adjunctis sibi in favorem nostrum et gratiam suscepimus, volentes propterea ac benignissime vobis harum serie mandantes, ut saepefatum Dominum Juniorem pro status sui et familiae eximiaeque Eruditionis et modestiae exigentia commendatum habeatis, utque ipse et ipsius homines imperturbati a petulanti juventute ob habitum ipsorum peregrinum et exoticum minime rideantur, diligenter praecaveatis. Quod si vero unus, aut plures vel in minimis contra antelatum Dominum Juniorem, vel suos hac in parte delinquerent, Eum, vel illos in severam Vestram animadversionem trahere, et si opus fuerit, pro ulteriore nostra dispositione informare nos debeatis. Executurj in hoc voluntatem nostram seriam, erga quos semper benigne propensi manemus.
Datum Nouisorgae, die 21. Julij Anno 1615.

Joannes Georgius
Elector Saxoniae

Címzés: Commendatio Electoris Saxoniae ad Universitatem Witebergensium etc. penes Filium Georgij Thurzo Emericum data, ne videlicet <eidem> a petulanti Juventute propter vestitum peregrinum et Exoticum rideatur.
Árva, II-J/ 2. fasc. Nro. 86. Másolat.
A levél német nyelvű változatát lásd a jegyzetben.

64.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1615. július 31.

Július 19-én Prágában kelt levelét megkapta. Örül, hogy fia zavartalanul és kellemesen utazik, s hogy szakított időt a városnézésre is. Ferencffy úrnak köszönetet mond az ajánlólevélért, valamint azért, hogy Prágában támogatta. Lazar Henckel gondosan továbbítja a leveleket. Írjon gyakrabban.

Illustris ac Magnifice Comes, fili nobis charissime. Salutem et divinae benedictionis uberrima incrementa tibi ex animo precamur.

Heri sexta hora pomeridiana literas Vestras Praga 19. Julij exaratas hic Byttchae recte accepimus, quae nobis fuerunt longe gratissimae, primo quod itineris hoc spatium DEJ Optimi Maximi beneficio feliciter et sine aliqua molestia et taedio, quod modernum sub aestu et ardore Sirij tempus parere conciliareque posset, emensi sitis. Tum, quod ex aliorum etiam ad nos datis intelleximus literis, Pragam peruenientibus non intra priuatos aliquos parietes, uti plerique solent, gulae seruientes delitueritis, verum, quod ad usum peregrinationis quoque vel maxime spectat, loca et adyta reclusiora adiueritis, videritis et perlustraueritis: Idque ita caute, ut vix centesimus mortalium, in tanta comitiorum Bohemicorum et Vicinorum Nationum frequentia te eum esse quies animadverterit. Optata sane apud nos noua! Quae quam auida et laeta exceperimus mente, Tu ipse cum unicus sis noster filius et fatiscentis jam aetatis Scipio exte[!] ipso judicare facile poteris! Faxis, ut in futurum etiam monitorum nostrorum, quae tibi hinc discessuro paterne injunximus ac quasi impressimus, tum pietatis Sanctissimo Numini obseruantiaeque et honoris nobis Progenitoribus tuis debitae memor, ubique ita te geras, uti boni Patris bonum et magnae spei filium addecet. Vt cum Vnicus sis filius et haeres bonorum nostrorum, eo chariorem et cariorem te nobis reddas, cum Videlicet omnes conatus et studia tua eo directa et composita esse uiderimus, ut eae altissimi gloriae, Patriae ornamento et emolumento, Parentibus et toti familiae solamini, Tibi vero perpetuo ac salutari decori, successu temporis deseruire possint.

Domino Ferencffy tam pro literis commendatorijs Suae Maiestatis Domini Domini nostri clementissimi nomine scriptis, quam pro officijs humanitatis erga Vos Pragae declaratis singulares egimus gratias. Tuum quoque erit pro tam propenso in nos studio quouis modo eidem regratificare.

Ad nos quod attinet. Facimur benignitate diuina mediocri et tolerabili Valetudine, Domina Genetrix tua sanitati pristinae restituta in dies firmiores, laus

Domino DEO, recipit corporis Vires, Sororculae tuae innubes similiter feliciter manent. Nuptas et a nobis longius destantes esse Incolumes intelligimus.

Noua alia nulla habemus, quam quae Vos Viennae adhuc exeuntes de Pacis cum Turca tractatione intellexistis, existimamus non omnia pro voto nostrarum successisse, Verum aliquem adhuc habere scrupulum, siquidem hucusque altum de ijs silentium, alias quod optate et laete transigi solet, illico in Vulgus erumpit et ebuccinatur, Sed tempus ista quoque reuelabit.

Postremo paterne te monendum esse duximus, ut subsequenter etiam crebrius ad nos scribas, ac de profectu studiorum et Valetudinis tuae statu (quem nos stabilem ac firmum esse discupimus) nos certiores facere non praetermittas. Hac tua industria et missitatione crebra literarum nos mole aliorum laborum et curarum gravatos et prope obrutos multum recreabis et subleuabis. Paternasque storgas affectum et amorem erga te in nobis eo magis accendes et excitabis. De quo, ut nihil dubites, jam antea optime tibi persuaso, et nunc idem pollicemur.

Literas ad nos scribendas saltem ad Generosum Dominum Georgium Henckel Pragam dirigite. Is fideliter illas Viennam Versus, uti se nobis offert, expediet. Vale optatissime fili.

Datum in Arce nostra Byttchensi, pridie Kalendas Sextileis Anno Domini MDCXV.

Illustris Magnificentiae Vestrae Pater tuus quoad vixerit erga te benevolus

Comes Georgius Thurzo
manu propria

Quantum ad transmissione Literarum, existimo Generosum Dominum Lazarum Henckelium modum et rationem comodam tutamque ostendisse, cui in expeditione literas te accomodare possit, saepiusque ire opto ad nos literas tuas mihi matrique gratissimas exarare.

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlenffalwa, Comiti Perpetuo de Arwa etc. eiusdemque Comitatus Supremo Comiti etc. Filio nostro Vnico Vnice charissimo etc.

Thurzó Imre kezével: Accepi 7./17. Augusti Wittembergae, Respondi 8./18. Ejusdem mensis Anno 1615.

Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 94. Az utóirat és az aláírás autográf.

65.

Samuel Bartošovič Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. augusztus 7.

Boldog volt, mikor hallotta, hogy Imre az egyetemre készül, de még inkább boldog most, hogy találkozott vele. Imre jelenlétének nemcsak ő maga, hanem az egész egyetem örül. A nádor elvárásai szerint tanulmányainak legfőbb tárgya a teológia. Köszöni Thurzó támogatását.

Illustrissime Comes Domine, Domine mihi Clementissime, Salutem corporis et Animae solidam felici cum Regni Inclyti administratione precatus, humilimam subjectionem Illustrissimae Celsitudini Vestrae defero.

Gratum auribus, Comes Celsissime, fuerat audire de Adventu Illustris ac Magnifici Comitis Emerici, Domini, Domini mej benignissimi, gratissimum et acceptum praesentem habere. Cujus praesentiam qvanti faciam, scriptionis hujus διεξοδω exponere minime necessarium existimo, praesertim cum Constare mihi perbelle intelligam, praesentiam Illustris ac Magnifici Comitis Emerici, Filij Celsitudinis Vestrae Illustrissimae unici gratam et acceptam non solum mihi, sed et toti Academiae existere. Cui, ut debitam humilimae subjectionis reverentiam qvavis temporis intercapedine praestem, svadet non solum Celsitudinis Vestrae Illustrissimae Clementissimae benignitatis propensio, sed etiam pietatis et gratitudinis ipsa natura, qvae beneficiorum collatorum gratam animi depraedicationem reqvirit.

Studijs meis, ut antea, ita et nunc Divinae praeeunte benedictione assiduus Incumbo. Et qvia injunctum a Celsitudine Vestra Illustrissima mihi esse scio studijs Theologicis me imprimis debere invigilare, qvantum tenuitas Ingenij mei et temporis ratio permittit, praecepto et Mandato Celsitudinis Vestrae ut paream, non modo debitum erga suum Fautorem obseqvium, sed et conditionis futurae status id a me exigere et efflagitare videtur. Pro munificentissimae promotionis futurae favore Celsitudini Vestrae Illustrissimae eas, qvas possum, gratias et ago et habeo, Deum maximum Copiosissimae benedictionis auctorem Votis supplex veneror, ut is ob tantae benignitatis Clementiam Illustrissimae Celsitudini Vestrae benedicat ex alto, qvo prosperitas in Muris, salus in palatijs, Veritas in Ecclesia, pax et aeqvitas in Politia, felicitas in Oeconomia propagetur et vigeat. Benedicat Dominus Illustrissimae Conjugi Celsitudinis Vestrae; conservet universam Inclytae domus Familiam. Tueatur brachio Virtutis suae hic degentem Illustrem ac Magnificum Comitem Emericum, filium Celsitudinis Vestrae Carissimum qvo salvus ad patrios lares rediens solatio Illustrissimae Celsitudini Vestrae, commodo toti Regno defensioni Ecclesiae et subditorum esse queat.
Datum Vittebergae, 28. Julij Anno 1615.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Humilimus Cliens
Samuel Barthossovitz Veterosoliensis

Címzés: Illustrissimo et Celsissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethleenffalwa, Comiti de Arva ejusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, ac Sacrae Regiaeque Majestatis Consiliario supremo et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino Mecaenati studiorum suorum omni observantiae cultu aeternum suspiciendo.

OL E 196. 23. cs. 1. fasc. Nro. 656. Autográf.

66.

Izák Láni Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. augusztus 7.

A természet adta képességek megfelelő neveléssel való kiegészítésének szükségességéről ír. A patrónusa által kitűzött célokat igyekszik elérni. Nincs méltó szava hálája kifejezésére a fölajánlott további támogatásért.

Illustrissime Domine Comes, Domine mihi clementissime, Optatissimo cum successu et felicissimo regimine Regni celeberrimi Hungariae Salutem precatus, mea Animi officiola debita et servitia paratissima Illustrissimae Celsitudini Vestrae, Domino mihi benignissimo qvovis loco et tempore humilimus offero.

Duo in Homine, Illustrissime Domine Comes, Domine mihi clementissime, communis rerum Nutrix, Natura contemplanda et aequis velut sancibus pensitanda nobis proponit. Judicium Rationis rectum et Modum hujus discursus instituendum cum effectis ad extra promanantibus. Ac licet id stupendum sit in natura miraculum, sive posteriore tamen Educationis optimae medio ad diversa interdum prolabitur extrema. Vtrumque tamen conjunctum actiones causatur Homine dignissimas et lauditissimas ad Bonum, velut praefixum scopum contendentes.

Hoc idem etiam naturae opus in me agnosco Judicium quidem Rationis beneficio naturae naturantis DEO, hanc vero Educationem beneficio literarum humaniorum et Jnstructorum fidelium, Quibus posthac medijs dirigere valeam actiones ad certum finem mihi praefixum ab Illustrissima Celsitudine Vestra, Patrono et Nutritio meo omni humilitate proseqvendo, Cui, ut me debere, agnosco, plurima Animi officiola et servitia humilima, quae a me studioso literarum proficisci possunt maxima, sic imposterum eadem paratissima sum praestiturus Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Domino Filio, Domino Comiti Emerico Thurzo etc., Domino itidem mihi benignissimo. Ad id me Naturali dtmalgm incitante, Nutritio ut meo et Domino clementissimo Honorem, officia, preces denique quotidianas pro conservatione propriae personae et totius Illustris domus Thurzonianae deferam, offeram et consecrem. Simul id ab utroque nostrum exigente Illustrissima Celsitudine Vestra, Ad quod mandatum clementissimum, ut merito debemus, sic lubenter praestituri sumus Illustrissimo Domino Comiti juniori, Domino Emerico Thurzo etc., Domino nostro gratiosissimo omnia humilima Mentis officiola et servitia.

Clementiam et Munificentiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae erga me declaratam in promissione futurae promotionis, verbis, qvibus depraedicem, aut mente, gratiarum actionem qvam concipiam, modum qvum inveniam nullum, cum Diogene mihi esse exclamandum puto: Dij remunerent, Comes Celsissime, Musageta decantatissime, Heros potentissime, et omnia vota animique coepta Illustrissimae Celsitudini Vestrae impleant, juvent et confirment, vitam et valetudinem firmam contribuant propter Patrocinium Ecclesiarum, Scholarum et aliorum sub suo patrocinio et tutela degentium.

Haec eadem effecta misericordiae et bonitatis suae largiatur summus Naturae opifex Deus Spectabili et Magnificae Dominae Comitissae, Generosissimis et Magnificis cum Dominabus Filiabus, tota denique Illustri domo Thurzoniana, Quam meis precibus quotidianis ad Deum summum directis includens una cum Illustrissima Celsitudine Vestra Divinae protectioni commendo, simulque felicem, salvum et incolumem reditum Illustrissimj Domini Comitis junioris precor et voveo.
Dabam in Athenaeo Wittebergensi, 28. Julij Juliani Anno [...] 1615.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humilimus cliens
Jsaacus Lany Thurociensis

Címzés: Illustrissimo, Celsissimo Potentissimoque Comiti ac Domino, Domino GEORGIO THVRZO de Betlehem-falwa, Comiti de Arva ejusdemque Comitatus Arvensis supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Cumanorum Judici, sacratissimi Principis ac Domini, Domini Matthiae Dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti etc. Intimo Consiliario et per Hungariam Locum-Tenenti etc. Domino Patrono ac Nutricio suo omni observantiae cultu proseqvendo.
Árva, II-L/ 4. fasc. Nro. 131. Autográf.

67.

Eliáš Láni Thurzó Imrének
Biccse, 1615. augusztus 14.

Örül, hogy a gróf egészséges. Az otthoniak is jól vannak. Bécsben megkötötték a békét a törökkel, amit már a császár is megerősített. A törököknek Esztergomnál 60 települést adnak át. A foglyokat mindkét részről szabadon bocsájtják és biztosítják a szabad kereskedést egészen Konstantinápolyig. A zágrábi püspök a varasdi evangélikusokat kiközösítette. Szomolyán várát a mi gyalogosaink biztosítják Erdődy Kristóf számára, aki Győrfyvel és Cziriákival Monyorókerékre utazott, hogy testvéreivel felosszák javaikat. Az ifjabb Szunyogh Szilézián keresztül hazatért, javait vissza akarja vásárolni. Üdvözli Spiegelt és Armprustert, akinek testvére nála tartózkodik.

Illustris et Magnifice Domine Comes, domine mihi observandissime, Salutem et copiosam honestarum artium, linguarum et virtutum messem Illustri Magnificentiae Vestrae optans me totum offero.

Si vestra Illustris Magnificentia citra valetudinis rerumque suarum jacturam metam peregrinationis attigit, ex animo laetor. Faveat ille Deus Trinvnus etiam inposterum tam valetudini, quam virtuti et omnibus honestis ejusdem conatibus. Nos hic in praesenti omnes recte adhuc per Dei gratiam valemus et messem copiosam laeti colligimus quotidie peregre absentium memores.

Pax cum Turcicis Viennae conclusa et jam per Caesaream Majestatem confirmata, certis Comissarijs (inter quos Illustrissimus dominus Pater primas habiturus partes) circa festum Michaelis traditis adhuc ad Strigonium 60 pagis effectuanda demandatur. Reliquorum Turcis ereptorum confiniorum oppida et vil-

lae Christinianis relinquuntur. Captivi vtrinque libere manu mittendi, Negociationes Constantinopolin vsque exercendi permittuntur.

Aura in toto regno adhuc salubris Vtinam et Vitebergae.

Episcopus Zagrabiensis per quendam Varasdiensem plebanum omnes cives Evangelicos Varasdini ignominiosissime excommunicavit, et bona eorum tantum non publice diripienda permisit, Qua de re Illustrissimus Dominus graviter apud Caesaream Majestatem conqueritur, et ipsi Episcopo severe scribit.

Arx Szomolian per nostros pedites pro parte domini Christophori Erdeody tenetur, qui nunc cum Domino Giorffy et domino Cyriaky in Moniorokerök profectus (illic nam omnes ipsius fratres et sorores convenere), realem bonorum divisionem solicitaturus est. Fortunet deus propositum.

Dominus Szuniogh junior hisce diebus ex Silesia advenerat, contradicens emptioni Viszolaiensi ac protestans se ea bona redempturum.

De alijs ex alijs, opinor, Illustris Magnificentia Vestra cognoscet. Salutem asscribo Clarissimo Domino Magistro Spiegelio et Domino Armbrustero, cujus frater apud me bene valet et proficit. Haec cursim properante domino Illustrissimo scripta boni consultum iri spero. Deus Vestram Illustrem Magnificentiam regat, tegat et benedicat, Amen.
Bitschae, 14. Augusti Anno 1615.

Illustris ac Magnificae Dominationis Vestrae: addictissimus precibus ac servitijs

Elias Lany

Címzés: Illustri et Magnifico Domino, domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti de Arva ac ejusdem Comitatus Comiti perpetuo, Domino mihi semper observandissimo.
Árva, IV-L/ 1. fasc. Nro. 139. Autográf.

68.

A wittenbergi egyetem rektora és tanárai Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. augusztus 24.

Nagy örömet okozott nekik Thurzó levele. Köszönetet mondanak jótéteményeiért, hogy Wittenbergbe küldött alumnusait patronálja, sőt fiát is hozzájuk küldte tanulni. Biztosítják, hogy fiáért minden tőlük telhetőt meg fognak tenni.

Illustrissime et Magnifice Domine Comes, Domine clementissime, Salutem cum prolixa officiorum pollicitatione et oblatione etc.

Est profecto hoc singulare et ineffabile gratuitae bonitatis et misericordiae aeterni DEI beneficium, quod Illustrissima Magnificentia et Generositas Vestra literis ad nos clementer scriptis agnoscit et praedicat. Quod accensam maiorum aevo per ministerium virorum immortali laude dignissimorum Veritatis Evangelicae lucem hactenus inextinctam una cum artium optimarum possessione et tractatione ita retinemus, ut illius radiis exteros etiam illustrari gaudeamus.

Quantumuis enim fremat ac saeviat hostis DEI et Ecclesiae CHRISTI ασπονδη diabolus, et quanto minus temporis se habere novit, tanto rabiosius extremum furorem effundere gestiat. Tamen regnum suum inter hostes medios asserit, tuetur et propagat Conculcator ille capitis serpentini, JESUS CHRISTUS neque permittit, ut sincerae doctrinae sementim sine fruge suo quisque loco et pro sua facultate faciamus.

Huius veritatem et benignitatem ingratissimi omnium essemus, nisi in Illustrissima etiam Magnificentia et Generositate Vestra exoscularemur, eamque inter nutricios et educatores, quos Ecclesiae suae largiturum se DEUS promisit, praecipuos veneraremur. Eundem Seruatorem nostrum unicum, Ecclesiae suae caput et Patronum supremum oramus supplices, ut quod ab una ipsius clementia profectum et hactenus continuatum agnoscimus, illud magis magisque confirmet et augeat beneficium. Nominatim vero DEUM, omnis beneficentiae remuneratorem largissimum precamur, ut quaecunque Illustrissima Magnificentia et Generositas Vestra in alumnos suos hactenus liberaliter contulit, et ipso prosperante deinceps collatura est beneficia, foenore compensare dignetur uberrimo.

Et quoniam in remunerationis huius divinae parte non postrema cum Illustrissima Magnificentia et Generositate Vestra hoc ponimus, quod Filium Illustrissimae Generositatis Vestrae unicum et dilectissimum, Illustrem et Magnificum Comitem Emericum Thurzo etc. non solum praeclare hucusque erudivi, verum etiam de voluntate et consilio inclytorum Parentum ad Academiam hanc proficiscentem Angelico praesidio in itinere satis difficili et longinquo munire voluit. In spem adducimur optimam DEUM aeternum conatibus inclytae Generositatis suae laudatissimis porro etiam ita aspiraturum, ut ad divini nominis gloriam Ecclesiaeque et totius Patriae decus et incrementum, ut et Parentum inclytorum solatium atque ornamentum, actiones universae Generosae Magnificentiae Suae dirigantur perpetuum.

Ad nos autem quod attinet, ita sibi persuadeat Illustrissima Magnificentia et Generositas Vestra, etiam atque etiam rogamus daturos nos pro virili operam, ut Illustris et Magnificus Comes Emericus Thurzo etc. omnia, quae a tenuitate nostra proficisci possunt, debitae obseruantiae benevolentiaeque officia et studia prompta semper ac parata Illustri Suae Generositati, quamdiu versari nobiscum illi placuerit, fuisse, praedicare aliquando possit. Idem studium nostrum ut semper cumulatum, experiatur Vir praestantissimus, Magister Jeremias Spiegelius, cui de tanti Patroni tam honorifico testimonio ex animo gratulamur, tum ipsius meritis, tum accuratissima Illustrissimae Magnificentiae et Generositatis Vestrae commendatione adducti curabimus.

Quod reliquum est, DEUM aeternum supplices veneramur, ut Illustrissimam Magnificentiam et Generositatem Vestram una cum inclyta Coniuge Filioque Illustri et Magnifico quam diutissime saluam et incolumem praestet et conseruet, eique diem illum exoptatum videre iusto tempore clementissime largiatur, quo reversum ex omnium voto feliciter Filium dilectissimum cum laeticia excipiat cumulatissima. Eandem vero Illustrissimam Magnificentiam et Generositatem Vestram submisse et officiose rogatam volumus, ut quam hactenus erga literas ac literatos et hanc privatim Academiam et Ecclesiam, Evangelicae veritatis nutricu-

lam prolixe declaravit animi generosi et munifici affectionem, eam perpetuo stabilem immotamque retineat, nosque universos et singulos unice sibi, quod facit, commendatos habeat.
Datum Wittebergae, die XXIV. mensis Augusti Anno CHRISTI MDCXV.

Illustrissimae Magnificentiae et Generositatis Vestrae studiosissimi atque obseruantissimi

Rector, Magistri et Doctores
Academiae Wittebergensis

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlehemfalwa, Regni Hungarici Palatino ac Cumanorum Judici, nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus supremo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino nostro clementissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 7. Octobris 1615.
Árva, II-W/ 7. fasc. Nro. 110. Eredeti.

69.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1615. augusztus 27.

Imre augusztus 7-én Wittenbergben kelt levele megérkezett. Örömmel értesült arról, hogy a szász választófejedelem és testvére jóindulatúan fogadta Imrét és társait, akik augusztus másodikán érkeztek meg Wittenbergbe. Helyesli, hogy Schmidt professzor tanácsára Kaspar Fluthhoz költöztek. Armprustertől tudja, hogy az utazásra több mint 450 forintot költöttek. Ezt az összeget sokallja. Kéri Imrét, hogy a továbbiakban kevesebbet költsön, hiszen tanulni, nem pedig költekezni küldte az egyetemre. Az otthoniak egészségesek, csak egyik nővére, Borbála beteg. Anyja augusztus 24-én elutazott hozzá Szomolyánra. Csodálkozik, hogy fia nem tesz említést arról, hogy megkapta volna leveleit, pedig Henckeltől úgy értesült, hogy továbbküldte azokat Lipcséből Wittenbergbe. Meggau úr elküldte a választófejedelemhez szóló császári ajánlólevél másolatát. A tesini hercegtől két ezüstözött puskát kapott ajándékba, ezeket fiának adja, ha jól megtanul németül. Imre még nem írt a szuperintendensnek, ezt pótolja.

Illustris ac Magnifice Comes, Fili nobis charissime, Salutem Plurimam ac felices in Studijs tuis progressus diuinamque benedictionem precati, paternam nostram beneuolentiam et studium prolixe offerimus.

Literas tuas, Fili charissime, 7. die currentis Mensis Augusti Witeberga exaratas hesterna luce recte accepimus, quae duabus potissimum e causis Nobis longe fuerunt gratissimae. Intelliximus enim [...] tam Illustrissimum Saxoniae Ducem Augustum, quam ipsum Serenissimum Electorem non omnimodo beneuolentia, fauore et humanitate te tuosque adjunctos prosecutum, sed et multis be-n[efi]tijs benignissime affecisse, suamque etiam erga Nos animi promptitudinem ac studium singulari manifesto declarasse, Pro qua gratia et singulari affectione est, quod singulares etiam et ingentes Suis Serenitatibus agamus gratias, vicissim-

que Seruitia Nostra, quae nunquam a Nobis proficisci poterunt, paratissima demisse mancipemus. Praeterea saluos vos omnes ac sospites DEO Duce, Comiteque Sancta et indiuidua Trinitate Postridie Calendas Augusti Wittebergam feliciter appulisse magnopere sane et animitus laetamur. Summum illud Numen, Deum aeviternum suppliciter Venerantes, dignetur et imposterum tibi paterna sua gratia et immensa bonitate benignissime adesse, ut in Portis hortisque Israelis constitutus ab omnibus fortunae telis et calamitatis jaculis tutus et immunis Ecclesiaeque primum DEJ, dein patriae huic afflictissimae Nobisque etiam Senio grauescentibus redux et quamdiutissime superstes esse possis.

Quod ex consilio ac suasu Dominorum Professorum, praesertim Vero Clarissimi Domini Magistri Smidt ob certas et euidentes rationes hospitium Vestrum immutaueritis, et ad Dominum Casparem Fluth, Senatorem et Apothecae Dominum etc. concesseritis, recte nostro Judicio fecistis. Nolumus enim Filium nostrum, quem Studiorum gratia emisimus, ob hospitium ac victus rationem a Dominorum Professorum colloquio et congressu prohiberi, quin potius assiduo ac frequenter cum ipsis conversari eum malumus, cum fieri non possit, ut ex tali hominum Doctorum conuersatione non fructus aliquis redundet maximus. Et haec sunt, quae hac vice ad literas tuas respondere habuimus. Vnicum tamen hoc silentio transire non possumus, quos ex literis Armprusteri intelleximus ultra Quadringentos et Quinquaginta florenos in itinere Witebergam usque consumtos esse, Qui quidem Sumtus Nobis aliquantum largiores uidentur, praesertim quoad donaria seu honoraria pro monstratione rerum Visu dignarum exposita. Etenim, si vel Nos ipsi praesentes fuissemus, nunquam plus dedissemus, Quare Volumus, imo mandamus, ut relinquo sumtus fiant parcius. Non enim propter ostentationem, sed propter studia et linguas honestas emissus es, quibus tandem aliquando feliciter absolutio paternisque bonis adeptis nihil obstat, quo minus te liberalem ostendere, erg[a] [be]nefactores suo tempore largiorem praebere possis.

Coeterum Nos [nost]ramque quod attinet, Valetudinem per DEJ gratiam cum Domina Matre charissima Sororibus tam nuptis, quam innuptis prospera utimur, praeterquam quod Magnifica Domina Soror Barbara Erdeödy non ita pridem ingrauissimum incidit morbum, adeo ut etiam abortum passa fuerit, quam invisendi gratia Domina Mater die 24. huius Mensis post prandium in Szomolan profecta est, Vnde literas tuas eidem ac Sororibus coram exhibere non potuimus, sed submittere easdem debuimus. Dominam tamen Sororem tuam Barbaram Erdeödy meliuscule se habere hodie nobis perscribitur. Quam DEUS Optimus Maximus et nos omnes ab omnibus malis et aduersitatibus clementissime custodere, sospitesque quam diutissime conseruare dignetur.

Quod scribamus aliud, non habemus, solummodo te diligenter ac paterne monemus, ut in studijs tuis alacriter procedas, et nec tempore, nec calamo parcente de statu ac Valetudine tua soepius ad nos scribas. Facturus es rem nobis longe acceptissimam tuoque officio convenientem. De coetero te DEI Optimi Maximi tutelae commendamus, et quam secundissime Valere cupimus.
Ex Arce nostra Byttchensi, die 27. Augusti Anno Domini 1615.

Post Sciptum: Miror, charissime Fili, quod nullam literarum mearum ad te exaratum in literis tuis ad me datis facias mentionem, cum tamen solum in hoc

labenti mense Tres fasciculos literarum ad te Vitembergam, Prima 14. et nunc 25. expediverim. Lipsia quoque Generosus Dominus Lazarus Henkell certificetur Primum fasciculum receptum fuisse et Vitembergam transmissum. An itaque tales meas literarum receperis, me certiorem reddere non praetermittas. De Commendatitijs Suae Caesareae Regiaeque Majestatis literis ad Serenissimum Electorem datis, quidnam Illustrissimum Dominum Meghau supremus Suae Majestatis Cubicularum scribat, ex paribus literarum eiusdem intellegere poteris, si itaque tales Suae Majestatis Literae sint tibi exhibitae, nec, ut facias, insciam.

Illustrissimus Dux Thesiniensis per proprium Nuntium transmisit duo Sclopeta affabre elaborata ac Argento Insignijsque meis in Argento exculptis ornata, quo in Arcem Letawa pro conseruatione transmisi, Si Dominus deus (ut apud Suam diuinam Majestatem Orationibus nostris efflauitamus) saluum et incolumem cum profectu studiorum tuorum Germanicaeque linguae bene gnarum reduxerit, et habere, et in usum tuum una cum alijs rebus pro tempore tibi necessarijs convertere poterit. Ad dominum Reverendum Superintendentem quod nullas hactenus dederis Literas, quo sit, causa ignoro, cum tamen tibi bene cupiat, Orationesque suas ad dominum deum pro verum tuarum foelici successu fundare [...] quoque infallor iam binas ad te exaraverim literas, trinaeque intermissionis Literas nomine accusari possis, m[.]ijs scribendis sis in posterum, moneo te diligenter, quoad enim verbi divini Ministros honoraveris, nosque amare complexus fueris, ipsique praeces suas apud diuinam Majestatem pro te interposuerint, bene tecum agetur, cunctaque[?] faeliciter et ex voto procedent, et haec manu mea celerique calamo adiugenda esse putaui. Vale charissime fili ac valetudinem tuam cura diligenter.

Pater tuus quoad vixerit erga te beneuolentissimus

Comes Georgius Thurzo
manu propria

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlenffalwa, Comiti Perpetuo de Arwa eiusdemque Comitatus Supremo ac Perpetuo Comiti etc. Filio nostro charissimo. etc. Vitebergam.

Thurzó Imre kezével: Accepi 8./18. Septembris. Respondi 9./19. Septembris

OL E 196. 15. cs. 72. fasc. Nro. 21. Az utóirat és az aláírás autográf.

70.

Eliáš Láni Thurzó Imrének

Biccse, 1615. szeptember 4.

Tegnap, miután a kántor beiktatására érkezettek eltávoztak, kapta meg Thurzó levelét. Örül annak, hogy fia jól van. A Thurzó szülők Rajecen Hathalmi úrral birtokügyben tárgyalnak. A gróf innen Nagyszombatba megy, a grófné pedig Vitencbe készül, ahol orvosi ellátásban részesül. Onnan a pösténvi melegfürdőbe indul. Wesselényi Miklóst vára elhagyására kényszerítették. A törökkel kapcsolatos ügyekről már

korábban írt. Nagy a szárazság, a folyók elapadtak, már csak a Vágon és Zsolna folyóján működnek a malmok. A szárazság sok helyen okoz pestist. Maczkó majd bővebben beszámol ezekről. Kruspieren keresztül figyelmeztette Szunyogh urat, aki minden bizonnyal rendezni fogja adósságát.

Illustris et Magnifice Domine, domine Comes mihi observandissime, salutem vegetam cum prosperis studiorum et laborum successibus Illustri Magnificentiae Vestrae precatus, preces meas eidem commendo.

Desideratissimas Illustris Magnificentiae Vestrae literas heri sub vesperam post dimissos dominos Collegas, qui Cantoris nostri Ordinationi intererant, cum gaudio accepi et cum voluptate perlegi. Qui enim non gaudeam dominum et Patronum meum superatis tot viarum locorumque difficultatibus atque periculis scopum peregrinationis suae Deo duce et Comite feliciter attigisse? Qui non toto animo gestiam eum in dulcissima studiorum Nutricula et auram, et victum, et omnia secunda experiri? Dei haec est paterna providentia, quae suos nunquam destituit, dummodo nos sub vmbraculum ejus recondamus et caute ambulemus.

Non minus gratum est, quod filium quoque meum Isaacum in tolerabili valetudinis statu repertum atque etiamnum constitutum intelligo. Faxit ille supremus fons lucis et vitae, vt similia etiam in posterum legamus et audiamus.

Illustrissimus certe dominus vna cum Illustrissima domina hoc tempore mediocri fruuntur valetudine, et jam profectionem Ragecium adornant, vbi celebrabitur jus cum domino Hathalmi causa territoriorum. Hinc reversus die 12. descensuri sunt, dominus quidem Illustrissimus Tirnaviam ad Conventum dominis Consiliarijs et Judicibus regni indictum, Domina autem Illustrissima in Witencze vsura ibidem medicamentis et postmodum thermis Pesthiniensibus.

Nicolaum Wesselinium pater omnino ex arce auferre conatur, atque adeo bis jam repetijt. Vix diutius detinere poterit.

De rebus Turcicis et promissorum 60 pagorum deditione, quo sit res in statu, ad Dominum Magistrum perscripsi.

Siccitas apud nos inaudita multos exiccavit fluvios ita, vt et molae ferientur, nec praeter Vagum et amnem Zolnensem vspiam aliquid molatur. Eadem plerisque in locis causat pestem pecorum apud Turcas etiam hominum. Et cum circa hoc tempus anni alias finiremus sementem autumnalem, nunc ne incepimus quidem. Deus misereatur nostri. Sed de his et alijs coram pluribus Maczko narrare poterit.

Quantum ad Dominum Szuniogh, ego heri per dominum Kruspierum admoneri eum curavi de dissolvendo, quod Vitebergae conflavit, aerae alieno. Ac existimo jam hac ipsa occasione id facturus fuisse, verum pater domo abest. Qui postquam venerit, fidem filij procul dubio liberaturus est.

Ego hic finem facio, deum venerans, vt Vestram Illustrem Magnificentiam cum sibi adjunctis clementer servare et in honestissimis doctrinae, virtutum et pietatis exercitijs benedicere dignetur, quo possimus eandem absoluto curriculo salvam atque florentem recipere. Cui me meumque Isaacum iterus[!] atque iterum commendans, feliciter eandem valere opto.

Dabam Bitschae, 4. Septembris Anno 1615.

Illustris Magnificentiae Vestrae: omnibus observantiae officijs addictissimis

Elias Lany

Címzés: Illustri et Magnifico domino, Domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti perpetuo Comitatus Arvensis, domino mihi omnibus observantiae officijs colendissimo.
Árva, IV-L/ 1. fasc. Nro. 140. Autográf.

71.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1615. szeptember 4.

Imre és társai augusztus 18-án kelt wittenbergi levelét megkapta. Örül, hogy egészséges, és annak is, amit a választófejedelemről és a professzorokról írt. Tanulmányairól a professzorok és kiváltképp Spiegel gondoskodnak majd. Az otthoniak egészségesek. Minél előbb küldje el Sennert doktor tanácsát anyja betegségére vonatkozóan, nem lesz hálátlan. Szeptember 17-én a császár által összehívott tanácskozásra megy Nagyszombatba. A család egyéb ügyeiről anyja leveléből fog értesülni A császárnak a szász választófejedelemhez írott leveleinek német másolatai megérkeztek. Ezek latin fordítását megtartja, a német nyelvűeket pedig elküldi. A Kiss Ferenctől vásárolt ló megdöglött. Azon lesz, hogy Imre visszatértéig pótolja. Négy köteg füstölt halat küld, fogyasszák jó étvággyal. Szeretné, ha olykor németül is írna. Emberei segítségével megbízhatóbbá teszi a levelek eljuttatását, így a professzorok is írhatnak neki.

Illustris ac Magnifice Comes, Fili nobis optatissime, Salutem et animum affectumque paternum praemittentes.

Redditae sunt nobis Tuae tibique adjunctorum literae 18. Augusti recens praeterito Witeberga exaratae, quae nobis fuerunt gratissimae ex eo, quod te DEI Optimi Maximi beneficio prospera frui valetudine, Tum Serenissimo Electori, domino meo benignissimo, ac dominis Professoribus, quibus commendatus es, acceptum esse. Profectus denique in studijs et vocatione moderna optatos in dies facere: intellexerimus. Faxit benignum Numen, vt similia noua de statu praesertim valetudinis Tuae crebrius inaudire ac congratulari queam. In qua procuranda et tuenda quantum in te situm fuerit, sedulam adhibe curam. Cursum studiorum tuorum jam ante post Deum praepotentem Dominorum Professorum Inclytae istius Academiae fideli curae, domini Magistri Spigelij solerti industriae comisimus: Nihil haesitantes Suas Claritates, quaecunque ad officium spectare videbuntur, eorum interminsuras nihil. Pro quo et nostra quouis tempore ac loco parata experientur studia, amicitiamque propensissimam.

Ad nos quod attinet, fruimur DEO propicio mediocri valetudine, constituimusque ex benigna Suae Majestatis Domini, Domini nostri Clementissimi commissione pro 17. imminentis mensis Septembris die Conuentum quendam Tyrna-

uiae celebrare, ubi in frequentia dominorum Consiliariorum Suae Majestatis, nec non Magnificorum Pronotariorum coeterumque Regni huius judicum ordinariorum: Negotia quadam publica Regni, Tum fisci Suae Majestatis assumi et reuideri debebunt.

De Domina Matris Tuae, quae per DEJ gratiam quoque tolerabili fruitur valetudine, tum de Sororum tuarum charissimarum incolumitate ac statu Ex eiusdem dominae Genitricis tuae fusius intelligere poteris literis. Domini Doctoris Sennerti Medici consilium in causa valetudinis soepefatae dominae Parentis tuae, si commode et quamprimum habere potueris, huc mittere non praetermittas. Si fors necessitas postulauerit, tali uti Suae Excellentiae praescripto a tempore expectabimus, et laboris dicti domini Doctoris non erimus ingrati.

Commendatoriarum Suae Majestatis ad Serenissimum Electorem daturum paria Germanico idiomate scripta huc transmissa sunt, quae in Latinum conuersa hic retinuimus, Germanica autem praesentibus nostris annexa, ut, si opus est, ea inuicem conferas, tibi mittimus.

Noua tam ardua nulla sunt, quam quod nudius tertius Equus ille a Francisco Kyss emtus repentino correptus morbo uiuere desijt, dabimus tamen operam, ut loco eius praestantiorem, cum bono DEO domum ex hac peregrinatione reuersus, reperire queas.

Hinc cum aliud ad tuum palatum hac vice mittere nequeamus, Crutarum fumo maceratarum ligaturas quattuor ex fluuijs nostris collectas, tibi mittimus, optantes, ut illis salubriter vescaris.

Postremo, quod alias soepe monuimus, quodque uel ultro facis, scribendarum ad nos literarum nullas uane elabi sinas occasiones. Et praestiterit sane jucundumque nobis fuerit, si non semper Latino, verum Teutonico interdum Idiomate eas ad nos exares: ut tam styli, quam lingua exercitium te concipere intelligamus. Vale ad vota secundissime.

Datum in Arce nostra Byttchensj, die quarta Septembris Anno 1615.

Per praesentium exhibitorem subditos meos, quorum alterum pro itineris Vitebergensis exploratione, ut alio iterum tempore commodius ad te expediri possit, ad te, chare fili, dimisi, commode de omnibus scitu dignis tam ad me, quam ad alios, ad quos volueris, literas exarare poteris. Ex Clarissimis quoque Dominis Professorisbus, si quis animum scribendi ad me habuerint, literas tuto transmittere poterint. Quos nomine meo quam diligentissime salutabis et offitia mea ijsdem defferes.

Pater tuus quoad vixerit semper benevolentissimus
Comes Georgius Thurzo
manu propria

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlemffalua, Comiti libero ac haereditario de Arwa eiusdemque Comitatus Aruensis Supremo et perpetuo Comiti etc. Filio nostro charissimo. Vitebergam.

Thurzó Imre kezével: Accepi 19. Septembris Respondi 21. Anno 1615.

Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 117. Az utóirat és az aláírás autográf.

72.

Franz Armpruster Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. szeptember 5.

Illustrissime Comes, Regni Hungariae palatine, Domine Domine gratiosissime. Humilium fideliumque servitiorum meorum in gratiam Illustrissimae Celsitudini Vestrae demissam subiectionem.

Nagysaghodnak ez Irasomal alazatossan ertésére akaram adny hogy Cházár Vrunk eö Feolseghe az Saxonyay Electorhoz ualo Commendatioiat chak szinten most hozák megh, melly Commendationak mássát az mynt Henkhel Geörgy Vram Praghabul megh kwldeötte Nagysaghod in specie az Vrffy leueleben megh talaia. Az Vrffy eö Nagysagha allapattiarol Nagysaghodnak azt irhatom hogy hala az Nagy Istennek keuanth ioo eghessegghell bir eö Nagysagha, enghedgye eö Zenth Feölseghe Nagysaghotok feleöllis hamar ualo nap illien kedues hireketh erthessewnk: mellyeketh sziuwnk szerinttis uariuk, miert hogy es elmult Julius hauanak utolso napiatul foghuast Nagysaghtok feleöl sem szoual sem irással semmit sem erthettwnk! Teöbb kiroll Nagysaghotoknak mosthanaban irhatnek, semmy nynch, hanem Nagysaghodat az Vr Isten kegyelmes ghonduisselese ala alazatossan ayanlom.
Keölt Witteberghaban, 5. die Mensis Septembris Anno 1615.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Humilis ac fidelis servitor.

Franciscus Armpruster
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comitj ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenfalwa, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenentj, Comitj perpetuo de Arwa eiusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comitj etc. Domino Domino meo gratiosissimo. Bycham.
Thurzó György kezével: Exhibitae Tirnauiae 21. Septembris 1615.
Árva, II-A/21. fasc. Nro. 119. Autográf.

73.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. szeptember 5.

Nem kapott apjától levelet, azoktól eltekintve, amelyek bécsi és prágai leveleire válaszként érkeztek. Az utolsót július végén írták Biccsén. Azóta apjáról semmit sem tud. Ő viszont Wittenbergből és Drezdából már négy levelet írt. Jelenleg egészséges. Szeretne Hamburgba utazni. Alkalmasnak látszik erre a lipcsei vásár ideje, ami az új naptár szerint október 9-re esik. Ekkor a tanárok és tanulók többsége is odauta-

zik. Kéri apját, hogy engedje el őt arra a vidékre, mert nagyon szeretné látni az ősi várost és a tengert, s közben a német nyelvet is gyakorolhatná. Biztos abban, hogy apja bátorítani fogja. Szüleinek és nővéreinek jó egészséget kíván.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime, Salutem ac servitiorum meorum subjectissimorum filialiumque commendationem.

Etsi Illustrissimae Vestrae Dominationis literas nullas acceperim praeterquam responsorias ad Vienenses atque Pragenses meas, quarum ultimae ultima Julij erant Bittcha exaratae, ex quo tempore nihil penitus de Illustrissimarum Vestrarum Dominationum statu certi quid intelligere potui. Cum tamen ego et Dresda, et hinc quoque Wittcberga quaternas exaraverim. Verum scienti mihi Illustrissimam Vestram Dominationem multis varijsque idque Publicis negotijs occupatam esse, non est, quod conquerar. Mearum autem esse partium existimavi has quoque prioribus adjungere, ut ita Illustrissima Vestra Dominatio intelligat mihi maxime curae esse in omnibus Illustrissimae Vestrae Dominationis Paternae admonitioni satis facere. Nunc autem, quid scribam, nescio, (Rerum enim Imperalium Illustrissima Vestra Dominatio habet et scriptores et nuntios, mihi nova vel eadem, vel dubia, interdum etiam nulla sunt). Valetudinem autem meam quod attinet, ea, laus sit DEO OPTIMO MAXIMO, optimo in statu est constituta. Faxit idem Summus et OPTIMUS, ut et de Illustrissima Vestra Dominatione cuncta felicia prosperaque audire mihi quam primum liceat. Haec cum ad Illustrissimam Vestram Dominationem scriberem, non alienum putavi, si hac ipsa occasione Illustrissimam Vestram Dominationem orarem de exigua sane re, quae nullus dubito, quin apud Illustrissimam Vestram Dominationem per me obtineatur, praesertim cum ex parte Illustrissima Vestra Dominatio quoque, cum adhuc domi essem, assenserit. Notum est Illustrissimae Vestrae Dominationi, quod caret alterna requie, durabile non est, neque sub sole quicquam, quod non vicissitudine gaudeat, et varietate delectetur. Atque equidem de me quoque idem fateor, qui aliquandiu in uno loco hic haerens gestio aliquantulum excurrere, et (sine studiorum tamen damno) exspaciari, sique liceret Hamburgum descendere. Cum vero nullum tempus ad eam rem commodius videam, quam Nundinas Lipsenses Michaelis, quae fere in 9. Octobris secundum novum quidem calendarium, vetus autem in 29. Septembris, incidunt. Quo tempore et studiosorum plurimi, et Professorum nonnulli eo se conferunt, quo etiam fluvius civitatem perlabens propter imminentem novi Cuculi coctionem non sine magno et noxio foetore multos expellente per totam paene septimanam purgatur. Iccirco obnixe oro Illustrissimam Vestram Dominationem, ut liceat per taediosissimas duas septimanas mihi ad partes illas Saxonicas excurrere, et Hamburgum urbem tum vetustate, tum Maris propinqvitate longe famosissimam visitare. Iter est facilimum, 4 dierum spatio aqua et aliqvis venire potest, reditus autem terra institutus 6 dierum spatio facile adsolvetur. His autem diebus lingua quoque Germanica exerceri vel maxime posset, varia enim objecta varias quaestiones moverent. Habeo jam profecto occasionem talem, qualem vix unquam in posterum. Hiems enim statim post instabit, Ver studiorum est, non peregrinationum, Aestas fervore et pulvere ipso iter perturbat, itaque Autumnus est ad peregrinandum commodissimus. Sed quid diu moror? Cur ulterius Illustrisimam Vestram Dominationem tot persuasi-

onibus onero, cum jam certo sciam esse exoratam, ipsamque ultro etiam me adhortaturam. Cum non nesciat valetudini et studijs quoque meis, ut et experientiae non contemnendae hoc iter non obfuturum, sed profuturum, idque cum jucunditate commoditateque maxima. Ego omnibus viribus enitar DEO Auxiliante, ut Illustrissimae Vestrae Dominationis concepta de me spes non in vanum cadat, perpetuisque meis servitijs hanc Illustrissimae Vestrae Dominationis erga me Paternam propensionem recompensare studebo. DEVS OPTIMUS MAXIMUS Illustrissimam Vestram Dominationem cum carissima Magnifica Domina Matre ut et sororibus meis itidem carissimis quam diutissime in bono flore valetudinis conservatam velit.
Datae Wittebergae, 26. Augusti 5. Septembris Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obsequentissimus
Comes Emericus T[hurzo
manu propria]

Post Scriptum: Accepi jam tandem literas Imperatorias ad Serenissimum Electorem 5. Septembris hora 11 ante meridiana, quae tamen 23. Julij erant exaratae, earum paria Illustrissimae Vestrae Dominationi mitto, literas autem ad Serenissimum Electorem transmittam.

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo, Comiti de Arwa Ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino etc. etc. Domino Patri suo summo filialis observantiae studio colendissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Tirnavjae 21. Septembris 1615.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 111. Autográf.

74.

Johann Wanckel Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. szeptember 5.

Történeti példákkal bizonyítja, hogy az örökölt hatalom és gazdagság, valamint a megszerzett tudomány együttesen adja az igazi nagyságot. Ezt az utat követte a levél címzettje is, amikor fiát Wittenbergbe küldte. Imre bizonyára eredményesen tanul majd, hiszen már gyermekkorát is tanulmányokkal töltötte. Hálálkodik a napokban Spiegel közvetítésével megkapott levélért és ajándékért.

Illustrissime et generosissime Comes, Domine clementissime, Salutem et devotam officiorum oblationem.

Artes honore ali, nec ullam tam barbaram fuisse aetatem, in qua docti viri in precio non essent, omnium seculorum testantur historiae. Neque vero ad hoc probandum eorum tantum exempla faciunt cum vetera, tum recentia, qui ex minimis ignobilibusque initiis sola doctrinae commendatione ad maxima dignitatum decora ascenderunt. Sed locum hic potissimum habet virorum natalibus splendidorum et divitiis cumulatorum dignitas per se quidem amplissima, verum ipsa

optimarum artium accessione mirabiliter aucta et illustrata. Sane optimam studiorum matrem pauperiem etiam veteres dixerunt, ut ab illis strenue colendis nemo propter pauperiem absterreretur. Interim tamen, ut ostenderent adipiscendae doctrinae desiderio studioque divites tenuioribus cedere, haud quaquam debere, non sunt veriti purpuratas adagio veteri simias appellare, qui non essent optimis disciplinis imbuti. Beatiores enim isti hoc ipso, quod magis sunt omnium oculis expositi, deteriore sunt, quam alii, conditione, quod pauperi imperitia non aeque oneri ac pudori est, sicut illustri generosoque homini, qui cum se nobilem profiteatur, si indoctus sit, etiam plebeis viris ridiculo habeatur. Intellexerunt hoc Persarum Monarchae, qui filios suos, et potissimum eos, quos spes proxima successionis contingebat, non solum a prima infantia viris optimis et praestantissimis educandos committebant, sed pueritiam egressos in disciplinam tradebant iis, quos Regios Paedagogos appellabant, viros sicilet selectos ex iis, qui apud Persas sapientissimi, justissimi, temperantissimi fortissimique habebantur. Scholas vero suas non in angulo aliquo, sed in loco celeberrimo proxime regiam seu palatium instituebant, ubi Principes viri ad jus reddendum, docendum, interpretandum moresque juventutis effingendos considebant. Hujusmodi educationis illustre exemplum in Cyro minore Plutarchus proponens gloriantem illum inducit, quod doctior fratre Artaxerxe Philosophus et magus esset melior. Eundem hoc ornat elogio Xenophon, quod vir inter Persas consentiente omnium judicio post Cyrum illum priscum maxime regia fuerit indole atque imperio dignissimus.

Hac vero et quae in eandem sententiam afferri possent plurimam, quanto magis cogito, tanto majore praedicatione et admiratione dignam judico illam, quae singulari omnipotentis DEI beneficio illustrissimae Magnificentiae Vestrae concessa est, felicitatem. Non solum enim ipsamet splendorem generis sui eruditae doctrinae radiis illustrare voluit, et ut idem Filius unicus et carissimus, illustris et Magnificus Comes, Emericus Thurzo etc. faciendum sibi statueret, nulli curae pepercit et diligentiae, Sed etiam voti sui compos facta ex Filii unici et carissimi profectibus laudatissimis fructum ita jam percipit copiosum, ut pleniorem sperare in dies et posteritati, quod ratum DEUS faciat, polliceri possit uberrimum. Qui enim tanta cum laude primos adolescentiae peregit annos, de hujus aetate quid non sperandum confirmatiore? Qui Parentum illustrissimorum et carissimorum conspectum et consuetudinem, ut alia taceam erga natale solum, quibus omnes natura adstringi voluit, caritatis vincula, Academicae [...] et discendi plura desiderio post habuit. Eum quis operam DEO pr[opitiante] sedulam daturum dubitet, ut concitatam de se spem et expecta[tionem] [...]um vincat? Quae cum ita sint, primum quidem DEO aeterno et misericordi gratias ago maximas, quod etiamnum ad regnum Filii sui coaeterni, Domini nostri JESU CHRISTI conservandum ac propagandum nutritores Ecclesiae suae largitur fideles et munificos, idque ut ad finem usque seculorum clementissime faciat, ex animo precor.

Deinde illustrissimae Magnificentiae Vestrae de tali Filio, et ipsius Filii inclytae Generositati de tali Parente gratulor, et Deum aeternum rogo, ut ad nominis sui gloriam et Ecclesiae undique afflictissimae solatium et incrementum non solum Parentem Filio, Filium Parenti quam diutissime incolumem et floren-

tem conservet, sed illustrissimae quoque Magnificentiae Vestrae vitam ad illud usque tempus proroget, quo laeticiam eam, quam nunc ipsa ex Filii unice chari pietate et virtute Deo propitiante percipit. Magno cum foenore vicissim filio carissimo contigisse salva Patria, florente Ecclesia laetari possit. Nec vero minus Academiae nostrae tantum ab illustrissima Magnificentia Vestra simul et hujus Filio generosissimó honorem dubitum gaudeo et gratulor, et eundem DEUM rogo, ut ita tum illustrissimi Comitis Emerici etc. studia gubernet, tum laborem Praeceptorum fortunet, ut neque consilium susceptum illustrissimae Magnificentiae Vestrae Filioque inclyto displicere unquam incipiat, neque fructus inde ad Academiam Patriamque universam redire desinat copiosus.
Ad me vero privatim quod attinet, ut inter dies, quos in vita laetos et honoratos DEUS me videre voluit, illum praecipuo loco numero, quo literas Magnificentiae Vestrae illustrissimae clementissime scriptas una cum munere luculento Magister Spiegelius summus meus mihi exhibuit. Sic parum, ne dicam nihil, a mea tenuitate proficisci posse, quo gratum aliquo modo animum declarare valeam, haud scio dolere magis, an gaudere debeam. Sed cum me colligo, DEO potius agendas agnosco gratias, quod eos hic Viros inclytus Comes Emericus Thurzo etc. invenit, quorum conversatio grata et utilis Generositati Suae esse possit, quam aegre ferendum, voluntati meae facultatem non semper respondere. Hoc certe sperare posse mihi videor fore, ut quam nunc inclytus Comes Emericus Thurzo immerenti mihi prolixe benevolentiam declarat, eam non solum perpetuo retineat, sed in illustrissimae quoque Magnificentiae Vestrae animo commendatione sua confirmare et augere pergat. Quod reliquum est, scriptionem hanc et tardiorem fortasse et verbosiorem et minus elaboratam, quam decebat, ut illustrissima Magnificentia Vestra clementi et benigno vultu a Sene accipiat, humiliter rogo, et eandem recte feliciterque vivere et valere opto et cupio. Illustrissima Magnificentia Vestra Bene Valeat.
Wittebergae, Nonis Septembris Anno MDCXV

Illustrissimae Magnificentiae Vestrae devotissimus

Johannes Wanckelius
Historiarum Professor publicus

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlehemffalwa, Regni Hungariae Palatino ac Cumanorum Judici, nec non de Arwa perpetuo ejusdemque Comitatus Supremo Comiti, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locum tenenti etc. Domino suo clementissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 7. Octobris Anno 1615.
Árva, II-W/ 1. fasc. Nro. 120. Autográf.

75.

Ludwig Wilhelm Moser Thurzó Imrének
Drezda, 1615. szeptember 6.

Az előző napon kapta meg levelét, és ebből megtudta, hogy mit vár tőle. Átadta volna a császár levelét a szász választófejedelemnek, ha a fejedelem Drezdában tartózkodott volna, de ő az évnek ebben a szakaszában nem marad Drezdában, idejét vadászattal tölti. A levelet felbontotta. Mihelyt a fejedelem visszaérkezik, késlekedés nélkül teljesíteni fogja a megbízatást.

Illustris ac Generose Domine Comes, Generositati Tuae Salutem cum officiorum meorum paratissimorum oblatione submisse adscribo, Domine gratiose.

Generositatis Tuae literas ad me exaratas pridie accepi, ijsque perlectis intellexi, quid a me perfici cupiat. Commendaticias Sacrae Caesareae Majestatis literas debita cum reuerentia Serenissimo Domino Electori Saxoniae, Domino meo clementissimo tradidissem, si Serenitas Sua praesens fuisset, sed cum ea adhuc se globis bombardicis hoc anni tempore traijciendis in ceruis delectetur, neque in aula Dresdensi iam fiet, hoc officij, quicquid sit, genus efficere non potui, impeditum igitur me ut Generositas Tua excusatum habeat, officiose peto. Aperuj autem praefatas literas, easque Serenissimo meo Domino Electori, ubi aduenerit, offeram, non dubitans, quin Serenitas Sua Generositatem Tuam non tantum propter egregiam illam Caesareae Majestatis commendationem, uerum etiam ob eam, qua semel eandem complexa est, gratiam et benevolentiam in posterum etiam sit prosecutura. Ego, si commodis Generositatis Tuae quacunque etiam in re inseruire potero, animi promptitudinem submisse spondeo, eandem profectioni diuinae commendando, ut optima fruatur valetudine, foelicique in studiorum cursu, ut progrediatur ex animo uoueo, meque in numero clientum et ministrorum suorum esse ac permanere, ut patiatur, officiose et submisse rogo. Datae Dresdae, ante diem 8. Idibus Septembribus Anno 1615.

Generositatem Tuam submisse colens et obseruans

Ludovicus Wilhelmus Moser
Serenissimo Electori Saxoniae etc.
in consilijs et epistolis secretioribus

Címzés: Illustri et Generoso Comiti ac Domino, Domino Emerico Thurzo de Bethlen ffalua, Comiti perpetuo et haereditario de Arwa eiusdemque Comitatus supremo perpetuoque Comiti etc. Domino meo gratioso.

Árva, IV-M/7. fasc. Nro. 121. Autográf.

76.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. szeptember 12.

Apjának augusztus 15-én kelt levelét szeptember 10-én megkapta. Nagy örömmel olvasta, hogy az otthoniak jól vannak. Ő maga és társai is egészségesek. Megajándékozta Koppel doktort, jó lenne, ha apja pedig Hoë doktornak honorálná kedvességét és, hogy beajánlotta őt a választófejedelemnél. Nagyon szem előtt tartja tanulmányait, erről apja már más levelekből értesülhetett. A szuperintendens levelét és a küldeményeket a címzetteknek – övéinek – továbbította. A magiszter, aki a minap nem tudott írni, hamarosan kimenti magát apja előtt.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime, Salutem ac servitiorum meorum subjectissimorum filialiumque commendationem.
Literas Illustrissimae Vestrae Dominationis die 15. Augusti exaratas post longam sane expectationem 10. Septembris cum summa laetitia accepi, majorique cum jucunditate legi, maxime tandem perlectis exhilaratus sum, cum praesertim intellegerem Illustrissimam Vestram Dominationem cum carissima Magnifica Domina Matre, ut et sororibus meis itidem carissimis in bono statu valetudinis constitutam esse, tum demum jure exclamavi, sat cito, si sat bene, DEVM OPTIMUM MAXIMUM indesinenter orans, ut Illustrissimam Vestram Dominationem una cum suis in annos Nestoreos eodem in flore valetudinis clementissime conservare velit. Ego quoque una cum meis adjunctis benedicente DEO ex animi sententia valeo, quod ut de Illustrissimis Vestris Dominationibus mihi inposterum quoque percipere liceat, Divinam Majestatem supplex oro. Dominum Doctorem Hoe, ut et Dominum Doctorem Köppelium, si per literas Illustrissima Vestra Dominatio visitare dignabitur, faciet rem mihi quidem pergratissimam, Illustrissimae vero Vestrae Dominationi honestissimam. Et Doctori qvidem Köppelio sufficiet literaria[?] gratiarum actio, jam enim hunc munusculo qvodam affeci, Domino Doctori vero Hoe, quo minus idem fieret, loci incommoditas non patiebatur. Huic itaque, si aliquod honorarium Illustrissima Vestra Dominatio mittet, erit optimum, Plurimis enim modis non dico humanitatis officia, verum etiam
servitia erga me declaravit, Praestabat se ad Serenissimum Electorem proxenetam apud eius Serenitatem commendatorem et interpretem, in mensa privata hospitem et commensalem suavissimum et amicissimum, qvem tum qvidem promissis confirmavi remuneratione et satisfactione in Illustrissimam Vestram Dominationem rejecta. Quod si jam Illustrissima Vestra Dominatio faciet aliquid hac in parte, rem profecto praestabit Illustrissima Sua Persona condignam, illique haud ingratam. Munera namque hodie placant hominesque deosque. Ego etiam servitijs meis hanc erga me Illustrissimae Vestrae Dominationis propensionem recompensare pro virili enitar. Nova, si qua essent, perlibenter Illustrissimae Vestrae Dominationi intimarem, sed profecto nulla sunt, quae ego quidem scirem, hic enim Wittebergae fere non alia, quam Praga allata habemus, quae cum sciam Illustrissimae Vestrae Dominationi fuisse transmissa, repetere eadem supervacaneum existimavi. Si quid erit in futurum, faciam, ut Illustrissima Vestra

Dominatio quam primum sciat. Studia mea juxta Illustrissimae Vestrae Dominationis mandatum minime negligo, quod ex alienis Illustrissima Vestra Dominatio quoque literis percipere poterit. Verum in omnibus DEO benedicente admonitioni Paternae Illustrissimae Vestrae Dominationis me accomodaturum pro posse meo et promitto, et studeo. Literas meis quidem adjunctas, videlicet Domini Superinterdentis, ut et alias quasdam in unum fasciculum colligatas ad Illustrissimae Vestrae Dominationis alumnos spectantes et accepi, et juxta Illustrissimae Vestrae Dominationis mandatum illis tradi curavi. Dominus Magister, quod scribere nuper non potuerit, sese procul dubio excusabit, Illustrissimae Vestrae Dominationi veniamque merebitur. DEVS OPTIMUS MAXIMUS Illustrissimam Vestram Dominationem Patriae cumprimis afflictissime, ut et nobis quam diutissime conservatam velit.
Datae 2./12. Septembris Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obseqventissimus
Comes Emericus Thurzo
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo, Comiti de Arwa Ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino etc. etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 7. Octobris 1615.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 122. Autográf.

77.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1615. szeptember 13.

Wittenbergből augusztus 22-én kelt leveléből tudja, hogy Imre és társai jól vannak. Ő maga, felesége és lányai is egészségesek. Huttert és a többi doktort és professzort üdvözölje apja nevében, és tudassa velük, hogy leveleiket megkapta. Legfontosabb dolga a tanulás legyen, és ne csak latinul, hanem németül is írjon. Imre kérésére wittenbergi szállásadójának írt egy levelet, de kéri, a levélre fia írja rá a címzést. Lánya, Imre nővére, Czobor Mihály felesége folyó hó 6-án kislányt szült, Thurzó Szaniszló felesége pedig fiút. Hivatali ügyek miatt Nagyszombatba készül, s ezért a levél keltét követő napon beteg bátyját meglátogatja. Ali pasa Budánál táborozik tizenötezer fős seregével. Szándékai állítólag nem ellenségesek. A szuprintendens elutazott három napja Privigyére, leveleire ezért nem válaszolt.

Illustris ac Magnifice Comes, Fili nobis charissime. Salutem et diuinae benedictionis incrementa.

Ex literis tuis ad Nos 22. Augusti recens praeteriti Viteberga datis intelleximus te dei benignitate optima frui valetudine, quae utinam tibi diuturna sit, at quasi propria[?], paterne vouemus et precamur. Nos etiam, domina Genetrix et Sorores per DEJ gratiam mediocri ac tolerabili ad praesens fruimur valetudine,

cumque non multo ante de omnibus uberius ad te perscripserimus, nunc Laconisuro usi, Epistolam decurtamus.

Reuerendum dominum Hutterum et coeteros dominos Doctores ac Professores, quorum literas accepimus, nomine Nostro resalutabis officissime ac literas nostras, quibus scriptae sunt, fideliter resignabis. Recommendaris per illos sat diligenter, attamen non plane in tali commendatione nostra acquiescit voluntas. Cum hominibus plerumque hoc et id srcibere liceat. Verum ut effectus commendationi ipsorum et nostrae expectationi, vbi fauente Domino DEO domum sospes ac incolumis reuersus fueris, respondeat: hoc opus, hic labor! In quo Tu, Charissime Fili, ne tibi ipsi quoque desis, ac olim poeniteas renus velisque adlabora. Sic fauorem et beneuolentiam nostram paternam, vti optas, tibi vnice comparaueris.

A studijs, quorum tibi cura sit prima, nactus ocium, ad nos de omnibus, quae scire nos sit necesse, idque vti antea monuimus non Latino solum, verum Germanico Idiomate, perscribere non omittas: Valetudinemque Tuam cura diligenter. DEUS te servet, et Tu ista.

Datur in Arce nostra Bittche, die 13. Septembris Anno 1615.

Post Scriptum: Charissime fili, ad Hospitem tuj Vitebergensis Hospitij ad petitionem tuam humanissimus curavi expediri literas, inscriptionem ibi literis inscribere curabis, non dubito meas literas bono viro gratas acceptasque futuras. Filia mea ac Soror tua charissima, Magnifici Domini Michaelis Czobor consors 6. hujus labentis mensis die filiam enixa est, ac Magnifici Domini Stanislai consors filio diuinitus donata verique 11. similiter hujus mensis. Fratrem nostrum charissimum maritum in pote suum nimis aegre valere scribit, Dominus Deus bonum dominum priori valetudini restituere dignetur. Crastina die deo volente Ternauiam ob negotia offitium meum concernentia pedem mouere constitui, vado fratrem invisendi gratia Sentauiam descendere constitui. Ali passa non cum continuendo exercitu ad Budam appulit, Castraque posuit. Scribit quidem mihi confiniorum aedificandarum gratia ipsum castra metasse, neque quoque mali intentare velle. Reconcilia non Inimico iterusque[?] fidendum, Scribunt exercitum quindecim millium ipsum in Castris habere. Hac pro tempore, chare fili, tibi inotescenda[!] esse volui.

Pater tuus quoad vixerit semper beneuolentissimus

Comes Georgius Thurzo
manu propria

Post Scriptum: Cum has exararunt ad te Charissime fili literas, Dominus Superatendens et contionator noster abfuit. Priuidiam enim tertia ab hac die <discessit,> profectus est, quid itaque nihil ad literas ipsi transmissas responderit, absentiae ipsius tribuendum.

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlemffalua, Comiti libero ac haereditario de Arwa eiusdemque Comitatus Aruensis Supremo ac perpetuo Comiti etc. Filio nostro charissimo. Witebergam.

Thurzó Imre kezével: Accepi 3. Respondi 4. Octobris Anno 1615.

Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 123. A két utóirat és az aláírás autográf.

78.

Jeremias Spiegel Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. szeptember 19.

A szeptember 3-án kelt levelet megkapta és tisztelettel olvasta. Örömmel végzi feladatát Imre mellett, aki jól van és szorgalmasan tanul. Minden nap végez retorikai gyakorlatokat, és hamarosan lesz egy nyilvános szereplése is. A történelmet is szorgalmasan és ügyesen dolgozza fel. Az egyetem helyzete változatlan. Kérte a professzorokat, írjanak Thurzó Györgynek. Balduin és Meisner Drezdába utazott. Hutter még mindig nem egészséges, ám ennek ellenére szeptember 11-én nyilvános előadást tartott. Ezt Imre, aki már egyházjoggal is foglalkozik, lelkesen hallgatta végig. Siber heves fejfájása miatt nem ír, elnézését kéri.

ILLUSTRISSIME domine Comes ac PALATINE, domine,domine mihi clementissime. Salutis voto humilimaeque servitiorum meorum commendatione praemissa.

LITTERAS Illustrissimae Vestrae Celsitudinis die 3. Septembris datas humilime accepi, Easque partim affectionem erga Magnificum Filium singularem, partim etiam clementiam erga me humilimum servitorem spirantes reverenter perlegi. Utrumque vero tum Storgen in Magnificum Filium, tum Benignitatem in me indignum quemadmodum pro calcare et stimulo datum mihi esse ratus sum, ita datum arripui, et vel propterea censui officij viam, qua aliqui recte incedendum erat, alacrius calcandam. Quem igitur admodum de gratia Illustrissimae Vestrae Celsitudinis nullus dubito, Ita humilime peto, ut nec Ipse de fide ac industria mea dubitare quicquam velit. Quicquid domino Jesu ejusque Spiritu Sancto juvante praestare in demandato officio potero, id lubens diligensque faciam.

Magnificus Vestrae Celsitudinis Filius et bene valet DEI beneficio, et studijs non negligenter incumbit. Unde nec profectus desiderantur. Rhetorica exercitia habet cottidie. Mox etiam publica domi tamen habebit cum alijs in Colle

gium receptis. Deinde sollenniter perorabit in Majore Auditorio Friderici. Historias diligenter et feliciter tractat. DEUS modo porro adsit, mentemque sanam in corpore sano praestet!

Status Academiae vetus est, sibique de salute et flore suo gratulatur alma piaque mater. Dominos Professores, praesertim eos, qui adhuc responsum debent, ad scribendum admonuj. Domini doctori Balduinus et Meisnerus Dresdam excurrerant. Hutterum, quem convaluisse certum nondum erat, onerare non consultum videbatur. Caeterum nihil habeo quod ad Illustrissimam Vestram dignitatem perscribam, si prius humilima mea servitia Ipsi denuo commendem, Eiusque

Celsitudinem divinae gratiae ac tutelae cum Universa familia inclyta committam. Wittebergae, die 19. Septembris Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Humilimus Servitor
Magister Jeremias Spiegelius

Die circulis, qui 10. Septembris est, indicavit dominus Hutterus se die sequente lecturum publice. Quod lubens audijt Noster Comes, qui audit jam locum de Regimine Ecclesiastico. Siberus hodie in gravem capitis dolorem incidit. Humilime se excusat Vestrae Illustrissimae Celsitudini de intermissis litteris.

Címzés: ILLUSTRISSIMO Comiti ac domino domino GEORGIO Thurzo de Bettlehemffalwa, Regni Hungariae Palatino ac Cumanorum Judici, nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus Supremo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis intimo Consiliario et per Hungariam Locum tenenti, domino, domino mihi clementissimo.

Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 7. Octobris 1615.
Árva, II-S/ 27. fasc. Nro. 126. Autográf.

79.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. szeptember 19.

Apjának augusztus 27-én kelt levelét örömmel vette. Örül, hogy szülei egészségesek. Fájlalja, hogy nővére, Borbála beteg. Adja Isten, hogy mielőbb felgyógyuljon.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime. Salutem ac subjectissimam servitiorum meorum filialium commendationem.

Literas Illustrissimae Vestrae Dominationis 27. praeterlapsi mensis exaratas, per ordinarios cursores allatas 8./18. Septembris, pari cum perturbatione et exhilaratione accepi. Et primo quidem gratulabar mihi Illustrissimam Vestram Dominationem una cum carissima Magnifica Domina Matre in optimo flore valetudinis esse constitutam, quam perpetuam esse, DEO OPTIMO MAXIMO benedicente vovi. Ut et cum intellegerem singularem Illustrissimae Vestrae Dominationis erga me affectionem, videlicet mei absentis etiam habere Illustrissimam Vestram Dominationem curam, dum sclopeta per Ducem Thesiniensem missa in peculiarem locum, usque ad reditum meum reponi Illustrissima Vestra Dominatio curavit, hanc erga me Illustrissimae Vestrae Dominationis Paternam curam perpetuis atque indefessis servitijs recompensare conabor. Sed cum postea per [...] carissimam Sororem Barbaram Thurzo non modo non male [...] periculosae laborassae animitus dolui cujus ut pristina [...] DEVS ter OPTIMUS MAXIMUS restituere dignetur, supplex indesinente [...] dolorem vel maxime auxerunt Illustrissimae Vestrae Dominationis literae potui in [...]etibus scribit, unde facile intelligere potui Illustrissima Vestra Dominatio com[modo] [...] meosque aliquam Illi vero si superflui fuissent haud ita per[...] [...]sens eo viderim eorum erogationem

et Illustrissima Vestra Dominatio quoque [...] reliquis fuisse praeterquam in munerum elargitione ea putem [...] cum sciam sat superque maximum exinde contraxi animi [...] bene memini, praeterquam poculi exigui Doctori Köppelio dari [...] muneris in rationibus sit mentio, quod si tum scivisse [...] eo ipso tam exiguo commotam iri non modo hoc non dedissem sed [...] ter[...]ntij valoris quidem ulli obtulissem; exinde vero quis honor ut [...] ita Illustrissimam Vestram Dominationem redundasset, Vestra Illustrissima Dominatio pro sua singulari [...] judicare poterit. Hic profecto est consiliarius Electoralis sed [...] erga me praestitit ut satis depraedicare nequeam, currum qvo vectus certa loca reviserem administravit, seque ubique comitem adjunxit, neque crediderim me tanta exceptacos fuisse Principes benignitate ac clementia nisi hic suam operam interposuisset. Quem eum scirem non esse meum servitorem, quid per DEVM facere potui! quam ut juxta Illustrissimae Vestrae Dominationis mandatum autoritatem Ejusdem hac in parte tutarer! Bona autem Illustrissimae Vestrae Dominationis ex quibus meos beneficiarios futuro tempore remunerare possem, ut scribitur, ego non tanti, quanti vitam longaevam valetudinemque prosperam Illustrissimae Vestrae Dominationi facio, neque itaque eorum in me devolutionem hoc tempore expeto, dum modo Illustrissimam Vestram Dominationem bene valere in annos longaevos sciam. Supplex itaque oro Illustrissimam Vestram Dominationem, ne dolorem dolori addi, et in me tam severo stylo secretarios uti permittat, quibus totum hic ascribo, Illustrissimae enim Vestrae Dominationi propria manu scripta, meas storgas Paternas easque singularis [...]dent sed illis moris est exaggerationibus asperioribus interdum uti [...] non ut expostularem cum Illustrissimae Vestrae Dominationi scripsi, hoc enim priusquam [...] omnem lapidem in contrarium moverem, sed ut et me, et Dominum [...] excusarem, Secretarioque inposterum calamum hebetiorem et [...] Illustrissimae Vestrae Dominationi usus benignitate rederem. Quod in primis [Witte]berga exaratis nullam faciam Illustrissimae Vestrae Dominationi literarum mentionem [...] nulla alia causa fuit quam quod tum adhuc nullas acceper[...] sum in superioribus meis literis responderim, de literis Imperatorij [Illustrissimam Vestram] Dominationem certiorem fecerim nunc eadem repetere supervacaneum [...] Reverendum Dominum Superintendentem binas jam exaravi, hisque trias addidi, non itaque video, cur jure Reverentia sua congueri possit, [...] modus et occasio fuerit non praetermittam. Coeterum Ego una [cum] adjunctis optata adhuc fruor valetudine, DEVS Illustrissimam Vestram [Dominationem] [...] diutissime una cum suis conservare dignetur.
Datae Witt[eber]gae, 9./19. Septembris 1615.

[Illustrissimae Vestrae] Dominationis filius obsequentissimus
Comes Emericus Thurzo
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo, Comiti de Arwa, Ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino etc. etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendo.

Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 7. Octobris 1615.

Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 127. Autográf.

80.

Jakob Martini Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. szeptember 21.

Tájékoztatja arról, hogy Imre jól van, egészséges. Tanulmányaiban megfelelően halad, elsősorban Spiegel irányításával. Armpruster minden feladatát híven ellátja. Imre többi segítőjéről is csak jót mondhat.

Salutem, Illustrissime Palatine, Comes ac Domine clementissime, quin Celsitudinem Vestram huc occasione paucis salutarem et submisse interpellarem, intermittere non debui.

Illustris ac Magnificus Dominus Comes, Filius, Dominus meus benignissimus, DEO sint gratos, adhuc optime apud nos vivit firma et constanti utens valetudine. Quam ut DEUS porro clementissime ipsi largiatur et continuet, ex intimo corde profluentibus votis opto ac precor. Studia tractat, ut decet, ubi cumprimis a Domino Magistro Spiegelio recte ducitur, et fideliter feliciterque exercetur, ut et Dominus Armbrusterus ejus Magnificentiae gravitate morum et honestate vitae praelucet, nec quicquam, quod sui est officij in se desiderari patitur, quemadmodum quoque caeteri ministri ac famuli de meliori nota commendari possunt ac debent.

Deus Optimus Maximus Illustrem et Magnificum Comitem ac Dominum meum Dominum Emericum ad multos annos in solatium Illustrissimorum parentum, in emolumentum Ecclesiae Orthodoxae et commodum Reipublicae tam Germanorum, quam Hungarorum sospitem ac florentem conservet, et aliquando magno cum favore una cum nobilissimo comitatu domum reducat. Quibus Celsitudinem Vestram divinae protectioni humiliter commendo.
Dabantur Wittebergae, 21. Septembris Stilo Gregorij Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Celsitudinis humiliter addictus
Jacobus Martini
professor Logicae et Philosophiae practicae
itidem publicus

Címzés: Illustrissimo, Celsissimo, Magnificentissimoque Domino, Domino Georgio Thurzo de Betthlemffalva Comiti, Regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, nec non de Arva perpetuo ejusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti, Sacrissimae Caesareae Regiaeque M[ajestatis] Intimo Consiliario et per Hungariam Lo[cumtene]nti etc. Domino suo clementissimo.

Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 7. die Octobris Anno 1615.
Árva, II-M/ 10. fasc. Nro. 130. Autográf.

81.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. szeptember 21.

Miután előző levelét megírta és lepecsételte, megkapta apja szeptember 4-én kelt levelét. A levél kézbesítői nagyon kedvesek lettek számára, mert tőlük tudta meg, hogy szülei egészségesek. Sennert doktor tanácsát és a császári levél másolatát már korábban elküldte. Lovának pusztulásán nem búslakodott, hisz tudja, apja majd újat vesz neki. Németül, amit a latinnál nehezebben tanul, még nem tud jól, ezért német nyelvű levelében semmi lényeges dologról nem ír.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime. Salutem ac servitiorum meorum filialium submississimam commendationem.

Cum jam literas meas et scripsissem et obsignassem, ecce aliae 4. Septembris exaratae allatae sunt mihi ab Illustrissima Vestra Dominatione, ex quibus cum intelligerem eas per certos tabellarios esse huc Wittebergam transmissas, per meum famulum illos inqviri curavi, quos cum ante portam immissionem prestolantes percepissem, defacto eos intromitti, simulque ad me invocari jussi. Qui mihi longe fuerunt gratissimi tum, quod Illustrissimam Vestram Dominationem bene valere una cum carissima Magnifica Domina Matre coram referebant, tum, quod ex eo ipso Paternam erga me eamque singularem propensionem Illustrissimae Vestrae Dominationis intelligere potui. Qui non modo literis me beare suis, sed et tabellarijs exhilarare dignata fuerit. DEVS OPTIMUS MAXIMUS faxit, possim Illustrissimam Vestram Dominationem non modo per suos benevalentem in annos longaevos percipere, verum etiam praesens suo tempore salvam atque incolumem conspicere. Consilium Doctoris Sennerti transmisi jam oljm, ut et paria literarum Imperatoriae Majestatis Illustrissimae Vestrae Dominationi. Cum itaque sciam Illustrissimam Vestram Dominationem haec jam accepisse, ulteriori informatione haud indigere Illustrissimam Vestram Dominationem existimo. Equus, quod mortuus est, eo ipso nihil afficior, dum modo Illustrissima Vestra Dominatio mihi valeat. Scio enim Illustrissimae Vestrae Dominationis durante vita plures me habiturum eqvos. Quomodo valeam ex Germanicis etsi satis jejune per me scriptis Illustrissima Vestra Dominatio intelligere potuit. Argumenta enim plura in hunc deligere nec volui, nec potui, cum Tyro adhuc sim hac in lingva, qvae plus laboris mihi parit, qvam ipsa Latina. Si itaque quid in ea scriptione peccavi, veniam peto meque Illustrissimae Vestrae Dominationi submississime commendo, utque me Paterna sua cura complecti posthac etiam non dedignetur, etiam atque etiam oro.
Wittebergae, 11./21. Septembris 1615.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obseqventissimus
Comes Emericus Thurzo
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo, Comiti de Arwa Ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino etc. etc. Domino Patri mihi summo filialiae observantiae studio colendissimo.

Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 7. Octobris 1615.

Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 129. Autográf.

82.

Thurzó György Thurzó Imrének

Biccse, 1615. szeptember 27.

A Wittenbergből szeptember 5-én kelt levelet szeptember 21-én kapta meg Nagyszombatban. Örül, hogy fia egészséges. Az itthoniak is jól vannak. Csodálkozva értesült arról Armprustertől, hogy jóllehet augusztusban kétszer is írt, először augusztus 5-én – ezt a levelet Maczkóval küldte el –, majd augusztus 15-én – ezt pedig a rendes postával – fia július óta nem kapott tőle levelet. Elfoglaltsága miatt ír ritkán, ugyanis eddig Nagyszombatban üléseztek a császár megbízásából. Október 18-án pedig szokás szerint összeül a törvényszék Pozsonyban. Előtte, október 5-én a törökkel kötendő békéről tárgyalnak. A következő okok miatt ellenzi fia hamburgi utazását: ajánlólevelei csak a szász választófejedelemségre érvényesek, és tanulmányai is odakötik, s a mostani háborús időkben veszélyes az utazás. Ha mindezek ellenére vágyik arra, hogy megnézze Hamburgot és az óceánt, akkor a tanév végén utazzon. Örömmel engedélyezi ugyanakkor fia lipcsei utazását, ott megnézheti a vásárt és beszélgethet az egyetem tanáraival. A választófejedelem levelének másolatát elküldi. Írt a választófejedelemnek és testvérének, leveleit Prágába küldte, így azok az első adandó alkalommal eljutnak a címzettekhez.

Illustris ac Magnifice Comes, Fili nobis Charissime, Salutem et optatos invocationis cursu successus.

Literae tuae ad nos 5. Septembris Gregoriam Witeberga exaratae sunt nobis 21. eiusdem Septembris Tyrnauiae redditae. Ex quibus illud imprimis gratissimi intelleximus Te DEI praepotentis benignitate prospera frui valetudine. Faxit Diuinum Numen, ut in futurum etiam similia noua de te audire gratularique et gaudere queamus.

Nos, Parentes tui, Sorores coeteraque Consanguinitas tua in Regno hoc manens DEI beneficio mediocri fruimur valetudine, sed et nobis hoc mirum venit, quod et ipse miraris, ac quod tam ex tua, quam Armbrusterij intelleximus epistola te ab ultimo praeteriti Mensis Julij die nullas a nobis accepisse literas. Cum tamen interea binas priores quidem die 5. Augusti per Maczkonem de Kolarowicz et adjunctum illi socium Byttchensem, una cum reculis quibusdam missas, alteras 15. Augusti per Postam exarari ad te fecerimus literas. Quas nihilominus interea ad te peruenisse non vocamus in dubium, eosdemque nostros Tabellarios in horas praestolamur.

Quod vero tam rariter ad te scribamus, uti tute scis, id continuis curis et laboribus Nobis incumbentibus asscribatur. Hosce enim dies, uti in prioribus ad te perscripseramus, ad clemens Suae Majestatis Caesareae ac Regiae Domini Domini Nostri Clementissimi mandatum in pertractandis et transigendis quibus-

dam publicis negocijs Tyrnauiae exegimus, hesterno demum huc Byttcham reuersi ad tuas respondere voluimus. Mox ad celebranda Judicia Octaualia pro festo Sancti Lucae Euangelistae more solito per Suam Majestatem jam promulgata et publicata Posonium descensuri. Vbi etiam non exigua curarum ac laborum nos expectat congeries, Si tamen eadem Judicia absque inpedimento aliquo Turcarum celebrari poterit. Nam adhuc dies quintus Imminentis Mensis Octobris praestitutus est, quo certi Comissarij per Suam Majestatem delecti conuenire, tractatumque hanc Pacis Turcicae per Comissionis processum effectui mancipare debebunt, prior siquidem Commissio, quae debuisset peragi, in hunc diem est dilata. Quod utinam succedat, et in bonum Reipublicae Christianae, Patriae inprimis nostrae Hungariae vergat, optamus.

Porro ubi scribis, et optas, ut videndae Vrbis Hamburgensis et sinus Maris eidem Vicini gratia eo expatiandi tibi demus et concedamus facultatem, Etsi serum a Nobis jam superinde consilium, Attamen hoc tibi perscribendum injungendumque esse duximus, tibi inquam, qui instar pupillae oculi nostri Nobis carus es et, curae, A tali peregrinatione hoc tempore abstineas, neque te ipsum discrimini alicui objicias. Jdque praecipue exhisae subnotatis causis. Primo: Quia iter tale, non nisi Suae Majestatis Caesareae ac Regiae, Vel vero Serenissimi Electoris et Ducis Saxoniae, Domini Dominorum Nostrorum Clementissimi Commendatitijs fultus, aggredi posses. Eas vero tam repente, ubi vix in Academia Witebergensi pedem fixisti, nedum perfectum aliquem in studijs fecisti, a tanto Monarcha et summi fastigij Principibus flagitare qua fronte posses? Tu ipse judica an personam tuam id addeceret! Secundo: Certo certius intelleximus Ducem Brunsuicensem, per cujus Ditionem et tenuta tibi transeundum foret, contra Civitatem Brunsuigam bellum movisse, Castraque sua contra eam longe lateque metasse et dilatasse, ubi a diversae Nationis Milite ac quasi confluge quadam praedas potius, quam bellum exercentium Tibi Hungaro et hungarico vtenti habitu quid aliud, quam periculum praesentissimum immineret?

Quod si juvenilis ardor et nonnullorum persuasio eo te trahit et rapit, ut Hamburgum etiam et Oceanum videre desideres, Nobis contrarium non erit, saltem in studijs, quorum exercendorum gratiam potissimum isthuc Vitebergam ablegatus es, annuum cursum ut compleas, omni conatu adnitaris. Quo perfecto tandem non tamen sine praescitu et consensu nostro habitisque Suae Serenitatis Electoralis Commendatitijs Hamburgum etiam perlustrare ac videre, Tandemque, quod DEUS optimus maximus faxit, sospes ad Nos redire poteris.

Sed in quoque concedimus, ut donec flumen Vitebergam perlabens per duas, uti scribis, Septimanas purgetur, Lypsiam tanquam locum propinquiorem excurras, Vbi haud dubie, quod optas, et mercium et mercantium diversam videbis confluviem, ac cum Doctoribus Academiae Eiusdem conversari poteris.

Literarum Commendatoriarum Suae Majestatis jam antea habuimus, et tibi in specie transmiseramus paria, eodem plane prout tu Nobis misisti sub tenore. Literas ipsas, quod Serenissimo Electori resignasti, optime fecisti. Haec paria vicissim tibi remittimus. Scripsimus denique Suae Serenitati Electorali et Augusto Duci, Fratri eiusdem literas, quas scorscue[?] misimus Summas Suis Serenitatibus et Celsitudinibus pro declarata in te tanta benevolentia agentes gratias. Tu

adnitere, ut quoad vixeris, gratum te quoque erga suas Serenitates et Celsitudines exhibeas, Ad nosque de omni Valetudinis et sortis tuae statu crebrius perscribas. Hoc ad literas tuas respondere voluimus, nihil dubitantes, te charissime fili, ad Voluntatem nostram, tanquam ad Amussim aliquam cum in his praerecensitis, tum in alijs omnes conatus, studia et actiones tuas directurum, Nostraeque expectationi auxiliante Domino DEO satis facturum esse. Vale feliciter.
Datum in Arce nostra Byttchensi, die 27. Septembris anno 1615.

Literas ad Serenissimum Electorem Saxoniae ac Illustrissimum Ducem Augustum Fratrem sonantes Consiliaribus Suae Serenitatis Pragae existentibus transmissi, qui con[...] de prima data occasione manibus Serenissimorum Principum assignaturi sunt.

Pater tuus perpetuo benevolentissimus

Comes Georgius Thurzo
manu propria

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlenffalwa, Comiti Libero ac Haereditario de Arwa eiusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti etc. Filio Nobis percharo etc. Vitebergam.

Thurzó Imre kezével: Accepi 13., Respondi 17. Octobris Anno 1615.

Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 133. Az utóirat és az aláírás autográf.

83.

Jeremias Spiegel Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. október 4.

Megkapta levelét. Imre egészséges, tanulmányaiban igen szorgalmas. Egészsége fenntartására sétákat tesz. Ezért a kapitány kinyittatta a város völgy felé néző kapuit, melyeken csak a Meisner ház lakói mehetnek ki. A következő szerdáig, vagyis október 7-ig megkezdi a szónoklattan oktatását. Az egyetem helyzete jó, miután a járvány, ami őt magát is leverte négy napra, elmúlt. A láz sokakat meggyötört, de senki nem halt bele. A pestis Wittenberget és környékét elkerülte. A választófejedelem levele még nem érkezett meg és nem tudni, hogy az az erdélyi levélhordó, akire bízták, merrefelé vette útját. Ha Erdélybe ment vissza, nem kerüli el a büntetést, mivel már írtak Bethlen Gábornak. Vannak akik úgy vélik, hogy Wittenberg és Drezda között egy fogadóban megölték. Mivel hazai öltözékben volt, könnyen ki lehetett találni, hogy messziről jön, s feltehetően nagyobb összeg van nála. Hoë doktor olvasta a választófejedelem ajánlólevelét és Balduin úrnak azt mondta, hogy a fejedelem úgy ír Imréről, mintha fia vagy testvére lenne. Az egyetemen nagyon kedvesen bánnak Imrével, bár a választófejedelem ajánlólevele még nem érkezett meg.

Illustrissime domine Comes ac Palatine, Domine domine mihi clementissime. Salutem et prosperitatem Illustrissimae Vestrae Celsitudini precatus, humilima mea servitia Eidem offero consecroque.

Iterum novas veteris tamen erga me clementiae plenissimas accepi ab Il-

lustrissima Vestra Celsitudine litteras, quibus Eadem tum Filio Magnifico, tum nobis reliquis ei Adjunctis salvum valetudinis statum, hactenus quidem possessum gratulatur, inposterum vero obtinendum precatur. Equidem Illustrissimae Vestrae Celsitudini humilime congratulor, Cuius Filius Magnificus valuit hactenus, et adhuc Deo praesente valet optime. DEUS Illustrissimae Vestrae Celsitudinis votum audiat, et Filio pretiosum illud sanitatis donum porro indulgeat. Caeterum studijs sibi injunctis sedulo adhuc (quod non adulante, sed vera et sincera voce confirmo testorque) invigilat salvis interim corporis exercitijs, deambulationibus exspatiationibusque. Quae ut jucundiora essent, Dominoque Comiti prae alijs singularia, Dominus Capitaneus haud ita pridem effecit, qui fores aditumque ad vallum urbis aperuit, quod alioqui nemini vel Professorum vel Senatorum patet exceptis aedium Meisnerianarum possessoribus.

Ad diem Mercurij proximum, videlicet 27. Septembris /7. Octobris, Collegium oratorium exordiar. Dominus Jesus praesideat ipse, nostrosque animos, linguas et calamos omnesque tandem actiones et cogitationes regat, adque sanctissimi sui nominis gloriam nostramque salutem dirigat! Academiae status est optimus. Febris epidemica, quae antehac passim errabat, et me quoque per quatriduum occupabat, cessavit jam, et profligante DEO Optimo Maximo fugam dedit. Multos fatigabat, sed ne unum quidem, quod meminimus, in hac Academia e vita <morte> sustulit. De pestilentia, DEO sit laus, nihil hic auditur, nec in vicinis regionibus quicquam. Premat hoc malum Constantinopolitanos et pestilentem illam Turcarum cohortem, nec unquam Ecclesias aut Academias nostras turbet, dissipetve!

Serenissimi nostri Electoris Litterae clementissimae nondum repertae sunt, nondum etiam exploratum aut certum, quo viam suam Transsylvanus ille tabellio, cui fasciculus commissus, direxerit. Qui si in Transsylvaniam <ve> redierit, Vix oculis diu fruatur re jam ad Bethlehem Gabrielem perscripta. Sunt tamen, qui credant eum inter ipsam Dresdam et Wittebergam in hospitio aliquo infido a nequam et auricupidis hominibus interceptum et dum interemptum. Vtebatur enim (ut audio) Veste adhuc patria et Hungarica, nec obscure prae se ferebat, e quam longinquis regionibus venisset. Unde facile conijci poterat hominem sine pecunia tantum iter non suscepisse.

Legerat dominus doctor Hoe commendatorias Serenissimi nostri Electoris, fassusque nuper domino Balduino est se non vidisse similes. Ita enim commendatum Academiae fuisse Magnificum nostrum Comitem, ac si Frater aut Filius ipsius Serenitatis <fui> esset. Inter alia Serenissimum Electorem proprio motu nemine monente hoc mandasse, ut Academia sedulo inquireret, si quis forte habitum, quo Dominus Comes uteretur, Hungaricum rideret, Eumque serio plecteret. Nolle enim Suam Serenitatem, ut vel tantillum adversitatis, quae averti a Supremo Magistratu possit, gratissimus dilectissimusque hospes experiatur. Audio etiam hospitis caussa aliquid adjectum. Uno verbo nihil omisit optimus princeps, quod ad commodam Magnifici Domini Comitis in Academia mansionem facere videbatur. Senatus Academicus Eum observat et honorat, et quamvis mandatum Electorale non viderit, quasi tamen viderit et legerit, facit. Magnificum Dominum Emericum non raro [...] sunt Domini Professores. Quae res ma-

gnum momentum adjumentumque ad conditionem Illius affert. Cui promovenda ego meo loco minime defuturus sum, Illustrissima Vestra Celsitudo sua clementia conatum meum animet confirmetque etiam, inposterum, humilime peto, Eamque Deo ter optimo maximo unice commendo submississime orans, ut Illustrissima Vestra Celsitudo litterarum mearum brevi et jejunae narrationi Clementissime ignoscat. Publica enim negocia hodie expedienda et brevitatem imperarunt, et pepererunt ingratissimam festinationem.
Wittebergae, die 24. Septembris /4. Octobris Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Humilimus Servitor
Magister Jeremias Spiegelius

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlemffalwa, Regni Hungariae Palatino ac Cumanorum Judici, nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus supremo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti. Domino, domino mihi clementissimo.

OL E 196. 24. cs. 2. fasc. Nro. 105. Autográf.

84.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. október 4.

Megkapta szeptember 13-i levelét, amelyben kéri, hogy németül is írjon. Örülne, ha ennek eleget tudna tenni, de még nagyon kezdő a német nyelvben, ezért bocsánatát kéri. A professzoroknak és szállásadójának szóló leveleket megkapta és át is adta. A professzorokat a válaszolásban késleltetheti sok kötelezettségük, és az, hogy vasárnap van. Ő maga viszont rögtön válaszol.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime, Salutem Illustrissimae Vestrae Dominationi voveo, servitiaque mea filialia submissiaque defero.

Ex literis Illustrissimae Vestrae Dominationis 13. Septembris exaratis ejusdem benignam singularemque et plane Paternam admonitionem percepi in ea parte, qva me ad Germanicas scribendas literas Illustrissima Vestra Dominatio adhortatur. Nihil profecto mihi gratius, nihilque acceptius accidere potuisset, quam si satisfacere pro tempore mandato Illustrissimae Vestrae Dominationis potuissem. Verum enimvero, cum nihil simul inchoatum et perfectum sit, nec ego ita confirmatus, ut Illustrissimae Vestrae Dominationis judicium sustinere audeam, praeterea etiam specimen quoddam (etsi satis exiguum) profectuum meorum hac in lingva Illustrissimae Vestrae Dominationi per tabellionem ipsius proprium transmiserim, spero veniam me impetraturum, etsi hodie taceat Germanus tyro, praesertim cum nec argumentum aliqvod in hanc rem, neque tempus suppetat. Peto igitur, ut Illustrissima Vestra Dominatio me excusatum habere non dedignetur. Si DEVS OPTIMUS MAXIMUS valetudini meae benedicere perrexit (qua qvidem hactenus per optima ex DEI benedictione usus sum), ut ne Illustris-

simae Vestrae Dominationis spes de me concepta in vanum cadat, omnibus enitar viribus. Literas Illustrissimae Vestrae Dominationis Dominis Professoribus exaratas accepi, eisdemque tradi curavi, ut et suas hospiti meo, cui gratissimae fuerunt. Quod Domini Professores Illustrissimae Vestrae Dominationi non rescripserint, brevitati temporis Illustrissima Vestra Dominatio tribuere velit, literas enim Illustrissimae Vestrae Dominationis sub vesperam accepi, qvas etsi statim Dominis Professoribus tradidi, tamen partim negotia publica, partim dies Dominicus eosdem impedierunt. Ego autem diutius morari in respondendo nec debui, nec potui, sciens, aliter si fecerim, rem Illustrissimae Vestrae Dominationi ingratissimam me facturum. Nova nulla sunt, qvae qvidem digna esse arbitrer, ut Illustrissima Vestra Dominatio de eis certior reddatur. DEVS Illustrissimam Vestram Dominationem quam diutissime, conservatam in bono flore valetudinis nobis esse dignetur.
Datae Wittebergae, 4. Octobris Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obseqventissimus
Comes Emericus Thurzo
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalva, Comiti de Arvva Ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino etc. etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo.

Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 1. Novembris 1615.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 141. Autográf.

85.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1615. október 7.

A Wittenbergből Maczkóval küldött levelet október 7-én kapta meg. Buzdítja, hogy tanuljon szorgalmasan. Sennert doktor tanácsa és a császár ajánlólevele visszakerült hozzá. Matthias Erbineus doktor is egyetért kollégája tanácsával. Az otthoniak jól vannak. Ali budai pasának szép ajándékot küldött. Viszonzásképpen egy lovat kap, amivel pótolni tudja az elpusztultat. Gratulál németül írott leveléhez, melyre németül fog válaszolni. Rátér az otthoni ügyekre: Másnap Bánfalvára megy, ahol megkezdik a halászást, innen Lietavára, majd Árvába utazik, felesége pedig Biccsére tér vissza. Október 18-ra a törvényhozásra indul. Anyja fia kérésére nyestbőröket küld. Eddig nem kapta még meg a szász választófejedelem Imrén keresztül neki küldött leveleit. Gyurcsánszky János, Babcsánszky György valamint Kloth Antal meghaltak. Levéllrás közben kapta meg fiának szeptember 12-én és 19-én keltezett leveleit, ezekből értesült tanulmányairól és egészségéről. Hoe úrnak ajándékot fog küldeni, de kéri, fia ez ügyben tanácsával segítse. Huttert Imre üdvözölje apja nevében.

Illustris ac Magnifice Comes, Fili nobis carissime. Salutem plurimam et

Storgas paternas etc.

Literas tuas ad nos 21. Septembris per Maczkonem, nostrum subditum Kolarouiczensem adjunctumque illi itineris socium Byttchensem Witteberga transmissas hodie, id est 7. Octobris, recte accipimus, Ex quibus, si quid gratum percepimus, id nostro longe gratius, quod te JEHOVAE Dei praepotentis beneficio optata hucusque valetudine frui intellexerimus, id quod ijdem quoque Tabelliones nostri se conspexisse retulerunt.

Crambem bis coctam tibi proponere videbimur, cum te metam studiorum Deo auspice feliciter ingressum felicius continuandam toties admonemus, et paterne exhortamur, ac quasi extimulamus. At vero Nobis, tuis Parentibus, quos aeque tibi charos et dulces esse existimamus, sicut tu nobis es, nihil gratius optatiusque accidere poterit, quam si de profectu priorum studiorum tuorum inaudire. Tandemque eodem domino DEO benedicente, a cuius nutu renutuque res et actiones mortalium omnium dependent omnes, Reducem te saluum et incolumem Salui et Nos videre queamus! Hoc primae beatitatis sane loco in hac vita haberemus poneremusque. Ne ergo et tibi ipsi, et vobis nostris toties iteratis ea in parte desis, te paterne iterum atque iterum hortamur.

Consilium domini Doctoris Sennerti, quin et literarum Commendatoriarum Suae Majestatis Caesareae ac Regiae domini, domini nostri clementissimi paria (quae tibi subinde remisimus), sunt nobis reddita. Consilium eiusdem domini Doctoris grato Illustrissima domina Genetrix tua suscepit animo, quod et praesens apud nos Medicus dominus Matthias Erbineus approbat. Sed cum DEI clementia nunc Nos progenitores tui et Sorores charissimae prospera fruamur valetudine, Practicis talibus medicinis non putamus esse opus. Vnde nec ad tuas priores superinde scriptas aliquid dedimus Responsi. In aliud tempus, si permissu diuino ijs uti eandem dominam Genetricem necesse sit, illa reijcere, ac summas nihilominus predicto domino Doctori Sennerto pro tam solicita erga nos Consortemque nostram charissimam cura agentes gratias, Nostram benevolentiam et amica studia suae Excellentiae prolixe deferimus gratas nos per literas nostras etiam deinceps Suae Excellentiae exhibere in futurum pollicentes.

Equus quod mortuus sit, eo nihil afficiare. In procurando enim alio et Nos allaboramus, misimusque Ali Passae Budensi non adspernenda munuscula Humanitatis nempe externae, non alicuius Amicitiae aut beneuolentiae occasionem captantes, Pro quibus scimus nobis Equum priore illo praestantiorem donaturum transmissurumque esse. Quem Equum, vt et alia majoris momenti omnia, saltem Deum time, et Nos parentes tuos honora, nostrisque monitis obtempera, Tanquam haereditario Jure obtinuebis.

Ad Germanicas literas per te exaratas gratulamur, hoc quoque in Idiomate aliquem fecisse perfectum, Cumque et Nobis scribae Teutones non desint, simili lingua ad eas recipies Responsum, Et aduigilabis, et ea quoque in parte auspice domino DEO tersior et limatior euadas. Tuo id olim non, aliorum seruiet commodo.

Jam ad Domestica et forensia Patriae tuae negocia accedimus. Crastino die id est Octaua Octobris, in Banffalwa piscationem exercituri abibimus. Hinc ad Lethawa biduum ibidem exacturi, Tandem ad Arua Nos, domina vero Genet-

rix tua Byttcham. Ex hinc ad Octaualia Judicia pro festo Beati Lucae Euangelistae celebrari solita eodem domino DEO nostro sanitatem et prosperitatem nobis largiente descensuri sumus. Vnde colligere poteris hac viae post tot Nebulas Hungariam optatae Pacis jucunda amoenitate frui.

Domina Genetrix Tua ad votum tuum pelliculas Mardurinas tibi transmittit: Faxit Deus, vt sint ad sanitatem tuam summe proficuae.

Intelleximus etiam Serenissimum Principem et Electorem Saxoniae quasdam ad nos tuo in negocio dedisse literas, quae ad nos necdum sunt perlatae. Vbi haeserint, charissime Fili, diligentissime explorans fac, ut ad nos illibate perueniant. Nam certe ex animo doleremus Tanti Principis et domini, domini Nostri, ad quem vnicum habemus in rebus tuis hoc tempore perfugium, ad nos non peruenisse literas, ex quibus utpote Suae Serenitatis erga Nos, et erga te animi inclinationem ac propensitatem perspicere possemus. Licet talibus non habitis literis eidem Suae Serenitatj et Illustrissimo duci Augusto, quin et coeteris post tuas et aliorum ad nos datas, pro omnibus beneficijs in te declaratis summas et, quas maximas potuimus, egerimus gratias. Tu vide, ne tantorum beneficiorum reperiare aliquantum fui memor.

At nec id hoc tempore te celare voluimus, Prouisorem nostrum Lethauiensem, Johannem Gyurchansky, virum alias bonum et multis utilem die 4. Octobris Fatis concessisse, similemque Aleam fati Georgium Babchansky et Antonium Kloth subiuisse, Nobis utcunque proficuos te haud latet. Sed res Mortalium sic eunt Sic moderante DEO.

His jam fere continuatis accepimus et alias tuas literas ad nos 12. et 19. Septembris exaratas, Ex quibus de tua valetudine et in studijs profectu certiores facti, non possumus non summe gaudere. Vide, sis inposterum quoque crebra literarum scriptione, Nos de tua valetudine et sorte certiores facere non praetermittas. Tu Valetudinem tuam et officium cura diligenter et viue valeque faustiter. Datum in Arce nostra Byttchensi, die 7. Octobris Anno domini MDCXV.

Pater tuus quoad vixerit erga te beneuolentissimus
Comes Georgius Thurzo
manu propria

Clarissimo ac Reuerendissimo Domino, domino Matthiae Hoe munus transmittere non praetermittam, solum quod munus, chare fili, ipsius persona dignum esse putaverint, ut literis tuis me edoceas hortamur. Clarissimum Dominum Doctorem Hutherum nomine meo salutabis, sicut et caeteros Dominos Professores, ad quos hoc tempore scribere non licuit.

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlemffalua, libero ac haereditario Comiti de Arua eiusdemque Comitatus Aruensis Supremo ac perpetuo Comiti etc. Filio nostro charissimo. Vitebergam.

Thurzó Imre kezével: Accepi 27. Respondi 31. Octobris Anno 1615.
Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 140. Az utóirat és az aláírás autográf.

86.

Thurzó György a wittenbergi egyetemnek
Biccse, 1615. október 7.

Megkapta augusztus 24-i levelüket, melyből megtudta, hogy fia egészségesen érkezett meg Wittenbergbe, és ott az egyetem tagja lett. Meg fogja hálálni fia szivélyes fogadtatását.

Magnifice, Reuerendissimi, Reuerendi, Clarissimi atque Excellentissimi Viri, Domini Amici obseruandissimi. Salutem et officiorum nostrorum paratam commendationem.

Acceptis et perlectis Magnificae, Reuerendissimarum, Reuerendarum, Clarissimarum atque Excellentissimarum dominationum Vestrarum literis, ad nos 24. mensis Augusti proxime elapsi Viteberga datis maximo sane perfusi sumus gaudio: Intelligentes Filium nostrum unicum nobisque singulariter charissimum, Illustrem ac Magnificum Comitem Emericum Thurzo de Betthlemffalua, Liberum ac haereditarium Comitem de Arua eiusdemque Comitatus Aruensis Supremum ac perpetuum Comitem etc in Almam istam Academiam Vitebergensem exercendorum continuandorumque studiorum gratia emissum: Non solum iter hoc longum et periculosum JEHOVA Deo auspice percustodiam Sanctorum Angelorum feliciter continuasse locumque destinatum sospitem attigisse, Verum gratulanter etiam et honorifice per eandem Inclytam Academiam in commembrum eiusdem adscitum ac quasi incorporatum esse. Pro quo non possumus non nobis gaudere: Eidem filio nostro congratulari, Vestris dominationibus summas et ingentes agere gratias: Pro tanta diuina benedictione in Nosque ac soepedictum filium nostrum syncera et paterna Earundem dominationum Vestrarum affectione. Extent utinam pro his omnibus nostra uicissim erga Easdem Magnificam, Reuerendissimas, Reuerendas, Clarissimas atque Excellentissimas Dominationes Vestras paratissima quouis tempore et loco officia vnice optamus. Ac ut eundem filium nostrum prout recipiunt Domino benedicente suo tempore saluum, incolumem beneque eruditum eaedem ad nos remittere possint: Vouemus desideramusque desideratissime. Valeant in reliquo dominationes Vestrae quam felicissime.
Datum in Arce nostra Byttchensi, die 7. Mensis Octobris Anno Domini MDCXV.

Earundem Dominationum Vestrarum Amicus addictissimus ad seruiendum paratissimus

Comes Georgius Thurzo manu propria

Comes Georgius Thurzo de Betthlemffalua, Regni Hungariae Palatinus et

Judex Cumanorum, nec non de Arua perpetuus eiusdemque Comitatus Supremus ac perpetuus Comes, Sacrae Coesareae Regiaeque Maiestatis Intimus Consiliarius et per Hungariam Locumtenens.

Címzés: Magnifico, Reuerendissimis, Reuerendis, Clarissimis atque Excellentissimis dominis N. N. Rectori, Magistris, Doctoribus Inclytae Academiae Vitebergensis celeberrimis etc. Dominis et Amicis nobis obseruandissimis. Vitebergam.

Idegen kézzel: praesens 28. Octobris 1615.

UAH Rep. 1 Nr. 123/177. Az aláírás autográf.

87.

Eliáš Láni Thurzó Imrének
Lietaváról Árvára menet, 1615. október 8.

Három levelet kapott ezen a napon tőle, mind a hármat más dátummal. Aggódik fiáért. Köszöni, hogy Thurzó gondoskodik róla. Az otthoniak jól vannak, viszont Gyurcsánszky úr október 4-én meghalt. Az országgyűlésen a csehek több németellenes határozatot hoztak, Wchinskyt a cseh rendek döntése alapján elfogták, és mint árulót, börtönbe vetették. A dunáninneni és dunántúli urak egy galgóci gimnázium felállításán gondolkodnak, ahol két teológia doktor és három vagy négy magiszter teljesítene szolgálatot. Esztergom környékén 60 falut kap a török, másutt 120 falu szabadul fel.

Illustris et Magnifice Domine Comes, domine mihi perpetua observantia prosequende, Salutem cum felici vitae studiorumque honestissimo cursu Illustri Magnificentiae Vestrae precatus, officia mea cum precationibus sincere defero.

Ternas hodie diversis vicibus accepi ab Illustri Magnificentia Vestra literas diversis temporibus datas, quibus partim ad meas benignissime respondet, partim de suo statu praesenti perscribit humanissime. Quae res argumento mihi est, quanta me et meos benevolentia Illustris Magnificentia Vestra complectatur. De qua, etsi nunquam mihi fuit dubium, tamen haec ipsa literarum tam frequens communicatio me subinde magis ac magis confirmat, adeoque facit in scribendo alacriorem.

Infirmitus Isaaci mei haut exiguum animo meo scrupulum inijcit, ne fors in ipso quoque verificetur, quod a multis nostratibus jactatum est Vitebergam esse Vitaeperdam. Caeterum gratias maximas ago, quod et valentiorem domino Decano Philosophicae Facultatis commendare, et infirmantem cura sua complecti Illustris Magnificentia Vestra dignata est, daturi sumus vterque operam, vt quacunque licuerit, gratitudinem nostram humilibus servitijs nostris vicissim contestemur. Custodiat deus valetudinem Illustris Magnificentiae Vestrae et benedicat ex alto vniversis honestis ejusdem conatibus.

Nos isthic omnes adhuc integra fruimur valetudine: Verum Johannes Durczansky post iliacas passiones 4. Octobris in aurora placide domi suae in Durcina expiravit.

Bohemi in Comitijs praeteritis concluserunt inter caetera, ne qui Germani

ad publica officia admittantur, aut pro Bohemis recipiantur, qui non fuerint linguae Bohemicae gnari. Item ne qua templa habeant, in quibus lingua Germanica conciones instituantur. Itaque mandarunt, vt ad festum Georgij vsque Concionatores Germani Praga et alijs vrbibus excedant, et introducantur Bohemi. Dominus Wchinsky decreto eorundem Statuum et Ordinum Bohemiae tanquam proditor patriae captus et ad infames carceres detrusus est, bonis ipsius confiscatis. Sic omnium rerum vicissitudo est.

Nostri domini Proceres Cisdanubiani et Transdanubiani deliberant de aliquo celebriori Gymnasio Galgocij publico sumptu ipsorum erigendo, in quo duo Theologiae doctores et tres, vel 4 Magistri perpetuo serventur. Proximis Octavalibus judicijs vlterius de his cogitaturi.

Cum Turca jamjam transacturi, is enim pro 60 pagis Strigonio applicandis 120 alios ad alia confinia nostra pertinentes manu mittit. Deus nos servet ab omni malo. Cujus protectioni et gratiae Illustrem Magnificentiam Vestram commendans, feliciter valere, studere et redire opto.

Datum in procinctu itineris Letaviensis et Arvensis, die 8. Octobris Anno 1615.

Illustrem Magnificentiam Vestram reverenter colens

Elias Lany

Domino Armbrustero et domino Magistro propter discessum subitum in praesenti rescribere non vacat. Salutem meam eis amicissimam asscribo.

Címzés: Illustri et Magnifico Domino Comiti, domino Emerico Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti perpetuo de Arva et in Arva, domino mihi perpetuum observando.

Árva, IV-L/ 1. fasc. Nro. 141. Autográf.

88.

Thurzó György Thurzó Imrének

Lietava, 1615. október 12.

Minthogy Johann Lochmann Wittenbergbe készül, levelet küld vele fiának. Egészsége kitűnő, Árvába készül. Imre anyja visszatért Biccsére. Mivel a törvényszék ideje hamarosan eljön, bizonyos ideig Pozsonyban fog tartózkodni. Kívánja, hogy fia sikeresen folytassa tanulmányait, és tájékoztassa szüleit. Podóliába betörtek a tatárok, sok embert foglyul ejtettek. Lengyelország többi része nyugalomban van. Bécsben a törökkel kötendő békéről tárgyalnak.

Illustris ac Magnifice Comes, Fili nobis charissime, Salutem et paternam nostram beneuolentiam commendo.

Quandoquidem nos Johannes Lochmannus salutatum voluit et annunciauit se iter Wittebergam uersus parare, noluimus intermittere, quin et hac occasione oblata ad te daremus literas et paucis de quibusdam rebus amanter certiorem faceremus. Scias itaque nos, laus sit superis, omni ex parte frui bona valetudine, et non ita pridem in Lethauam pedem mouisse, ab hinc uero in Aruam similiter

profecturus decreuisse, Dominam uero tuam Matrem, nostram Consortem Bitscham reuersuram secum constituisse. Et quoniam Judicia Octaualia instare videantur, properandum nobis erit, ut ad determinatum tempus Possonij celebranda praesentes simus, quo omnia pacate et tranquille componi queat. Insuper etiam hac vice te paterne hortamur et requirimus, ut in tramite currenti studiorum Deo annuente feliciter pergas, et de statu tuo nos saepissime certiorem reddas. In reliquo te protectioni Diuinae committimus, ac optime saluere exoptamus.
Dabantur ex nostra Arce Lithauiensi, 12. Octobris Anno 1615.

Post Scriptum: Noui, quod te scire volui, aliud non habeo, quam quod Regni Poloniae pars illa, quid Podolia nuncupatur, Per Tartaros misere deuastata his solum praeteritis diebus esse, certe perhibetur, vbi solum nobilitatum personae cum tota familia vltra sexaginta in diram Tartarum Captivitatem abducti esse dicuntur. Res Regni istius, laus DEO, sunt in tranquillo et pacato statu. Comissarij per Suam Majestatem designati in Continuanda et concludanda pace Thurcica Vienae determinata laborant. Vtinam cum commodo patriae ea optatum finem sorciatur. Vale charissime fili, ac Valetudinem tuam cura diligenter.

Pater tuus quoad vixerit erga te semper beneuolentissimus
Comes Georgius Thurzo
manu propria

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Bethlemfalua, Libero ac Haereditario de Arua et eiusdem Comitatus Comiti perpetuo etc. Filio nostro Charissimo etc. Wittebergam.
Thurzó Imre kezével: Accepi 9. Respondi 11. Novembris Anno 1615.
Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 150. Az utóirat és az aláírás autográf.

89.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. október 17.

Megkapta apjának szeptember 27-i levelét. Tudomásul veszi, hogy ellenzi Hamburgba tervezett utazását. Örül, hogy szülei és nővérei egészségesek. Ő és társai szintén jól vannak, apjának köszönhetően mindennel kellőképp el vannak látva. A retorikai kollégiumot október 12-én kezdte el. Spiegel mindenben teljesíti igéretét. Fáradozását apja méltóképpen fogja honorálni. Megköszöni, hogy apja engedélyezte neki a lipcsei utazást, a karácsonyi ünnepek táján fog odautazni.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime, Salutem Illustrissimae Vestrae Dominationi voveo, servitiaque mea filialia subjectissimaque defero.

Accepi Illustrissimae Vestrae Dominationis 27. Septembris ad me datas literas, qvas cum debita reverentia legi, quidve Illustrissima Vestra Dominatio mihi Paterne demandare dignetur, sat abunde ex eis intellexi. Non autem illo animo scripsi ad Illustrissimam Vestram Dominationem de mea Hamburgam versus profectione, qvasi id ipsum etiam sine consensu Illustrissimae Vestrae Dominati-

onis perficere cogitarem. Absit enim, ut vel minima ea parte contrarium qvid Illustrissimae Vestrae Dominationi faciam, qvin imo ut et hactenus, ita in posterum quoque id agam, ne ulla Illustrissimae Vestrae Dominationi de me conquerendi ansa per me praebeatur. Si tamen qvid tale ex ignorantia hac in parte per me factum, veniam oro, qvam me consecuturum nullus dubito. Rogavi, non postulavi, consului Illustrissimam Vestram Dominationem non itaque totaliter mecum conclusi. Verum totum hoc, qvidqvid est, liberrimae Illustrissimae Vestrae Dominationi atque Paternae dispositioni subjeci, qvod et ex parte, etsi non ex toto (meo tamen id bono) consecutum me esse video. Nec enim verna, sed autumnalis profectio mihi per Illustrissimam Vestram Dominationem interclusa est. Nullus itaque dubito, qvin vel isto tempore, qvod DEVS vivis atque incolumibus nobis reducere velit, expatiandi ad illa loca veniam sim impetraturus. Quod audio Illustrissimam Vestram Dominationem una cum carissima Magnifica Domina Matre, ut et sororibus meis carissimis ex sententia valere, id ex animo gratulor, simulque DEO TER OPTIMO MAXIMO gratias ago immortales idemque ut perpetuum esse velit, supplex oro. Idem ego, meique hic Wittebergae indies experimur, bene valemus DEI beneficio, in omnibus ad nutum Illustrissimae Vestrae Dominationis accommodare nos satagentes.

Collegium Rhetoricum cum bono DEO 12. Octobris inchoavimus, congrediuntur numerum ad octo, et tum praecepta Oratoriae, tum eorum usum excolimus. Idque totum fit ex singulari industria Magistri Spiegelij mei, facit profecto, qvod promisit, et in posterum qvoque facturum eum nullus dubito, Cujus suae operae non immemorem Illustrissimam Vestram Dominationem fore certo sibi pollicetur.

Quod Illustrissima Vestra Dominatio Lipsiam expatiandi potestatem mihi paterne dedit, pro eo gratias ago Illustrissimae Vestrae Dominationi maximas. Quo minus vero eo me hoc tempore contulerim, non abs re facio. Primum enim jam purgatio illa rivuli finita, et molestia omnis sublata est, deinde illud haud sine exiguo damno studiorum meorum accideret, maxime durante adhuc nostro collegio Oratorio. Hic itaque me continebo, verum, nisi Illustrissima Vestra Dominatio esset adversum, circa ferias Natalitias, aeris mutandi, animi recreandi, nonnullarumque molestiarum expuendi gratia id ipsum facere constitui. DEVS OPTIMUS MAXIMUS Illustrissimam Vestram Dominationem in annos longaevos conservatam esse velit.

Datae Wittebergae, 17. Octobris Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obseqventissimus
Comes Emericus Thurzo
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo, Comiti de Arwa Ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino etc. etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo.

Thurzó György kezével: Exhibitae Posonij 10. Novembris 1615.

Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 151. Autográf.

90.

Polycarp Leyser Thurzó Imrének
Lipcse, 1615. október 20.

A törvényes házasság tiszteletre méltó Isten előtt. Leyser elhatározta, hogy Nicolaus Volcmar árváját, Sabinát október 31-én oltár elé vezeti. Szeretné, ha Thurzó elküldené megbízottját az esküvőre.

Gratiam ac pacem a pacis Angelo magno, Domino nostro JESU CHRISTO. Prae-Illustris et Generosissime Comes ac Domine, Domine Gratiosissime, Rector Magnificentissime.

Notum est Tuae Illustri Magnificentiae, quo in honore Conjugium legitimum sit apud Deum. Is enim primus Adae Evam adduxit. Is primis conjugibus propria voce benedixit, Quin ipse Salvator noster non solum nuptiali Convivio interfuit, sed etiam primo miraculo nuptias easdem cohonestavit. Ordinationem ergo hanc divinam quicunque magni facit, DEO rem gratam et acceptam facit, ab eoque remunerationem largissimam exspectavit. At quorsum haec?

Desponsata mihi est divino dirigente Numine virgo honestissima, SABINA, Nicolai Volcmari piae memoriae Civis Lipsiensis relicta filia, cum qua ad diem 31. Octobris nuptias celebrare ejusdem numinis auxiliante gratia constituti. Id quod Tua Illustris Magnificentia celare nec volui, nec debui. Etsi enim sciam, non defuturos esse Aristarchos, qui hoc meum factum, quod Tua Illustis Magnificentia ad nuptias invitare audeam, theonino rosuri sint dente, Interim tamen odium sanctissimum, quo Tua Illustris Magnificentia Monachos, conjugij hostes prosequitur, ut et beneficia a Tuae Illustris Magnificentiae, Domino Parente Illustrissimo, Heroe illo magno, tum Patri meo charissimo, Domino Polycarpo Lysero piae memoriae, tum etiam mihi ipsi praestita innumera (pro quibus si negarem aeternas gratias me debere, ingratissimus essem) animum meum erigunt, et hac in parte audaciorem faciunt.

Quapropter submisse rogo, ut Tua Illustris Magnificentia pro solita sua clementia aliquem ex suis ad nuptias illas condecorandas Lipsiam ablegare vel alteri cuidam id negotij demandare dignetur. Faciet certe Illustris Vestra Magnificentia hac in parte rem DEO gratam, mihi totique Familiae honorificentissimam. Egoque vicissim precibus meis ardentissimis largam recompensationem a DEO omnis boni remuneratore, efflagitare nunquam cessabo, cujus protectioni Tuam Illustrem Magnificentiam, me vero Tuae Generositatis Clementiae commendatissimum volo.

Lipsiae, 20. Octobris Anno reparatae Salutis 1615.

Tuam Illustrem Magnificentiam submisse colens
Polycarpus Lyserus Doctor

Címzés: Praeillustri ac Generosissimo Comiti ac Domino, Domino Emerico Turzo de Bethlehemfal-

wa, Comiti de Arva ejusdemque Comitatus perpetuo Comiti, Rectori Academiae Wittebergensis Magnificentissimo etc. Domino meo benignissimo.

Árva, IV-L/ 4. fasc. Nro. 154. Az aláírás autográf.

91.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. október 25.

Tudja, hogy apjának örömet szerez, ha néha német nyelvű levelet ír.

Hochgebohrner Graff, freunndtlicher herzliber Herr Vatter, Euer Gnaden seindt meinne schilldige gehorsamme Diennsst mit wüntschung von dem Allmechtigen aller glücklicher wolfahrt zueuern bereit.

Ehrsamen, Grossachtbaren väterlichen Befelch, das namblich Dieselb auch ferrnerss mit meinnen Schreyben Ich offt gehorsamisst besuechen solle, habe auss dero den achten Oktobris gegebenem schreyben Ich djemuttiglich verstanden, undt mit sonderlicher freüdt uernomen das Ehrsamen, Grossachtbaren meines Teutsches schreyben so lieb undt angenehm gewesen ist. Wess wegen Ich dem Ehrsamen, Grossachtbaren abermal mit dissem Teutschen Briefl, untertenigist zue begrüessen, undt wie Gott dem Herrn sey es höchlich gedankht, Ich mich noch bey gewinntschter gesundheit befinden thue, zue berichten, verursacht worden binn. Was Ich sonsten Ehrsamen, Grossachtbaren verständigen wollen dass werden Sy auss meinen anndern schreyben mit mehrern vernehmen. Damit Ehrsamen, Grossachtbaren Ich Gottes beschirmung befehle.
Geben actys[?] Wittenberg den letzten October Anno 1615.

Ehrsamen Grossachtbaren gehorsamer diener undt soch
Graff Emerich Thurso
Rector
manu propria

Címzés: Dem Hochgebornen Graffen undt Herrn Herrn Geörggen Thurzo, des König Reychss Hungern Palatino meinnem gros gunsstigen herzlieben Herrn Vattern.

Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 25. Novembris 1615.

Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 165. Autográf.

92.

Friedrich Balduin Thurzó Imrének
Wittenberg, 1615. október 29.

Értesíti Imrét fia születéséről. Kéri, hogy vállalja el a keresztapaságot. Sajnálja, hogy erre személyesen nem tudja megkérni, de betegsége ágyhoz köti.

Salutem et benedictionem a DEO Patre per Jesum Christum in Spiritu Sancto ex animo precor.

Perillustris, Magnifice et Generosissime Domine, Comes Emerice Thurzo, RECTOR Academiae nostrae Magnificentissime, Domine gratiosissime. Quod conditor et conservator generis humani, DEUS OPTIMUS MAXIMUS hodierno mane mihi meaeque dilectissimae coniugi filiolum donavit, ex legitimo toro nostro procreatum Perillustri et Magnificae Celsitudini Tuae significare debui, pro quo beneficio quamquam DEO nostro merito Jmmortales gratias agimus, ita vicissim recordamur, quam sit conditio nativitatis omnium nostrum, de qua scriptura testatur, quod etiam sanctissimorum parentum liberi a prima conceptione peccatis sint obnoxij, adeoque sui filij.

Quam ob causam Filius Dei generis nostri assertor et Servator unicus iureiurando testatur, nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, ipsum non ingredi posse regnum caelorum. Vult igitur, ut liberos nostros ei adducamus, et per pias preces et lavacrum aquae in verbo in Baptismo incorporemus. Cuius suae divinae voluntati et nos obsequentes, filiolum nostrum postea hora 11 finitis precibus et concione vespertina ad sacrum Baptisma promovere decrevimus. Cum autem non tamen pia consuetudo inter Christianos antiquitus recepta, verum etiam ipsa necessitas requirat, ut ad hunc sacrum actum prae caeteris pietate pollentes requirantur, qui infantem precibus suis Deo commendent, et sicuti opus fuerit, Baptismi legitime administrati testes sint, quos in primitiva Ecclesia αναδοχους appellarunt. Idcirco placuit mihi Perillustrem et Magnificam vestram Celsitudinem hisce literis, dum propter morbi violentiam coram non possum, debita cum submissione exorare, ut in hoc pio opere suam mihi meoque filiolo operam navare non dedignetur, eiusque Susceptor et Baptismi testis esse, eoque nomine postea a meridie hora supra nominata actui Baptismi cum reliquis ad eum requisitis haud gravatim interesse velit. Quod si a Perillustri at Magnifica Tua Celsitudine impetravero, vel potius, cum impetravero, nam de benevola voluntate in tam pio opere dubitare nolo, certe magno me beneficio magnaque gratia me adfectum praedicabo, et quo illustrius hoc est beneficium, eo majora mea in Perillustrem et Magnificam Tuam Celsitudinem pietas et observantia capient incrementa. Vale RECTOR Magnificentissime, Comitum decus, et Academiae nostrae splendor insignis.

Wittebergae, t. Musaeo, a. d. 29. Octobris Anno Christiano 1615.

Perillustris et Magnificae Celsitudinis Tuae devotus
Fridericus Baldvinus Doctor
manu propria

Címzés: Perillustri, Magnifico ac Generosissimo Domino Comiti EMERICO THURZO de Bethlemffalwa, Comitatus Arvensis supremo ac Perpetuo Comiti etc. Academiae Wittebergensis Rectori Magnificentissimo, Domino suo perpetuo observantiae cultu submisse colendo.

OL E 196. 30. cs. Nro. 14. Autográf.

93.

Izák Láni Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. október 30.

Hét héten keresztül betegeskedett, most kezd erőre kapni. Nem méltó arra a dícséretre, amivel Thurzó őt illette. Naponta imádkozik a Thurzó családért.

Illustrissime Domine Comes et Palatine, Domine mihi benignissime, Gratiam et pacem cum salute optima felicissimoque eventu et successu publicorum negociorum a Domino Jesu precatus, mea studia, officiola qvaliacunque precibus cum quotidianis offero et commendo.

Imbribus velut copiosis inopinate advenientibus, Avicula liberos suos motus et volatus per aera instituente, superfusa et pressa, Heros incomparabilis, Evergeta mihi benignissime, succumbere cogitur, donec benignissimus naturae restaurator Calor suas in actum revocet vires habilitate donata non ad volatum solum, sed et alia opera sua perficiunda.

Simili modo mecum agere videtur summus naturae praeses Deus, qui currentem, in stadio virtutum, pietatis et artium liberalium, Imbre vehementissimo morborum me, measque actiones suppressit per 7 has continuas hebdomadas, octavam vel currentem, habilitate, omni ferme, ad peragenda animj mei munia adempta, donec tandem spem mediorum pro recuperandis viribus et studijs meis tractandis qvandam ostenderet per Illustrissimae Celsitudinis Vestrae munificentiam et promotionem uberrimam, juvantem me hoc in meo morbo, humorem ferme excoqvente omnem.

Quod clementiae et munificentiae Illustrissimae Celsitudinis Vestrae specimen, quibus excipiam laudibus, quibus honoribus, quibusve gratiarum actionibus, modum invenio et video nullum, praesertim cum me indignum judicem cum gratia et benevolentia, tum promotione hac magnifica Illustrissimae Celsitudinis Vestrae.

Sed pro tenuitate mea, qvantum potero, enitar agere humilimas et officiosissimas gratias perpetua cum nominis **Illustrissimae** Celsitudinis Vestrae honorifica celebratione et humili veneratione. **Deum in meis quotidiais** precibus invocaturus pro retributione compensanda **largissima, conservatione** Heroicarum virtutum et factorum luculentissima, atque adeo valetudinis robore firmissimo, tota cum Illustri domo Thurzoniana et nominatim Illustrissimo Domino Emerico, Domino itidem meo gratiosissimo, in peregrinis oris constituto. Oblatis insuper et commendatis omnibus meis studijs, officiolis, precibusque debitis. Cum quibus Illustrissimam Celsitudinem Vestram Divino patricinio commendans salvum et incolumem valere opto.

Dabam in Leucorea nostra ad Albim Academia. 30. Octobris Anno 1615.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humilimus cliens
Magister Isaacus Lany

Címzés: Illustrissimo, Celsissimo potentissimoque Comiti ac Domino, Domino GEORGIO THVRZO de Betlemfalwa, Comiti perpetuo de Arwa, regni nobilissimi Hungariae Palatino, Cumanorum Judici, Sacratissimi Principis ac Domini, Domini Matthiae Dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augustissimi, Germaniae, Hungariae et Bohoemiae regis etc. intimo Consiliario, et per Hungariam Locumtenentem etc. Domino Moecenati ac Nutricio humilimo odservantiae cultu colendo.

Árva, II-L/ 4. fasc. Nro. 133. Autográf.

94.

Samuel Bartošovič Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. október 31.

Nemcsak Thurzó nagyfokú bőkezűsége késztette arra, hogy levelet írjon, hanem az is, hogy kinyilvánithassa hűségét és szolgálatkészségét. Hálákodik azért, mert nagylelkűen segítségére sietett, amikor az elmúlt évben megkezdte tanulmányait.

Illustrissime et Celsissime Comes, Domine, Domine mihi gratiosissime. Saluberrimam aeris temperiem, Vitae longaevitatem, uberrimam Dei benedictionem cum salutari Patriae nostrae afflictissimae administratione a DEO precatus, humilimae subjectionis servitia Illustrissimae Celsitudini Vestrae paratissima defero.

Non solum munificentissima Illustrissimae Celsitudinis Vestrae promptitudo, verum etiam mei officij et naturae aeqvitas id ipsum efflagitare videtur, ut praesenti Epistolij hujus argumento testatum dem me gratam accepti beneficij Illustrissimae Celsitudinis Vestrae debere significationem, et humilimae subjectionis testificationem. Qvoties enim penitius studiorum meorum rationem considero, et meae tenuioris sortis inhabilitatem perpendo, toties munificentiae et Clementiae Illustrissimae Celsitudinis Vestrae etiam in his remotissimis oris apud viros celeberrimos decantatissimae recordor, et ad gratias agendas interno qvoddam Conscientiae et gratitudinis stimulo impellor. Natura siqvidem ita comparatum existimo nil tam proprium hominis esse, qvam non modo beneficio, sed etiam benevolentiae significatione alligari, et ei re gratiari, qui gratiam fecit.

Cum igitur hoc et praecedente Anno in stadio studiorum currenti Vestra Illustrissima Celsitudo Munificentissimo suo promotionis beneficio mihi haud deesse voluit, parem gratiam referre nec Illustrissimae Celsitudinis Vestrae aeqvitas, nec meae tenuissimae conditionis facultas admittit. Gratia enim cum referri non potest, qvanta debetur, habenda tanta est, qvanta maxima animus capere potest. Tanti ergo beneficij cum solvendo non sim, Deum Optimum supplex humili precum devotione veneror, ut is Illustrissimae Celsitudini Vestrae ob hoc benedicat ex alto, repleat longitudine dierum, secundet conatus, conservet universam Inclytae domus TURZONIANAE familiam, adaugeat in pietate constantiam in Religionis Confessione, Zelum et hanc in literarum studijs provehendis benignitatem velit esse perpetuam.
Datum Wittebergae, 21. Octobris Calendarii Juliani Anni vulgati 1615.

Illustrissimam Celsitudinem Vestram Humilime colens
Samuel Barthossovitz Veterosoliensis

Címzés: Illustrissimo, Celsissimo et Magnificentissimo Comiti Domino, Domino GEORGIO THURZO de Betlehem-falwa, Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Cumanorum Judici, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Consiliario supremo et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino Fautori et Nutricio summe colendo.

Árva, II-B/ 21. fasc. Nro. 132. Autográf.

95.

Eliáš Láni Thurzó Imrének
Biccse, 1615. október 31.

A szülők aggódnak Imre miatt, minthogy Wittenbergből nem érkeznek levelek. Ezért apja egy embert küld hozzá, ezzel küldi ő is a levelét. A pozsonyi törvényszékbe másnap indul Thurzó György. Tudósítja az apró hindennapos eseményekről, továbbá az esztergomi érsek, Pongráczné és Hrabovszky János úr haláláról.

Illustris et Magnifice Domine Comes, domine mihi observantissime, Salutis precatione praemissa officia mea cum praecationibus Illustri Magnificentiae Vestrae voveo.

Illustrissimus dominus Parens solicitus de statu Illustris Magnificentiae Vestrae, cum jam toto propemodum mense nullas Viteberga literas acceperit, non dubitavit denuo suum isthinc expedire hominem. Quam occasionem tanquam in sinum mihi datam, ego quoque obvijs amplexus vlnis, hasce ad Illustrem Magnificentiam Vestram scribendas atque emittendas putavi, praesertim humanissime per eandem ad scribendam invitatus.

Nos hic dei optimi maximi benignitate adhuc erecti incedimus, hoc est, mediocri valetudine fruimur, Illustrissimus dominus languidiuscula, praesertim hoc autumni tempore.

Nihilominus tamen ad Octavalia judicia Posonium postridie descensurus, quod, vt felix faustumque esse jubeat Custos hominum, ex animo precor.

Dominus Szuniogh plane tacet de conflatis dubitis vt non possim satis tantam αμνησειαν demirari. In Arva distribuit Illustrissimus dominus omnes Alpes opilionibus facta cum eis conventione, quantum a singulis pendere quotannis debeant. Ordinavit ibidem et alia multa vtilia et necessaria. Bohuschio ibidem gratiam dedit.

Capta sunt hac aestate in fluvio Arva fere 8000 piscium, et inter hos vnus barbo, vulgo Harcza dictus, magnitudine 7 spithamarum.

Vina hornae non aeque, vt ante annum multa, sed optima atque generosissima provenere. Alle jich pan Kardinal pjti ne bude, ipso enim die Sancti Galli apud Sanctam Crucem oppidum suum in <ipsa> aurora diem obijt. Secuta hunc

est domina Pongraciana.

Quo in statu sit Levensis tractatio cum Turcis, non dubito Illustrissimum dominum Patrem perscripsisse. Aliud quod addam non habeo. His Illustrem Magnificentiam Vestram curae et gratiae dei commendans feliciter valere et redire opto, meaque servitia eidem defero.
Datum Bitschae, Vltimo Octobris Anno 1615.

Illustrem Magnificentiam Vestram reverenter colens
Elias Lany Superintendens

Hasce nondum clauseram, cum adferret nuncium de obitu boni senis domini Johannis Hrabowsky. Cui, vt deus laetam largiatur praetionem, animitus voveo.

Címzés: Illustri et Magnifico Domino Comiti, domino Emerico Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti de Arwa ac ejusdem Comitatus Arvensis, libero ac haereditario Comiti, Domino mihi perpetua observantia colendo.
Árva, IV-L/ 1. fasc. Nro. 142. Autográf.

96.

Adam Theodor Siber Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. október 31.

Már régóta készült válaszolni bölcs és emberséges leveleire. Most megteszi, és így ajánlja fel szolgálatait.

ILLUSTRISSIME COMES, Palatine Magnificentissime, Domine Benignissime.

Diu volui ac debui potius Illustrissimae Celsitati Vestrae literis, quas ipsa eruditio atque humanitas dictasse videtur, respondere sed non una de causa ad hanc diem impeditus, rescribendi officium differre coactus fui. Quanquam Illustrissima Celsitas Vestra in mentem venire non debuit, tanquam aut scriptio ipsa parum religiose, aut commendatio minus officiose a me accepta fuerit. Utrique rei is apud me locus relictus fuit, qui et tantae virtutis ac Magnificentiae Parentis, et tantae ad omnem laudem efflorescentis Filij indoli relinqui deberet. Vtinam interea potuissem, aut adhuc possim ex me promere aliquid, quod ipsius studijs facere possit! Quanquam illi parum opus esse video nostra opera, qui circa se atque adlatus, quod dicitur, habeat praeceptorem tam doctum, tam peritum, industrium et fidum. Tamen, si quid etiam a nobis proficisci poterit, id summo officio, exquisitissimo studio, optima fide exprometur. Interim offero submisse Illustrissimae Celsitati Vestrae pro magnifico munere gemino munusculum vile ac tenue, cuiusmodi scilicet meae sortis hominibus in promtu esse solent. DEVM veneror quaesoque istam munificentiam remuneretur, ipsamque Illustrissimam Celsitatem Vestram florentem ac salvam bono Reipublicae diu conservet.

Wittebergae, XII. Calendae Novembris anno Christi Juliano MDCXV

Illustrissimae Celsitatis vestrae cliens omni officio ac studio devotus
Adamus Theodorus Siberus

Címzés: Illustrissimo COMITI ac DOMINO, DOMINO GEORGIO THVRZO DE BETLEMFFALWA, Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus supremo et perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis consiliario intimo et per Hungariam Locum-tenenti, Domino suo clementi et benignissimo.
Árva, II-S/15. fasc. Nro. 156. Autográf.

97.

Jeremias Spiegel Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. október 31.

Október 8-án kelt levelét rendben megkapta. Az eltűnt levélhordó vagy visszatért Erdélybe, vagy Szászországban megölték. Még Hoë úr nyomozása sem vezetett eredményre. Thurzónak azt az instrukcióját, hogy állandóan legyen a fia mellett, nem tudja teljesíteni, amint azt Eliáš Láninak írt levelében kifejtette. Tudósítja Imre tanulmányairól és arról, hogy mindig segíti a felkészülésben. Az egyetem virágjában van, több mint kétezren látogatják. Még nagyobb létszámra számítanak az új rektor, Thurzó Imre idejére, aki a megbízást – szerinte – a választófejedelem javaslatára kapta. A járványtól már csak kevesen szenvednek. Sajnos Eliáš Láni fia ezek között van.

ILLUSTRISSIME Domine Comes ac PALATINE, Domine mihi clementissime. Illustrissimae Vestrae Celsitudini Salutem et felicitatem perpetuam precatus, humilima mea servitia defero consecroque!

QUAS die Octobris octavo Illustrissima Vestra Celsitudo ad me dedit litteras, eas itidem recte acceptas humilima, ut par fuit, reverentia perlegi, quibusque Vestrae Celsitudinis clementissima Voluntas intellexi. De Serenissimi igitur Electoris nostri, ut e. Dominj doctoris Hoen epistolis investigandis non ego solum solicitus fui, sed mecum quoque praecipui nonnulli ex aula Electorali. Sed frustra hic inquirimus eum, qui vel Transsylvaniam repetijt, vel in ipsa Saxonia clanculum oppressus mortem oppetijt.

De informando comitandoque Magnifico domino Comite Emerico et quae semel in me recepi, sancteque promisi, et sancte quoque seduloque praestabo. Confido nec informationi me defuisse hactenus, nec comitatum neglexisse. Nam et primo mense semper et post id tempus quam saepissime, quandocunque scilicet otij quicquam studijs nostris suffurari potui, comitem me dedi. Saepissime, inquam, hoc feci. Ut enim semper facerem, nec necessitas requisivit, nec Illustrissimae Vestrae Celsitudinis abeunti data Instructio urgere visa est. Cum enim Eidem per Reverendum Clarissimumque Vestrum dominum Eliam Lany, dominum Superintendentem exponerem, quantae difficultatis quantique incommodi res foret, si praeter ordinarias lectiones aliasque litterarias exercitationes

etiam quovis exeunti domino Comiti ad latus haerendum, adeoque id tempus, quod alioqui novarum lectionum meditationi debebatur, tum facili <et inutili> jactura perdendum.

Indulsit Illustrissima Vestra Celsitudo Clementissime, ut qui primo tempore Filij Magnifici latus semper et sine obvia tergiversatione stipassem, postea non, nisi cum olim esset, aut necessitas vel honestas requireret, comitarer. Id, quod hactenus creberrime frequentissimeque feci, quandocumque nimirum sine studiorum ipsius impedimento fieri <id> potuit. Fieri enim nequivit, ut et quotidie multas horas meditationi meae eriperem, et nihilominus ad lectionem praemeditatus venirem, resque non inutiles afferrem. Multam siquidem et longam multorum autorum evolutionem requirunt ea, in quibus versamur, studia, Oratoria scilicet, Logica et Ethica atque Historica. Eaque propter ancipitem admodum me reddidit Illustrissimae Vestrae Celsitudinis de Filio Magnifico SEMPER comitando mandatum, Cui quomodo sine Illustrissimae Vestrae Celsitudinis eiusque Filij damno satis faciam (ita me salus amet!), non invenio. Hinc Illustrissima Eiusdem stat autoritas, quae apud me et plurimum valet semperque valebit, et obsequium promptum invenit paratissimumque. Hinc voluntas clementissima trahit, qua jubeor omnibus modis Magnifici domini Comitis studia promovere, quicquid contra damno aut impedimento ijs esse posset, amovere. Jam vero majora impedimenta non video, quam quae obstant, quo minus praemeditatus ad Lectionem accedam. Etsi igitur promtissimus sim ad humilimum obsequium Illustrissimae Vestrae Celsitudinis mandato praestandum, Subjectissime tamen Illustrissimam Vestram Celsitudinem oratam volui, ut quantum difficultatis atque incommodi perpetuus ille comitatus allaturus esset, ipsamet consideraret, quidque porro fieri vellet, clementissime decerneret.

Caeterum quod studia nostra attinet, in Oratorio jam stadio potissimum currimus. Sentimus divinam benedictionem et fructum non poenitendum. Academiae status florens est et pluribus quam 2000 Alumnis frequens. Majorem speramus frequentiam sub novo domino RECTORE, magnifico domino Comite EMERICO, Cui summum illum et maximum honorem (credo Serenissimi Electoris mandato) Academia nostra contulit.

De morbis illis hactenus grassatis nihil jam auditur. Pauci olim correpti adhuc laborant, Inter quos Reverendi atque Clarissimi Viri, domini Eliae Lanj Filius haeret. DEUS optimus juvenem valetudini meliori restituat!

Praeter haec nihil habeo, quod occupatissimus ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem perscribam, si prius Eidem humilima mea fidelissimaque servitia commendem, Ipsamque DEI Optimi Maximi tutelae <commend> committam.

Vivat et Valeat Illustrissima Vestra Celsitudo quam diutissime, suumque fidelem servitorem clementia solita prosequi ne desinat.
Wittebergae, die 21./31. Octobris Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Humilimus Servitor
Magister Jeremias Spiegelius
manu propria

Címzés: ILLUSTRISSIMO Comiti ac domino, domino GEORGIO Thurzo de Bethlemffalwa, Comiti perpetuo de Arwa eiusque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae PALATINO, Judici Cumanorum, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. etc. domino, domino mihi clementissimo.

Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 25. Novembris 1615.

Árva, II-S/ 27. fasc. Nro. 164. Autográf.

98.

Thurzó György Thurzó Imrének

Biccse, 1615. október 31.

Nagy nyugtalanságot okozott neki Imre hosszú hallgatása. Utolsó levele szeptember 21-én kelt, s Maczkó adta át neki oktober 7-én. Ha nincs miről írnia, tudassa velük hogylétét és tanulmányaiban való előmenetelét. Ők jól vannak, bár néha gyengélkednek. A pozsonyi törvényszékre utazik, ott lesz karácsonyig. Az esztergomi érsek hirtelen meghalt. Lengyelországot a tatárok feldúlták, sok zsákmányt és kb. 30 ezer foglyot ejtettek. A felső-magyarországi megyék fegyverben állnak.

Illustris ac Magnifice Comes, Fili nobis dilectissime, Salutem plurimam et affectus Paterni oblationem.

Vix credi potest, quantum solicitudinis et angoris nobis perpererit longa ista Tua, chari Fili, taciturnitas et dandarum ad nos literarum Intermissio. Nam a die 21. Septembris euoluti Witeberga scriptarum nihil plane ad nos tuarum peruenit literarum. Illae quoque 7. Octobris per peculiares nostros Tabelliones Maczkonem de Kolarowicz et Alterum Byttchensem ad nos sunt perlatae. Intermissionis ejusmodi aliam non putamus esse causam, quam vel defectum aliquem Tuae valetudinis, vel vero si peregre ab Academia Witebergensi abfueris. Quicquid sit, fac quamprimum sciamus taediumque hoc et scrupulum e pectore Nostro exime.

Et cum scias nihil nobis aeque gratum ac jucundum esse, quam si crebrius de valetudinis et rerum tuarum statu intelligere certi aliquid possimus, Inter alia primae tibi esto curae, vt soepius ad nos scribas, Tuisque Epistolis nos recrees. Si fors materia scribendi te deficeret, valetudinis saltem tuae, quam Nos in optato semper versari discupimus cardine, et studiorum calamo persequere statum, quod etiam pars solatij nostri fuerit haud postrema!

Nos, domina Genetrix tua suauissimaeque sorores DEI benignitate mediocri fruimur valetudine, Nobis et dominae Genetrici Autumnus, vel Aetas ipsa iam deficiens ab ingrato humorum defluxu alijsque languoribus molesti sunt. Sed id quoque, quod viuimus, Deo Optimo Maximo acceptum referimus.

Die Lunae imminenti ad Judicia Octaualia Posonium DEO auspice descendemus, ibique ad ferias Natalis dominj moram protrahemus.

Noua alia, quae scribamus, non sunt, quam quod Dominus Cardinalis Strigoniensis alias sat bona et vegeta vsus valetudine in Bona sua, Oppidum Sanctae Crucis vocatum, veniens vixque Triduum decumbens, supremum clausit diem. Sic soepenumero, quos nulla aduersae valetudinis exercent tela, Improviso quasi

et non expectato opprimuntur. Fati turbine Citiusque succumbunt ij, qui quotidianis obnoxij sunt symptomatibus seu naeuis et caelitus immissae cruci.

Regnum Poloniae nobis vicinum Tartarorum inopina irruptione in partevastatum et attritum est. Vnde partium quoque superiorum Regni hujus Hungariae Comitatus ad insurgendum, Armaque capessenda inclinati fuere. Tartari tamen praeda opima onusti abductisque circiter 30 Millium vtriusque sexus et promiscuae conditionis ac status hominum ad sua rediere. Sic permissu Diuino sors et fata voluunt exercentque hunc orbem.

Laudentes Epistolam, Charissime Fili, hortamur te paterne da operam, vt ad spirantem benigno Numine recte valeas, Curriculumque Tuae vocationis sedulo persequare. Ac, uti praemisimus, dandarum ad nos literarum Tuarum nullas omnino praetermittas occasiones. Iterum iterumque Vale.
Datum in Arce nostra Byttche, Pridie Calendae Novembris Anno 1615.

Post Scriptum: Patrem ac matrem tardiori literarum tuarum exaratione in metum ac tristitiam inducere non est Laudabile, ne itaque negligentia tua, chare fili, iam senio consertis parentibus alias valetudinarijs dolorem dolori addas, te paterne moneo et hortor. Neque dubito te paternorum meorum monitorum memorem futurum ac in pietate studijsque, quod pium et bonum decet, praestituturum.

Pater tuus, quoad vixerit, beneuolentissimus

Comes Georgius Thurzo
manu propria

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlemffalwa, Libero ac haereditario Comiti Arwa eiusdemque Comitatus Aruensis Supremo et perpetuo Comiti etc. Filio nobis dilectissimo. Witebergam.

Thurzó Imre kezével: Accepi 18. Respondi 21. Novembris Anno 1615.
Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 166. Az utóirat és az aláírás autográf.

99.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. október 31.

Hosszas szabadkozás után elfogadta a legnagyobb tisztséget, amit az egyetem adhat, a rektorságot. A beiktatás a vártemplomban október 28-án zajlott le fényes külsőségek közepette. Mindenben igyekszik apja október 7-én kelt, s nemrég megkapott levelében kiadott utasításait követni. Ígéri, hogy szorgalmasan tanulja a németet, de nem hiszi, hogy hamarosan elsajátítaná. Apja német levelére németül válaszol. Az egyetemhez intézett levelet megkapta, a címzettek beleegyezésével fölbontotta, majd átadta Hettenbach úrnak, a prorektornak. A konzisztóriumban később ismertetni fogja a levelet. A professzoroknak szóló leveleket a címzetteknek átadta. Az, hogy a választófejedelem és a professzorok nem kapták meg egyik levelét, nem csoda. Spie-

gel majd megírja ennek okát. Apja döntse el, milyen ajándékot küld Hoë doktornak.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime, Salutem Illustrissimae Vestrae Dominationi voveo, servitiaque mea subjectissima filialiaque defero.

Semper me illum fuisse fateor, qvi in omnibus Illustrissimae Vestrae Dominationis Paternis mandatis libentissime parui, atque utinam hoc quoque tempore, quo Rectoris Academici munus oblatum est, idem accidere potuisset, fuisset profecto mihi longe gratissimum. Verum consolationis loco habeo, quae me erigere videtur, Illustrissimae Vestrae Dominationis, cum adhuc domi essem, mandatum, ut eatenus saltem munus RECTORATUS suscipere abnegem, qvoad videro non fore ignominiosum. Cum autem post longas sane multasque excusationes animadvertissem, non nisi cum summa ignominia conjunctum fore, si quod summum habet et dare potuit Academia, id rejicerem. Non potui, quin Dominis Professoribus hac in parte gratificarer. Ita hoc officij suscipere coactus quasi fui. Quod vel eo citius feci, quod animadvertebam non cum tanto, ut existimabatur, sumptu futurum. Investitura cum solenni pompa et ceremonijs usitatis in templo Arcis die 18./28. Octobris fuit peracta. Jam si quid peccavi hac in parte, libenter a Parente, ut filius subjectissimus correptionem patiar. Non tamen obedientia mea erga Dominos Praeceptores tantum me deliquisse spero, ut eo commoveri Illustrissima Vestra Dominatio possit. Quod alia attinet, in omnibus me accommodare Illustrissimae Vestrae Dominationis Paterne admonitioni enitor, qvae in literis 7. Octobris non ita pridem allatis continentur. Et Germanicae lingvae operam me daturum sedulam eqvidem promitto, ut autem eam per tantilli temporis spatium plene assequi valeam, id nullo modo sperare possum, faciam tamen DEO auxiliante, ut in hac parte quoque fundamentum tale jaciam, superquod aedificari aliquid laudabile non ita difficulter possit. Nunc Illustrissimae Vestrae Dominationi aliud exercitium in hac lingua mittere non licuit, quam ad Ejusdem Germanice scriptas ad me literas responsum. Daturus vero sum operam, ut propediem in Oratoria quantum profecerim, Illustrissima Vestra Dominatio intelligere possit, verum haec melius, si successu temporis Divina Majestate benedicente domum reversus fuero, Illustrissima Vestra Dominatio perspiciet.

Literas Illustrissimae Vestrae Dominationis ad me meosque collegas, Dominos Professores spectantes accepi, easque jure officij mei, volentibus ita Dominis Professoribus aperui, Prorectorique meo Domino Hettembachio tradidi, quas et in consistorio proponi curabo. Ego quoad meam personam attinet, Illustrissimae Vestrae Dominationi pro commendatione illa Paterna gratias ago immortales, vicissimque servitijs meis filialibus remunerare conabor. Reliquorum autem Dominorum Professorum literas eisdem tradi curavi. De non resignatis literis Electoralibus Illustrissimae Vestrae Dominationis non est, quod miretur, Idem enim Dominis Professoribus contigit, qui error, unde acciderit, Dominus Magister Spiegelius ut pote, qui totius negotij novit rationem, Illustrissimae Vestrae Dominationi perscribet. Quid Domino Doctori Hoë dandum sit loco muneris, ubi Illustrissima Vestra Dominatio sciscitatur, Absit a me, ut ego quidquam Illustrissimae Vestrae Dominationi hac in parte prescribam. Vestra Illustrissima Dominatio peroptime novit Germanos, longaque rerum experientia eorum naturam

in muneribus accipiendis adeo assecuta est, ut ex prudentia sua singulari, quid dandum eis, quidve negandum, procul omni dubio intelligat. Non itaque longiori informatione Illustrissimam Vestram Dominationem indignere existimavi. De caetero Illustrissimae Vestrae Dominationi me Academiamque nostram commendatam esse percupio, Vitamque longaevam Illi prosperamque opto.
Wittebergae, pridie Calendae Novembris Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obseqventissimus
Comes Emericus Thurzo
Rector
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo, Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino etc. etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo. Posonium.

Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 25. die Novembris 1615.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 163. Autográf.

100.

Thurzó György Thurzó Imrének
Pozsony, 1615. november 9.

Október 4-i levelét megkapták. Örülnek, hogy egészséges, és jól halad tanulmányaiban. Anyjához írott leveléből azt olvasták ki, hogy neki és a kísérőinek adott előírásokat túlságosan szigorúnak tartja. Szülei azonban nem akarnak neki rosszat, s Salamon is azt mondja, hogy a szülőknek engedelmeskedni kell. Tudja, hogy az egyetem szenátusa előtt Imre jó hírnévnek örvend. Ha felajánlják neki a rektori tisztséget, vállalja el. Sok herceg és gróf töltötte már be dicsőséggel ezt a hivatalt. Leveleit ritkán és késve kapja meg. Az október 4-i az utolsó levél, amely megérkezett. Ezentúl Severinus fogja vinni és hozni a postát. A törökkel való bonyolult tárgyalások folytatódnak. Emiatt a törvényszéket alkalmasabb időre napolták el. A kardinális meghalt, december 3-án temetik Nagyszombatban. Végső búcsúztatásán ő is megjelenik majd. Köszöntse apja nevében a tanárokat.

Illustris ac Magnifice Comes, Fili nobis unice charissime, Salutis prosperae ac felicitatis uoto praemisso paternam nostram beneuolentiam deferimus.

Redditae sunt nobis litterae tuae die 4. proxime exacti mensis Octobris datae, ex quibus valetudinem tuam prosperam ac felicem in literarum studijs progressum singulari cum gaudio intelleximus. Faxit diuina clementia, vt inposterum etiam secunda valetudinis aura studijs tuis operam nauare possis diligentem.

Coeterum in literis ad dominam Matrem tuam, Conthoralem nostram charissimam datis animaduertimus impotenter te ferre, quod per Secretarios nostros, illa tibi, vel adjunctis tuis hominibus, quae ad commodum tuum facere videntur acrius nonnihil tuo judicio praescribamus, sed memineris, Chare Fili, Patrem nos esse tuum, ea erga te affectione ac pietate praeditum, ut nullius rei, nisi

quae tuae vtilitati maximi inseruiat, te commone faciàmus. Memineris bonum esse Filio, iuxta dictum Salomonis, Parentum monitis obtemperare: Imo beatum illum praedicari filium habentem Parentes, qui, quae utilia ac salutaria sunt, diligenter inculcant. Hoc igitur et Nos erga te affecti animo non esse arbitramur, quod aegre feras, praesertim cum non in detrimentum sed, maximum tuum commodum ex paterno [cor]de omnia nostra monita proficiscantur.

Studiorum tuorum cursus summopere nobis arridet, vtque eo, quo feliciter cepisti modo, eadem sedulo tractare pergas, firmiter tibi committimus et mandamus. Hinc enim gratiam tibi et benedictionem apud Deum, apud homines honorem et reuerentiam ac post mortem aeternam etiam conciliabis memoriam. Sumptus nos tibi sufficientes et necessarios suppeditabimus. Tu modo uideas, ne frustra illos colloces, et vel ob nimiam libertatem et effusionem prodigalitatis notam incurras, vel ob nimiam tenacitatem sordidus dicaris. Media eaque regia ingredere uia, quaeque persona tua et statu digna sunt, perage. Jn tanta te apud inclytum Senatum Academicum gratia ac fauore esse cognoscimus, vt etiam Magnifici Rectoris officium tibi decernere non dubites, Cui officio, si te parem esse uideris, nostro cum consensu suscipere poteris. Honestissimum enim est officium, cui antea etiam plurimi Principes et Comites satis laudabiliter perfuerunt. Horum uestigijs tu insiste, et ita (si tibi offeretur) te gere, ut quantum aetatis ratio permittit, grandaeuos et maiores obsequijs, aequaeuos officijs, Minores vero beneuolentia et aequitate obliges, tibique deuintias. Sed de his satis. Voluntati et arbitrio tuo illa committimus, facias, quod optimum et quod consultissimum esse judicaueris.

Literas tuas raro admodum ac tarde accepimus, quae causa sit, ignoramus. Ex quo subditus noster Maczko Witeberga reuersus est, praeter has postremas 4. die Octobris datas nullas abs te habuimus. Id quod tum nobis, tum dominae Matri tuae charissimae pro ea, qua erga te affecta est, storga et Naturali inclinatione admodum dolet, uariasque et ambiguas de valetudine ac statu tuo prouocat cogitationes. Vnde moti nos priorem et antiquum nostrum Cursorem, Seuerinum ad te emittere uoluimus, vt qui valeas, quidque rerum agas, inquirat. Tu per Eundem de rebus omnibus nos certiores facere, ac crebrioribus in posterum literis inuisere iuxta promissionem tuam coram Nobis factam, in literis tuis saepius iteratam caue praetermittas.

Hinc, quae scriberemus nulla fere sunt. Tractatio Turcica, quo fundamento suscepta est, eodem continuatur, durumque ac difficilem habet processum. Moderna Octaualia Judicia ob eandem Tractationem Turcicam hodierno die dissoluta, in aliudque commodius tempus protracta sunt.

Dominus Cardinalis demortuus, terrae, ex qua desumtus est, die 3. proxime futuri mensis Decembris in Regia Liberaque Ciuitate Tyrnauiensi redderetur, ad Cuius Exequiarum solennitatem nos etiam inuitati sumus.

Hac in Praesentes Dominos Professores nomine nostro fac salutes quam officiosissime, et si quid literarum ad nos dabunt, per praesentium Exhibitorem nobis transmitte.

In reliquo diuinae tutelae ac protectioni te commendantem, bene feliciterque valere cupimus.
Datum Posonij, die 9. Nouembris Anno 1615.

Tuus Pater quoad vixerit rogate beneuolentissimus
Comes Georgius Thurzo
manu propria

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlemffalwa, Libero ac haereditario Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus Aruensis Supremo ac perpetuo Comiti etc. Filio nostro charissimo. Vitebergam.
Thurzó Imre kezével: Accepi 23. Respondi 25. Nouembris Anno 1615.
Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 168. Az aláírás autográf.

101.

Jeremias Spiegel Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. november 14.

Imre jól van, tanulmányaiban halad. A retorikai kollégium befejezése után egy szónoklatot tartott, ezután majd etikát fog tanulni. A tanításon kívül is gyakran beszél vele németül. E levél írása közben levelet kapott Hoë doktortól, amelyhez egy Thurzó Györgynek valamint az egyetemnek szóló is mellékelve volt. Ezek csaknem elkallódtak Wittenbergben, mivel a kézbesítésükkel megbízott erdélyi levélvivő ígérete ellenére Drezdából nem Wittenbergbe jött, hanem Prágába ment. Innen az egész küldeményt egy olyan wittenbergi diák címére küldte, aki jelenleg távol van. Senki sem gondolta, hogy e küldeményben a választófejedelem és mások levelei vannak, mígnem Hettenbach doktor a csomag egy hasadékán át észrevette, hogy az egyik levél Spiegelnek szól. A választófejedelem levelét másolatban, a többit pedig eredetiben megküldi most Thurzó Györgynek.

ILLUSTRISSIME Comes ac PALATINE, domine domine mihi clementissime, Illustrissimae Vestrae Celsitudini Salutem ac Felicitatem perpetuam precatus, humillima mea servitia Eidem subjectissime defero.

QUOD Illustrissima Vestra Celsitudo cum Illustrissima sua Familia prospera adhuc valetudine fruitur, id tum mihi humillimo Illius servitori, tum potissimum Ecclesiae ac Reipublicae Christianae ardenter gratulatus sum, Deumque supplice voto veneratus, ut Illustrissimam Vestram Celsitudinem quam diutissime nobis salvam et incolumem praestare velit. Filius Illustrissimae Vestrae Celsitudinis magnificus valet item divino beneficio satis bene. Faxit deus optimus ut et diutissime. Instudijs, qui exortus est, secundo cursu pergit, spero etiam felici. Collegium nostrum Oratorium finem suum sortitum est. DEO, qui laborantibus adfuit, laus sit et gloria sempiterna. Post orationem publice habendam instituam aliasque Exercitationes, Ethicas videlicet, et eas tum legendo, tum disputando, cum Bono Deo, valetudinem et benedictionem suam nobis largiente ita ordinabo, ut et ad captum et ad fructum magnifici domini Conmilitanis dirigantur. Germanice

saepe et extra lectionem ordinariam paene semper colloquor. Praeterquam cum disputo, aut de rebus litterarijs, quae Germanicam Linguam aegerrime admittunt, differo.

Hac ipsa meridie (qua haec scribo) perferuntur ad me Excellentisssimi Viri domini doctoris Höen litterae, quibus binae aliae, quarum alterae ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem, alterae ad Academiam spectant adjectae. Dum hic Wittebergae latitarunt, ea causa casuque, quod Tabellio ille Transsylvanus, qui Dresdae Epistolas cum alio fasciculo acceperat, non recte inde Wittebergam reversus est, ut quidem promiserat, sed Pragam contendit, indeque demum Wittebergam (quasi per compendium) fasciculos sibi commissos misit, Et quod importunissimum ad studiosum quidem, tum temporis, et hodie Witteberga absentem. Unde cum nemo suspicatus sit Electorales aut alias ullas litteras ibi latere, nemo etiam aperire ausus est. Donec a Domino doctore Hettenbachio, in cuius aedibus Epistolae depositae erant, quasi per rimam animadvertum est, aliquid ad me spectans inclusum latere. Utrasque igitur, tam Serenissimi nostri Electoris, tum alteras etiam, has quidem in autographo, illas vero in Exemplari aut paribus ut sequntur Illustrissimae Vestrae Celsitudini, mitto, Eique me meaque humillima indefessaque in Filio magnifico erudiendo maxime, servitia subjectissime consecro. Illustrissimam Vestram Celsitudinem humillime orans, ut quam clementiam Epistola sua <Illus> clementissima benigne confirmat, eam Humillimo suo fidelissimoque servitori continuare velit. DEUS Optimus Maximus Illustrissimam Vestram Celsitudinem cum Universa Familia inclitissima quam diutissime salvam et incolumem conservet ac tueatur.
Wittebergae, die 14. Novembris An[no 1615.]

Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Humillimus
Magister Jeremias Spiegeli[us]

Címzés: ILLUSTRISSIMO Comiti ac Domino, domino GEORGIO THURZO de Betthlemffalwa, Regni Hungariae Palatino ac Cumanorum Judici, nec non de Arwa eiusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis intimo consiliario et per Hungariam Locumtenenti, domino, domino mihi clementissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 11. Decembris 1615.
OL E 196. 24. cs. 2. fasc. Nro. 107. Autográf.

102.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1615. november 22.

Felesége és ő maga is – öreg korban lévén – gyakran gyengélkedik. Az esztergomi érsek temetése december 3-án lesz. Erre meghívót is kapott, de maga helyett mástokat küld el. A törvényhozás elnapolása következtében november 20-án szerencsésen hazatért. A törökökkel még folynak a tárgyalások, mert azok az előző megállapodás értelmében 60 falut kérnek maguknak. Kéri, hogy írjon. Lazar Henckeltől - úgy tudja, hogy a levélhordók szombatonként indulnak Lipcséből Bécsbe, ők könnyen elhozhatják leveleit. Apja nevében köszöntse a professzorokat.

Illustris ac Magnifice Comes, fili nobis optatissime, Salutem et Diuinae benedictionis uberrima incrementa.

Etsi non ita pridem datis ad te literis de omni rerum nostrarum statu ad te fusius perscripserimus, Storgae tamen et affectus paternus, quo te complectimur, et quem tua in studijs diligentia, de qua ex aliorum quoque literis intelleximus, mirum in modum in nobis excitat et auget, eo nos inducunt, ut hisce Vicissim te invisamus literis. Quibus significamus Nos et Dominam Genetricem tuam Sororesque suauissimas DEJ beneficio tolerabili frui valetudine. Senium ad quod properamus per se morborum et aliarum difficultatum ferax est, Vnde nil mirum, si pro lucro Vnam Vel alteram dieculam laetiori Valetudinis aura nos afflantem haberemus. Avolamus certe et radio textoris Velocius decurrunt dies nostri. At in his omnibus Summi illius Monarchae, qui nihil perpetuum praeter se ipsum esse Voluit, optimae Voluntati nos accommodemus, necessum est.

Cardinalis Strigoniensis Exequiae ad Tertium futuri Mensis Decembris diem celebrabuntur, Ad quas et nos sat pathetica, cuius Paria tibi mittimus, Jnuitamur Epistola, sed loco nostro alios illis interesse statuimus. Judicia Octaualia propter Tractationem Turcicam, quae difficiles admodum <ac> dubies habet progressus, cum sint dilata, nos die 20. praesentis mensis Novembris, benignitate DEJ feliciter domum redijmus. Turca uti est Vafer, non probe fortasse pro sua parte intellecto priori tractatu, Pagos ad Strigonium olim dediticios Sexaginta habere cupit, Nostratibus autem aliquid restituere recusat. Exitus istorum DEUS optime novit. Tempora, quae nunc sunt, mala sunt, pejora sequentur. Nec melius nostro tempore tempus erit.

Postremo, optime ac carissime fili, hortamur te Paterne, quotiescunque siue studiorum tuorum cursus, quem in offensum esse cupimus, impedimento fieri potest ad Nos scribere non praetermittas, certo persuasus gratius nobis accidere nihil, quam si de Valetudine et studiorum tuorum statu crebrius condocefacti invicem nos solari queamus. Occasiones transmittendarum huc literarum sunt obviae, ex domino siquidem Lazaro Henckel intelleximus singulis Septimanis die Sabbathi Cursores Lipsia Viennam aduolare, per quos tales literae commodissime ad Nos deferrj possunt. Valere te ad vota cupientem.

Datum in Arce nostra Byttchensi, die 22. Novembris Anno 1615.

Pater tuus erga te quoad vixerit beneuolentissimus
Comes Georgius Thurzo
manu propria

Excellentissimos ac Clarissimos Dominos Professores nomine meo diligenter salutabis, et cuncta prospera ac faelicia ijsdem praecabuntur.

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlenffalwa, Comiti Haereditario ac Perpetuo de Arwa eiusdemque Comitatus Aruensis Supremo ac Perpetuo Comiti etc. Filio nostro carissimo etc. Vitebergam.
Thurzó Imre kezével: Accepi 9. Respondi 12. Decembris Anno 1615.
Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 172. Az aláírás és az utóirat autográf.

103.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. november 24.

Kétszeres örömet okozott neki apjának november 9-én kelt levele. Egyrészt megtudta, hogy apja és anyja egészségesek, másrészt a levélhordótól szóban is értesült az otthoni helyzetről. Apja előírásait követi tanulmányaiban is. Nagyra értékeli, hogy rektor lett, de még többre tartja azt, hogy ez apja beleegyezésével történt. A professzorokat és a magisztert köszöntötte, de elfoglaltságaik miatt nem biztos, hogy tudnak válaszolni. Ő és társai egészségesek.

lustrissimae Vestrae DominationiIllustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime, Salutem Illustrissimae Vestrae Dominationi voveo, servitiaque mea filialia submississimaque prolixe defero.

Duplici de causa Ilustrissimae Vestrae Dominationis 9. Novembris datae literae plurimum me exhilerarunt, tum quod Illustrissimam Vestram Dominationem bene una cum carissima, Magnifica Domina Matre valere significabant, tum vero, quia adjunctum habebant Viuum interpretem, ex quo eadem rectius percipere licebat. DEVS Illustrissimam Vestram Dominationem una cum suis valetudine prosperam, beatam inposterum quoque conservare dignetur.

Quantum sumptus, atque studiorum meorum rationem attinet, ita me accomodaturum promitto, ut ne notam neglectorum mandatorum Paternorum incurram. Et in illis quidem medium tenebo, haec vero ita dirigam, ut ad scopum meum recta non solum collimare, verum etiam pertingere possim.

Rectorem me esse magni duco, sed in id Illustrissimam Vestram Dominationem quoque per praesentes consensisse longe majoris aestimo. Illud enim magnificum, hoc autem benevolum et Illustrissimae Vestrae Dominationis erga me Paterni affectus singulare indicium, adeoque studiorum meorum ineffabile incitamentum.

Dominos Professores per dominum Magistrum salutavi, dubito tamen an per hanc occasionem propter certa magnaque impedimenta respondere possint. Quod tamen literarum hac vice non miserunt, alia et commodiore expecto.

Ego et mei Divina benedictione muniti valemus, et Illustrissimam Vestram Dominationem una cum suis reliquisque Aulae suae administris bene valentem suo tempore conspiciendam ex intimis cordis affectibus desideramus, Ejusdemque Illustrissimae Vestrae Dominationis affectum erga nos (qui hactenus singularis fuit) inposterum quoque nobis pollicemur, atque expetimus.
Datae Wittebergae, 24. Novembris Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obsequentissimus
Comes Emericus Thurzo
pro tempore Rector
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa, Comiti de Arwa Ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino etc. etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 11. Decembris Anno 1615.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 174. Autográf.

104.

Thurzó Imre Thurzó Szaniszlónak
Wittenberg, 1615. november 24.

Megköszöni, hogy a címzett mindig figyelmes volt iránta, peregrinációja során pedig tanácsokkal látta el, sőt egy lovat is ígért, holott meg sem érdemelte. Viszonozni szeretné ezt az ajándékot, de semmit sem tart erre méltónak.

Spectabilis ac Magnifice Comes, Domine Domine Frater carissime. Salutis voto ac officiorum meorum prolixa oblatione praemissis.
Ut in alijs semper Magnificentiam Vestram erga me bene esse affectam animadverti, ita vel maxime nunc in eo, quod me in peregrinis quoque oris versantem salutare, admonitionibusque fraternis imbuere minime dedignata fuerit, et insuper etiam Equum benigne mihi non merenti promittere voluerit. Praestitit profecto Magnificentia Vestra et officium pium in salutando, et fraternum in admonendo, simulque benignum in promitendo[!]. Quae ego tantum abest, ut reconpensare ulla ex parte valeam, ut ne cogitatione quidem satis plene assequi, satisque digne aestimare possim. Ob haec itaque me debitorem perpetuum fateor, Magnificentiaeque Vestrae totum me submisse offero consecroque. DEVS OPTIMUS MAXIMUS Magnificentiam Vestram una cum suis salvam atque incolumem vita longaeva, foelicitate prospera ad Ecclesiae suae emolumentum, Patriae afflictissimae commodum beare dignetur.

Datae Wittebergae, 24. Novembris Anno 1615.

Spectabilis Magnificentiae Vestrae Servitor et frater addictissimus
Comes Emericus Thurzo
pro tempore Rector
manu propria

Címzés: Spectabili ac Magnifico Comiti Domino, Domino Stanislao Thurzo de Betthlenfalwa, Comitj perpetuo terrae Sepusiensis eiusdemque Comitatus Supremo Comitj, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Consiliario etc. Domino et Fratrj carissimo atque obseruandissimo.
OL E 196. 27. cs. Nro. 212. Autográf.

105.

Eliáš Láni Thurzó Imrének
Biccse, 1615. november 27.

November 1-én kelt levelét november 15-én kapta meg. Aggasztja fiának hosszú betegsége. Gratulál Imrének rektori kinevezéséhez. Szülei állapotáról az ő levelükből értesülhet. Sok újság van otthon. Moldáviában összeesküdtek a nemesek a vajda ellen és el akarták űzni, de az a magyar urak segítségével legyőzte őket. A felkelők a lengyeleket, a vajda a tatárokat hívja segítségül. A törökökkel még folynak a tárgyalások. A perzsa uralkodó a szultántól való félelmében országa határánál egy 25 mérföldes sávot perzseltetett fel, s megmérgeztette a vizeket. 15 nappal ezelőtt Radolyán Echy Gáspár egyik jobbágynője, akit megszállt az ördög, öngyilkos lett.

Illustris et Magnifice domine, Domine mihi observantissime, Salutis precatione praemissa servitia mea Illustri Magnificentiae Vestrae offero.
Literas Illustris Magnificentiae Vestrae, Comes et patrone clementissime, pridie Calendae Novembris datas ego 25. ejusdem mensis avidissime accepi. Ex quibus tristia simul et laeta (prout est humanarum rerum conditio) percepi. Tristia quidem, quae de obstinato Isaaci mei morbo scribuntur, laeta vero, quae de Magnifici Rectoratus in Illustrem Magnificentiam Vestram collata dignitate inseruntur. Pro vtrorumque communicatione ago et habeo, quantas maximas possum, gratias. Caeterum toto pectore laetor et gratulor, quod Illustris Magnificentia Vestra divino munere et unanimi Senatus Academici suffragio, addo, et propriae virtutis merito, ac augustissimos (qui quidem in Academia contingere possunt) honores conscenderit. Deus gloriae, qui jam nunc flores juventutis Illustris Magnificentiae Vestrae honore coronat, dignetur deinceps maturiorem aetatem cum majorum honorum sublimitate tum praesentis et futurae felicitatis vigore exornare. Quod vero addit etiam in hoc Magistratus Academici fastigio se filio meo, quibuscunque potuerit, rebus promptissime subventuram, illud me non parum in maximis meis pro eo curis recreat. Deus benefaciat Illustri Magnificentiae
Vestrae pro tam effusa in me et Isaacum meum benevolentia, qua quidem ego me, si minus alia re licebit, perpetua certe beneficij praedicatione et precationum assiduitate dignum praestare enitar.

Valetudo Illustrissimorum dominorum parentum quo in statu sit, ex ipsorum literis Illustris Magnificentia Vestra cognoscet. Nova apud nos multa et varia. In Moldavia conspiraverant nobiles adversus Vaywodam, ac manu armata eum vel occidere, vel expellere nitebantur. Sed is subnixus Hungarorum bellicosissimorum viribus eos in acie fudit, victos partim trucidavit, partim vivos comprehendit. Comprehensos priusque supplicio afficeret, vxores ipsorum in eorum conspectu occidit, gravidas secavit, et foetus vtero exemptos in minuta frusta concidi curavit, tandem eos quoque inauditis tormentis excarnificatos mactavit. Nunc igitur qui ab hac immanitate residui sunt, Polonos ad occupandam provinciam attraxerent, contra Moldavus Tartaros et Valachos invocat in auxilium. Exitum deus et dies revelabit.

Cum Turcis apud nos nihil certi adhuc conclusum quamquam Imperator Turcarum adeo de hac pacificatione securus extitit, vt legationem Persicam vna cum splendidissis muneribus repudiarit, nec in conspectum suum admiserit. Rex itaque Persarum vires Sultani metuens propriae ditionis fines ad 25 milliaria patentes igne delevit, et omnes aquas veneno infecit, vt ita omni commeatu et aquae vsu hostem prohiberet.

Accidit et hoc ante dies 15., quod foemina quaequam in pago Radolj, subdita Casparis Echy postquam se diabolis de[...] per diras imprecationes noctu clam a daemone abrepta nemine mortalium animadvertente ac toto corpore contusa, tandemque ad saxum amni Kisucza imminens, sinistra capitis parte allisa, interfecta, et in aquam abjecta est. Deus nos clementer custodiat. Cujus protectioni Illustrem Magnificentiam Vestram commendans, feliciter valere et agere opto, measque eidem preces humiliter offero.
Dabam Bitscha, 27. Novembris Anno 1615.

Illustris ac Magnificae Dominationis Vestrae: subjectissime cliens
Elias Lany

Dominum Spiegelium et familiares Vestrae Illustris Magnificentiae amanter saluto et de non missis literis propter labores per Adventum dominum peragentem excusari rogo.

Címzés: Illustri et Magnifico Domino, domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti de Arva ac ejusdem Comitatus libero perpetuoque Comiti, pro tempore almae Academiae Vitebergensis Rectori magnifico, domino et Patrono mihi perpetuum [observandissimo].
Árva, IV-L/ 1. fasc. Nro. 144. Autográf.

106.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1615. november 27.

A október 31-én kelt levél nagy örömet okozott, mert megtudták belőle, hogy Imre egészséges és elfogadta a wittenbergi egyetem rektori tisztét. Ritkaság az, hogy idegennek adják ezt a tisztséget. Külön öröm, hogy ilyen gyorsan kapta meg. Imre eza-

latt a néhány hónap alatt jól haladt a német nyelv tanulásában. Nagyon hasznos német nyelvű könyveket gyűjteni, ezek olvasása sokat segít a tanulásban. Dícséri fiának német nyelvű levelét. Thurzó a választófejedelem leveleit szeretné elhelyezni levéltárában a többi emlékezetes levél és okirat között. Hoë doktort és a többi doktort és professzort köszöntse apja nevében, levelének azon részeit, ahol róluk szól, mutassa meg nekik. Nem felejti el Hoë urat megajándékozni. Rokonuk, Ostrosith János karácsony után Wittenbergbe utazik.

Illustris ac Magnifice Comes, Fili nobis dulcissime, Salutem et diuinae benedictionis salutaria incrementa.

Quod alias soepe soepius scripsimus literas tuas ex hoc remoto solo nobis pergratas fore, id nunc ingeminamus Epistolam tuam ad nos pridie Calendae Nouembris Viteberga exaratam longe fuisse gratissimam, vt quae non solum rectae Tuae valetudinis domino DEO propicio sed et noui honoris in Inclyta ista Academia Vitebergensi Magnifici nempe Rectoratus recens assecuti index.

Macte, optime fili, etiam in futurum faxis de tua incolumitate et optato rerum statu, nos reddas certiores, certus et ipse, nobis Parentibus tuis luce ipsa esse gratius, si de te optima quaeque crebrius inaudire ac congaudere queamus.

De Noui honoris in Alma hac Academia tibi nuper delati accessu et receptione, quod a gente aliena in Nostratibus ualde rarum!, Nedum ut tibi improperemus, ut magis loetemur te tam cito in eadem Academia ad tantum honoris fastigium euectum esse. Comprecamur denique, ut officio tali Rectoris Academici ad supremi illius Coeli et terrae Rectoris, a quo omne donum bonum procedit, gloriam, Tum ad Antistitum eiusdem Academiae arbitrium, ad tuum denique et tuorum honorem atque solatium diu feliciter uti frui et gaudere possis et valeas.

Ad Teutonicum idioma quod attinet, scimus equidem perbelle te non plane intra tam paucos menses solidam eius cognitionem assequutum esse, aut assequi potuisse, Cum Germanicus sermo ob duras dialectus inter coeteros sit difficilimus. Attamen intra anni unius decursum iacto isthic fundamento etiam deinceps eiusdem phraseos notitiam facile consequi poteris. Interim non abs re fuerit, si libellos aliquos Teutonicos tibi compares, quorum lectu eo maiorem praedictj idiomatis notitiam et habitum tibj comparare poteris. Illa quoque, quam ad nos Germanice scripsistj, Epistola mirifice adfecti sumus et laetatj. Similem in futurum quoque praesta operam, ac tam horum, quam priorum abscessuro tibi a nobis factorum Moniturum memor nihil eorum praetermittas, quae usui tibi olim futura, Nostrisque, Parentum tuorum amori et candori conseruando profutura esse sciueris. Literas nostras priores ad Te tuosque Collegas, dominos Professores spectantes ipsis ita uolente, quod aperuisti, optime fecisti. Cupiuissemus sane ex animo, si literae Electorales etiam ad nos peruenissent, ut eas depositi loco inter alias memorabiles literas et acta aerae nostrae in Archiuo reponere ac collocare fecissemus..

Reuerendum ac Clarissimum dominum Doctorem Hoe, sicut et coeteros dominos Doctores ac Professores nostro nomine salutabis officiosissime, literasque nostras Illis, quibus sonant, exhibebis diligentissime. Habita prima occasione munere conuenienti in partibus illis non semper usitato eundem dominum Hoe cohonestare non praetermittemus. In reliquo te bene et feliciter ualere cupimus.

Datum in Arce nostra Byttche, die 27. Nouembris Anno 1615.

Pater quoad vixerit erga te beneuolentissimus
Comes Georgius Thurzo
manu propria

Nolui te latere, charissime fili, sororium meum Magnificum Johannem Osztrozyth nuper apud me fuisse, significasseque se post Ferias Natalitorum Domini in almam Academiam Vitebergensem venire constituisse, vtinam ex nobilitate Hungarica quamplurimi Academias visitarent, ac cum fructu in emolumentum Patriae redeant.

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlemffalwa, Libero ac haereditario Comiti de Arua eiusdemque Comitatus Aruensis Supremo et perpetuo Comiti ac Inclytae Academiae Witebergensis Rectori Magnifico etc. Filio nostro charissimo. Vitbergam.
Thurzó Imre kezével: Accepi 27. Respondi 30. Decembris Anno 1615.
Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 175. Az utóirat és az aláírás autográf.

107.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. december 5.

Minthogy ezelőtt hét héttel, október 17-én írt levelére apjától semmi választ nem kapott, nem tehet mást, mint azt, hogy ezt a levelet hatodikként megírja az előző öt után. Jacob Martinitól hallotta, hogy a braunschweigi fejedelem megszüntette az ostromot és hazatért. A minap Hutterral, előzőleg pedig Wolfgang Franzcal gyakorolta magát a teológiában. Ezek a nyilvános gyakorlatok az auditóriumban voltak. Az elmúlt napokban, amikor Severinus levélhordót küldte apjáékhoz, professzoraival együtt ellátogatott a Tandler doktor által tartott boncolásra. Arra törekszik, hogy két kis szónoklatát mielőbb elküldhesse apjának.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime, Salutis voto ac officiorum meorum filialium submississima commendatione praemissis.

Posteaquam per 7 hebdomadas ab Illustrissima Vestra Dominatione ad 17. Octobris datas meas literas nullum accepi responsum, non potui qvin juxta admonitionem Illustrissimae Vestrae Dominationis has sextas prioribus quinque adderem, cumprimis cum me non lateat Illustrissimam Vestram Dominationem non ita saepe, quam fortassis vellet de meo statu ob itineris longinqvitatem[?], ita negligentiam cursorum certi quid percipere posse, mearum itaque fuit partium, ut Illustrissimam Vestram Dominationem alias etiam curis pene obrutam hac de meo statu solicitudine levarem.

Quid autem nunc aliud, quam de ratione studiorum meorum, et valetudine, quae hactenus exoptatissima ex Numinis Divini benedictione fuit, Illustrissimae Vestrae Dominationi scribere qveam, nescio praeterqvam illud, quod heri ab Excellenti Magistro Jacobo Martini certo intellexi Brunsvicensem Principem obsidionem coactum esse, infecta re solvere, atque demissis auriculis, juvenilis

impetus poena data domum sese recepisse. Quantum autem studiorum meorum rationem attinet, de eis haec breviter. Pergo, ut accepi, diligenter ita tamen ut valetudinis etiam rationem habeam. Ut nuper cum Reverendissimo Domino Doctore Huttero, ita heri cum Reverendissimo Domino Doctore Frantzio Theologica collatione in Auditorio publico memet exercui, et hisce praeteritis diebus, ex quo Severinum tabellionem Illustrissimae Vestrae Dominationi remisi, inter alia literaria exertitia visitavi quoque una cum alijs nonnullis Professoribus spectaculum Anatomicum, cui heri sub vesperam a Domino Doctore Tandlero, qui id exhibuit, ultima manus imposita. Existimabam enim Noscere seipsum esse longe optimam artem juxta Oraculum Croeso datum. Oratiuncularum mearum duae jam sub praelo sudant, quas ad Illustrissimam Vestram Dominationem primo quoque tempore deferendas curabo. DEVS Illustrissimam Vestram Dominationem quam diutissime salvam atque incolumem conservare dignetur.
Wittebergae, 5. Decembris Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obedientissimus
Comes Emericus Thurzo
pro tempore Rector
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa, Comiti perpetuo de Arwa Ejusdemque Comitatus Comiti, Regni Hungariae Palatino, Sacrae Caesareae ac Regiae Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 14. Januarij 1616.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 177. Autográf.

108.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. december 12.

Október 17-én kelt levelére, amiben a Hamburgba tervezett útról írt, és amit már nyolc hete elküldött, most érkezett válasz. Szomorúan értesült arról, hogy szülei nincsenek jól. Apja nem válaszolt arra, hogy áprilisban Hamburgba szeretne utazni. Fél, hogy kérésével bánatot okozott neki.

Illustrissime Comes Domine, Domine pater carissime, Salutem Illustrissimae Vestrae Dominationi voveo, et servitiorum meorum filialium submississimorumque commendationem prolixe defero.

Auide sane expectabam resolutionem Illustrissimae Vestrae Dominationis ad litteras meas 17. Octobris exaratas, tum propterea, quod jam fere octo septimanae elapsae erant, ex quo illas ad Illustrissimam Vestram Dominationem dederam, tum etiam quia in eisdem de mea Hamburgam versus profectione Illustrissimam Vestram Dominationem oraveram. Quam etsi jam accepi, tamen quoniam Illustrissimam Vestram Dominationem, ut et carissimam Magnificam Do-

minam Matrem non ex sententia valere inde intellexi, animo sane agerrimo haec tam tristia percepi. DEVS ille medicus summus, qui Regis Histriae annos eidem reddita sanitate pristina prolongavit, dignetur etiam Illustrissimas Vestras Magnificentias priori sanitati restituere, mihique valenti benevalentes in annos Nestoreos conservare. Et quia litterae illae magis dubium, quam certum me reddiderunt de voluntate Illustrissimae Vestrae Dominationis super profectione mea ad partes maritimas mense Aprili instituenda, cum nihil plane super hoc negotio mihi perscriptum sit, non exiguum animi exinde sensi maerorem. Vereor enim ne forte petitione mea Illustrissimam Vestram Dominationem laeserim, quod si factum praeter opinionem meam, veniam oro, et hoc iter potius infectum, quam perfectum velim. Non tamen existimo tale quid me Illustrissimae Vestrae Dominationi deliquisse, cum hac in parte etiam munus mihi per Illustrissimam Vestram Dominationem commissum perficere satagam. Peregrinatio namque non parum addit prudentiae et cognitionis cumulum, nec parum ad valetudinis incolumitatem conducit. Quare etiam atque etiam oratam volo Illustrissimam Vestram Dominationem, ut haud gravatim quid hac in parte Illustrissimae Vestrae Dominationi placeat, me informare dignetur, certoque sibi Illustrissima Vestra Dominatio persuadeat me secus non facturum, verum in omnibus, mandatis et admonitionibus Illustrissimae Vestrae Dominationis Paternis memet accomodaturum.
Datae Wittebergae, 12. Decembris Anno 1615.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obseqventissimus
Comes Emericus Thurzo
pro tempore Rector
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa, Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino, Sacrae Caesareae ac Regiae Majestatis intimo consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo.
Idegen kézzel: Exhibitae die 9. Januarij 1616. in oppido Pestercz
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 179. Autográf.

109.

Eliáš Láni Thurzó Imrének
Biccse, 1615. december 14.

Severinustól hallotta, hogy Thurzó csodálkozik, amiért nem írt. Ennek okát Severinus bizonyára megadta. Otthon a drágaság egyre növekszik. A velenceiek a dalmáciai Neustädtelt megtámadták és megöltek 20 katonát. A város templomát feltörték, a miséző papokat a templom kapuja előtt megölték. Szunyogh Gáspárt Kruspieren keresztül figyelmeztette wittenbergi adósságaira.

Illustris domine Comes, Rector magnifice, domine mihi observandissime, Salutem cum salutari cursu tam officij, quam studiorum Illustri Magnificentiae Vestrae precatus, me totum offero.

Ex relatione Severini nostri intellexi Illustrem Magnificentiam Vestram admiratam esse, quod per ipsum nullas ad se eo tempore dederim literas. Cujus rei causam non dubito exposuisse eundem Severinum. Equidem occasioni haut[!] libenter deesse soleo: nisi quod multa saepe intercidunt, quae excutiunt etiam scripturienti calamum. Puto igitur veniale meum fuisse peccatum.

Nunc, quod scribam, vix invenio, nisi tam Illustrissimos dominos parentes, quam nos, qui circa eosdem versamur, adhuc tolerabili vti conditionis valetudine. Quod bonum vt et nobis, et Vestrae Illustri Magnificentiae perpetuet deus, toto pectore oro.

Hic annonae indies ferme augescit pretium. Urna vini apud Sanctum Georgium 4 florenis et 50 denariis emitur: Sopronij 6 florenis et dimidio. Tokaini vasculum comparatur 36 taleris. Provenerunt autem hoc anno Illustrissimo domino talium vasculorum quingentum <...> demptis 12.

Veneti arcem cum adjuncto oppido in dalmatia, cui nomen Novum Castrum, hoc autumno hostiliter invaserunt, et expugnata ea cum petardis et machinis, 20 milites in ea repertos trucidarunt: effracto templo oppidi, sacrificos missam celebrantes ante fores templi capite truncarunt, hostiam conservatam discepserunt, vasa sacra diripuerunt et melioribus jumentis abactis ad sua navibus redierunt. Jam consultat Caesarea Majestas, quid facto opus sit in tali insperato casu.

Dominus Caspar Szuniogh mediante domino Cruspiero per me de exolvenda sua apud Vitebergenses fide jam est admonitus: sed prorsus tacet. Expectatur huc in aulam: kdezto chce njm pan doktor neco zahrati aby weliku chlubu jeho o swem vmenj porazyl. Adhuc ex superabundanti admonebitur. Nunc, quid addam, non habeo: nisi vt Illustrem Magnificentiam Vestram protectioni divinae commendem: valeat et floreat faustiter.

Celerrime Bitscha, 14. Decembris Anno 1615.

Illustris Magnificentiae Vestrae ad preces et omnia observantiae officia promptissima servus

Elias Lany

Címzés: Illustri et Magnifico Comiti, Domino Emerico Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti de Arva, ac ejusdem Comitatus supremo, libero perpetuoque Comiti, pro tempore Academiae Vitebergensis Rectori magnifico: domino et Patrono mihi observando.

Árva, IV-L/ 1. fasc. Nro. 146. Autográf.

110.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1615. december 14.

Fia leveléből és Severinustól is tudja, hogy Imre jól van, és azt is, hogy a közügyekben fáradozik. Az otthoniak szintén egészségesek. Gratulál a rektorsághoz és arra buzdítja fiát, mutatkozzék e tisztségre méltónak. Tekintse ezt egy reá váró nagyobb

hivatal előjátékának. Azt a képet, amit anyjának írt levelében kért, elküldi. Wesselényi úr újra nősül, Pongrácz Jeremiás lányát készül elvenni. Zrínyi Miklós gróf testvére, György ismét az ő udvarába készül, bárcsak betegsége ne újulna ki.

Illustris ac Magnifice Comes, fili nobis charissime, Salutem et felicissimos ad vota successus precatj affectum nostrum paternum tibi deferimus.

Valere te ex animi sententia, tum vocationis modernae labores grauiter urgere, successusque DEJ beneficio subinde consequi optatos non ex literis solummodo tuis, Verum ex Seuerino etiam Tabellione nostro gratissimo intellexi-mus animo, desiderantes unice, ut in futurum quoque, similia de tuarum rerum statu intelligere ac congratulari queamus. Nos quoque domina Genetrix et Suauissimae Sorores, laudetur benignum Numen, mediocri fruimur ualetudine. Noui quod nunc scribamus, obscurrit[?] tale nihil.

Quantum ad officium Rectoratus Almae istius Academiae Vitebergensis; Etsi nuper quoque modo simili cum paterna exhortatione tibi congratulati simûs, Tamen et nunc te amanter monendum esse duximus, cum Magistratus ostendat virum, remis velisque allabora, ut prouincia haec idoneum te et dignum tanto munere experiatur, vtque illi officio, quod quasi praeludium quoddam maioris regiminis olim benedicente domino, assequendi cum DEJ gloria incremento, totius Jnclytae Academiae emolumento Tuoque et Tuorum insigni ornamento praeesse possis, unice in id intentus esse non praetermittas. Vbi dominae Genetrici tuae scribis, et cupis, ut a nobis illa expeteret[?] Imagini [...] in aerea tabella excisam, Eam in quem usum exoptes, nescimus, volentes tamen in eo quoque tuis satisfacere votis cum praesentibus literis nostris eam tibi mittimus. Da operam, ne deperdatur, uerum una tecum dante DEO ad nos suo tempore redeat. Icon hic noster dum sculperetur, integra fuimus adhuc aetate, iam ab eo tempore aliquot effluxerunt anni successitque ruga et canicies.

Deus OPTIMUS Maximus faxit, ut sequentes etiam, quos diuina nobis largiri dignabitur majestas, Anni, pede inoffenso et sydere fausto faucto fluant, utque te reducem saluum et incolumem olim conspicere et dissu[.]uiari queamus.

Nunc quod restat, Te porro monemus, crebrius datis ad nos literis nos recreare et exhilarare stude. Vale optissime fili.

Datum Arce nostra Byttche, 14. Decembris Stilo n[ost]ratae Anno MDCXV.

Pater quoad vixerit semper benevolentissimus

Comes Georgius Thurzo
manu propria

Charissime Fili, quod aliud ad te scribam, non habeo. Dominus Vesseleny percessus[?] solitariae vitae, de nouo in uxorem Hieromiae Pongracz filiam ducere constituit. Dominus Comes a Zrinio Nicolaus hic v[...]culo <filium> fratrum Georgium iterum in Aulam meam Promovere nititur, utinam boni valetudinis Juvenis statum aetati suae acommodum etiam antea non interturbasset.

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlemffalua, Libero ac haereditario Comiti de Arua eiusdemque Comitatus Aruensis Supremo et perpetuo Comiti et Inclytae Academiae Vitebergensis Rectori Magnifico etc. Filio nostro charissimo. Vitebergam.
Thurzó Imre kezével: Accepi 8., responsi 11. januarii Anno 1616.
Evangélikus Országos Levéltár I a 2; 16.

111.

Balthasar Meisner Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. december 20.

Elküldi disszertációinak egy példányát. Igyekszik Imre szolgálatára lenni.

ILLUSTRISSIME COMES AC PALATINE,
DOMINE CLEMENTISSIME.

Quod iamdudum facere constitui, ad quod et ipsa Gratitudo me obligatum esse monuit, nunc tandem expeditum dare et in actum licet deducere. CELSITUDINI VESTRAE dissertatiorum mearum exemplar transmitto, et Eidem sacras dicatasque humilime volo. Non tentassem, nisi Merita Vestra postulassent, et singularis clementia iampridem aperuisset aditum. Illa tanta sunt, ut praedicare satis nequeam, hunc expertus toties sum, ut de audaciae meae venia nullus ambigam. Uti Sol ille Planetarum Rex et astra vicina, et hanc infimam telluris glebam promte collustrat, sic CELSITUDO VESTRA patietur, spero, ut ab Illustrissimi Nominis praescripto iubare lucubratiunculis meis lumen aliquod accedat, quod tamen omne ad Celsitudinem Vestram vicissim reflecti cupio, siquidem has pagellas humilimae observantiae et gratitudinis meae certas esse tesseras unice exopto. Quod ipsum se impetravero, de finis adeptione mihi gratulabor, et faxo insuper in posterum, ut me virtutum Vestrarum et admiratorem, et cultorem humilimum esse omnes intelligant.

Eodem animo Celsitudinis Vestrae Filio unico, Perillustri et admodum Magnifico Comiti, Domino EMERICO THURZO etc., Academiae huius Rectori splendidisssimo, Domino meo clementi et perbenigno quotidie inservire studeo, quo mandato muneri satisfaciam, et studiorum omnium promtitudinem humilimam declarem. Benignissimus pater misericordiae et Vestram Celsitudinem, et Eiusdem Filium Magnificum cum universa familia perillustri clementissime defendat, ut divini Nominis honori, Ecclesiae bono, et piorum [...] diutissime superesse valeant.
Dabam Wittebergae, die XX. Decembris MDCXV.

Illustrissimam Celsitudinem Vestram humilime colens

Balthasar Meisnerus Doctor
manu propria.

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino GEORGIO THURZO de Betthlemffalva, Palatino Regni Hungariae et Judici Cumanorum, nec non de Arwa perpetuo ejusdemque Comitatis Arvensis Supremo ac perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Consiliario intimo et per Hungariam Locum tenenti, Domino mihi clementissimo.
Árva, II-M/ 19. fasc. Nro. 183. Autográf.

112.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1615. december 27.

December 14-én Lazar Henckellel levelet küldött fiának, amiben mindenről részletesen beszámol. Krisztus születésének ünnepén újabb levéllel akarja köszönteni őt. Fiának és tanárainak leveleiből, valamint az egyetem leveléből tudja, hogy szorgalmasan tanul, így már ifjan megveti alapját férfi évei erényének és tudományának. Ő maga már két hete nyomja az ágyat, gyötri a köszvény. Kívánja, hogy legyen béke. Figyelmezteti fiát a gyakori levélírásra. Keze fájdalma miatt sajátkezűleg keveset ír.

Illustris ac Magnifice Comes, Fili nobis unice charissime. Salutis ac omnis felicitatis voto praemisso, paternam nostram beneuolentiam et affectionem deferimus.

Etsi primum, chare fili, in literis nostris 14. labentis mensis Decembris die per Generosum dominum Lazarum Henckell Seniorem etc., dominum Amicum tanquam fratrem nostrum singulariter honorandum transmissis de omnibus rebus, quae ad te pertinere uidebantur, scripserimus, Nihilo tamen minus ex naturali illa, qua te paterne complectimur, storga et affectione hac etiam sacra Natalitiarum Christi solemnitate, licet non adeo firma vtentes valetudine, literis te nostris salutare et inuisere uoluimus, Deum aeternum, Patrem domini nostri Jesu Christi deuote rogantes, ut per recens natum Emmanuelem et vnicum generis humani Saluatorem gratiam Spiritus sui Sancti tibi largiri dignetur, quo in ardua hac communi Patrum Academicorum suffragio tibi delata prouincia Deo grata Academiae illi salutaria, tibi utilia, Nominique tuo et existimationi laudabilia mediteris et facias.

Et licet tuam in linguarum studio virtutumque curriculo diligentiam ac sedulitatem tam ex proprijs tuis, quam domini Magistri literis satis abunde perspectam habeamus, laetaque omnia et prospera de te nobis polliceamur. Tamen cum ab inclyta Academia Witebergensi nobis amicissima in suis ad nos datis literis virtutes tuae praedicentur, uberiorem ea res nostram fecit voluptatem. Hinc enim maiorem concepimus spem fore, ut quoniam animi tui et indolis praestantiam cum egregia in Deum Optimum Maximum pietate, in Parentes et Perceptores obseruantia maxime coniunctam et consociatam esse intelligimus, et tu diligentiae tuae uberrimos jucundissimosque fructus. Nos incredibilem de te laetitiam ac Voluptatem, Patriaque haec tua satis afflicta et Christiana Respublica optatos prouentus, bona incrementa illustresque vtilitates sit perceptura. Quam te cogitationem incumbere noctes atque dies decet, ut ista adolescentia florentique tua aetate ea Virtutum ac studiorum iacias fundamenta, quibus relicta aetas omnis egregie

praeclareque nitatur, famaque tua et existimatio apud Exteros etiam illustrior reddatur. Quod erit, non tantum si in pietate ista erga Deum, reuerentia erga Parentes, obseruantia erga Praeceptores permanebis, sed in dies quoque singulos magis magisque studiorum tuorum ac linguarum habebis rationem.

Id si, uti omnino speramus, feceris, curabimus enitemurque, ut ea tibi a nobis ornamenta proficiscantur, quibus tu bene contentus esse, Nosque sumtus nostros ac paternas monitiones non frustra collocasse laetari possimus. In futuro tuo reditu DEO benedicente daturi sumus operam, ne in aliqua parte tibi defuisse videamur.

Ad Valetudinem nostram quod attinet DEO ita uolente per duas integras septimanas lecto affixi decumbimus, Podagra antehac, nunc Chyragra acerbius nonnihil laborantes. Spem tamen ac fiduciam nostram in DEO unice fixam ac repositam habemus, certi quod pro immensa sua bonitate et misericordia dolores nostros mitigare, pristinaeque et meliori valetudini brevi nos restituere dignabitur. Qua prospera ualetudine, ut tam nos, quam Tu et tui omnes diutissime frui possimus, diuinam suam Majestatem animitus veneramur.

Hinc quae noua scriberemus, aliud nihil habemus, quam quod licet Arma sileant, tutaque sint et tranquilla omnia, non desint aliqui maleferiati homines, qui proprij alicuius lucelli causa proprio motu et affectu sanctam Pacem praepedire, turbasque nouas dare satagunt. Confundat Ipsorum conatus JEHOVA et dominus dominantium, Pacemque nobis largiatur desideratissimam.

Colophonis loco iterum atque iterum te Charissime fili diligenter monemus, ut de Valetudine tua (quae si prospera, uti confidimus, fuerit, incredibili nos afficiet voluptate et gaudio) alijsque rebus occurrentibus quam saepissime, quam diligentissime nos certiores facere non praetermittas. Erit id nobis hoc gratius, quo valetudinis tuae optimae cupidiores sumus. Vale felicissime, Teque ac studia tua cura diligenter. Iterum iterumque Vale.

Datum Stilo nouo ex Arce nostra Byttchensi, in festo Sancti Joannis Euangelistae Anno dominj MDCXV.

Pater tuus erga te semper beneuolentissimus

Comes Georgius Thurzo
manu propria

Post Scriptum: Dolores manus, chare fili, impediunt me, ut manu nostra plura scribere nequeam. Hesterna die tonitrua maxima audita et Corruscationes contra Hyemes nostras[?] visa sunt. Dominus Deus omnia in bonum vertere dignetur.

Címzés: Illustri ac Magnifico Comitj Emerico Thurzo de Betthlemffalua, libero ac haereditario Comiti de Arua eiusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti et Inclytae Academiae Vitebergensis Rectori Magnifico etc. Filio nostro unice charissimo. Vitebergam.

Thurzó Imre kezével: Accepi 14. Lipsiae Respondi 19. Wittebergae Januarij.

Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 12. Az utóirat és az aláírás autográf.

113.

Eliáš Láni Thurzó Imrének
Biccse, 1615 december 28.

Köszöni, hogy ír neki. Thurzó Györgyöt köszvény gyötri, lassan javul az állapota. Thurzóné súlyos hurutttal küszködött. Már mutatkoznak rajta a javulás jelei. Nővére, Illésházyné gyermeket vár. Wesselényi Pongráczné lányának udvarol. Már csak a pápai dispensatiót várják: ugyanis harmadfokú vérrokonok. A dolog kieszközlése végett Permay Prágába ment. Az a hír járja, hogy egyúttal felmentést fog kérni Wesselényi számára azon esküje alól, melyben megígérte, hogy nem háborgatja az evangélikusokat. A teplicei evangélikusok félnek. Mivel a törökkel nem jött létre megállapodás, félő, hogy kiújulnak a harcok. Így történt Szikszó környékén is.

Illustris domine Comes, Rector Magnifice, domine Patrone mihi observandissime, Salutis precatione praemissa, officia mea cum orationibus Vestrae Illustris Magnificentiae revertenter offero.

Quod in multiplicibus suis tam publicis, quam privatis occupationibus Illustris Magnificentia Vestra mei non obliviscitur, quin me identidem suis compellet literis, ingentes gratias ago, et vel hinc de ejusdem erga me animo sane propenso conjecturam cupio. Ea res facit, vt ego quoque meis saepiuscule contra obstrepam, quanquam idonea materia desit. Praesentibus hisce illud primum intimo Illustrissimum dominum parentem hactenus adeo podagrae doloribus afflictatum esse, vt portari debuerit, sed in dies meliuscule valere incipit. Spes est intra paucos aliquot dies eum ministerio pedum denuo vsurum, quod faxit deus optimus maximus. Illustrissimam dominam laboravit quoque hactenus catarrho perquam molesto ita, vt et maxillus pervaserit et tumorem genarum conciliaverit. Verum incessit adhuc, et incedit erecta cum optima spe revalescendi. Confirmet eam Archiater coelestis. Magnifica domina Illeshaziana habet etiam aliquid aegritudinis, sed non ad mortem, quin potius ad vitam hoc est, vti audio, ex conceptu, de quo sane ex animo gratulamur, et fortunari merito optamus.

Magnificus Dominus Wesseleny filiam relictae dominae Pongracianae in matrimonium ambit. Res jam eo deducta est, vt saltem dispensatio Legati Papae expectetur, quandoquidem tertius gradus cognationis inter eos intercedit. Ad eam impetrandam Pragam expeditus est Permay, qui dicitur eadem opera absolutionem quoque a juramento de non turbandis Ecclesijs Evangelicis per dominum Wesselenium facto petiturus. Unde Varinensis et Teplicensis Ecclesia in metu versantur et solicitudine.

Publicus regni status videtur fictilibus pedibus insistere. Quia enim cum Turcis ratione pagorum tributariorum nihil conclusum est, illi quotidie magis ac magis augentur, congregantur, ringuntur. Metuendum, ne quo subito irrumpant, et caedibus, rapinis, incendijs grassentur, quidem fecerunt circa Sixoviam. Hesterna tonitrua et coruscationes aliquid mali portendunt. Deus meliora. Ego hic finem facio rogans iterum atque iterum Illustrem et Magnificem Dominationem Vestram, dignetur haec in bonam partem interpretari et Isaacum meum solito favore complecti. In reliquo eandem Curae Omnipotentis commendans annum

hunc recentem eidem prosperari opto, meaque humilima defero officia.
Datum Bitschae, die Innocentum puerorum Anno 1615.

Illustri ac Magnificae Dominationi Vestrae precibus et officijs addictissimus

Elias Lany

Címzés: Illustri et Magnifico Domino, domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti de Arwa ac ejusdem Comitatus Arvensis perpetuo, libero ac haereditario Comiti: pro tempore Academiae Vitebergensis Rectori Magnifico: domino patrono mihi observandissimo.
Árva, IV-L/ 1. fasc. Nro. 145. Autográf.

114.

Thurzó György a wittenbergi egyetemnek
Biccse, 1615. december 28.

Október 31-i levelükből megtudta, hogy fiát, akit a filozófia és a teológia tanulmányozása végett utazott Wittenbergbe, az egyetem rektorává választották. Ez az előléptetés minden várakozásukat meghaladta. Örül, hogy fia mellett olyan segítőtársat tudhat, mint Ernst Hettenbachot, az orvostudományok doktorát és professzorát, az orvosi fakultás szeniorát. Kívánja, hogy együttműködésük sikeres legyen. Kéri, hogy imádkozzanak Magyarország békéjéért.

Reuendissimi, Excellentissimi et Clarissimi domini, Amici nobis perpetim colendi. Salutem et officiorum pietatis omium synceram Commendationem.

Literae Reuerendissimarum, Excellentissimarum ac Clarissimarum dominationum Vestrarum ad nos pridie Kalendas Nouembris Anno labenti Wittebergae exaratae, sunt nobis redditae: Ex quibus intelleximus Inclytam Academiam istam Vitebergensem ad contestandam in nos singularem suam beneuolentiam: In filium vero nostrum vnicum ac unice charissimum, Illustrem nempe ac Magnificum Comitem Emericum Thurzo de Betthlemffalua, Liberum ac haereditarium Comitem de Arua eiusdemque Comitatus Aruensis Supremum ac perpetuum Comitem etc. tanquam Alumnum suum specialem amorem, eidem filio nostro superioribus hisce diebus munus Magnifici RECTORIS eiusdem Academiae ad semestre hybernale solemni ritu contulisse, eamque ea dignitate et honore inautorasse et sublimasse.

Etsi uero eo voto et nomine praedictum filium nostrum in eandem Academiam transmiserimus, vt gradum aliquem publici honoris et dignitatis gessisset, verum vt studijs suis Theologicis primum, tum Philosophicis, in quibus domi non contemnenda jecerat fundamenta, isthic per Dominationes Vestras confirmari ijsdemque Coronidem seu colophonem imponere potuisset: Id quod consecuturum Eum adspirante benigno Numine confidimus, quia tamen praeter spem et opinionem nostram haec illi prouincia delata gratissimo id a Reuerendissimis, Excellentissimis atque Clarissimis dominationibus Vestris recipimus animo. Aequis ac gratius habentes, quod eidem filio nostro pro Collega et fido, ueluti Acha-

te additus sit Clarissimus atque Excellentissimus dominus Ernestus Hettenbachius Medicinae Doctor et Professor Publicus Facultatisque Medicinae Senior, longa iam ante experientia celebris. Ac precamur Aeternum DEVM, a quo omne bonum descendit, ut Tyroni huic suo Sancto Spiritu adesse, conatusque et studia illius ita regere dignetur, ut ea omnia et singula ad diuinae Maiestatis gloriam, Reipublicae Christianae emolumentum, Nostrumque tam Genitorum, quam Nati solatium et decus uergere possint. Quis vltra? Officium hoc, studium ac beneuolentia Almae istius Academiae hoc facto, ita nos sibi deuinctos reddidit, vt Ego quidem, quoad lucis huius habuero vsuram, omibus modis ea depraedicare: Idem uero filius noster eidem Academiae, tanquam Matri Charissimae ad perpetuas gratias officiose referendas, rei maneamus et obstricti. Id quod de nobis quidem sancte pollicemur, Eundem uero filium nostrum talem et tam gratum futurum, spem concipimus indubiam.

Quod superest Reuerendissimas, Excellentissimas atque Clarissimas dominationes Vestras amice rogantes obtestamur, ut sicut hactenus, de coetero etiam Regnum hoc Hungariae maximis certe expositum periculis precibus publicis et priuatis domino DEO commendare non dedignentur. Nos pari modo pro ijsdem dominationibus Vestris et Tota Christianitate sedulo facturi. Valeant et floreant dominationes Vestrae ad vota diutissime. Sitque recens annus Eisdem et totj Academiae faustus, felix, salutaris, animitus precamur.
Datum in Arce nostra Byttche, die Infanticidij Herodiani stilo nostrate, In calce Anni 1615.

Reuerendisimarum, Excellentissimarum atque Clarissimarum Dominationum
Vestrarum Amicus Addictissimus
Comes Georgius Thurzo manu propria.

Comes Georgius Thurzo de Betthlemffalua, Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, nec non de Arua perpetuus eiusdemque Comitatus Supremus ac perpetuus Comes, Sacrae Coesareae Regiaeque Maiestatis Intimus Consiliarius et per Hungariam Locumtenens.

Címzés: Reuerendissimis, Excellentissimis atque Clarissimis viris, dominis N. N. Pro-rectori, Magistris et doctoribus Inclutae Academiae Vitebergensis celeberrimis etc. Dominis et Amicis nobis obseruandissimis. Vitebergam.

Idegen kézzel: praesens 9. Januarii 1616.

UAH Rep. 1 Nr. 123/178. Az aláírás autográf.

115.

Samuel Bartošovič Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1615. december 29.

A humán tudományok eleinte nehéznek látszanak, de aztán sok örömet okoznak. Thurzó leveléből látja, hogy iránta való bőkezűsége nem csökkent. Nem képes felsorolni jóindulatának jeleit, csak köszönetét tudja kifejezni azokért.

Illustrissime et Celsissime Comes, Domine, Domine mihi Clementissime. Ab instauratore generis Humani, Deo simul et Virginis Filio, Jesu CHRISTO solidam animae et corporis salutem, pacem perpetuam, uberrimum divinae benedictionis in administratione Patriae nostrae incrementum precatus, humilima servitij officia Illustrissimae Celsitudini Vestrae semper parata defero.

Natura nonnunquam ita ordinante Deo Comes Illustrissime, disponit, ut res eae, qvae primo intuitu qvandam difficultatis speciem praeseferunt[!], saepius optatum finem mediante bonorum virorum suffragio sortiantur. Pari modo comparatum esse cum studijs humanioribus nullus dubito, qvae in principio non nihil difficultatis cultoribus suis important, et plerosqve paupertate et asperitate fortunae opressos a coepto propositi cursu alienos reddunt. Nonnunquam tamen persistentibus in assidua pietatis et doctrinae vigilantia, DEO Rectore et gubernatore multum jucunditatis et delectationis afferunt efficiuntque, ut tales adjuti divina cumprimis gratia, et promotorum benignissima munificentia eventum optatum studiorum suorum asseqvantur.

Hoc beneficij genus mihi qvoqve obtigisse perlubens agnosco, cuj praeter omnem promeriti officij respectum munificentissimam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae cum antea, tum sane et hoc temporis intervallo ex literis ad me datis licuit experiri promptitudinem, qvam nisi gratus agnoscerem, et debitis precum officijs demereri negligerem, Vita indignum me merito judicarem, et illud Salomonis Regis sapientissimi in me redundare nullus dubitarem: Ingrati spes tanqvam Hybernalis glacies tabescet et disperiet tanqvam aqva supervacua: Gratiarum enim cessat discursus, ubi recursus non adest teste Bernhardo.

Tanti ergo beneficij, Comes Illustrissime, cum par remunerando non sim, eas, qvas possum, et ago, et habeo gratias. Deum meum supplex veneror, ut is ob hoc Illustrissimae Celsitudini Vestrae una cum Illustrissima Domina Liberisqve Generosissimis benedicat ex alto, donet vitam diuturnam, successum felicem, administrationem inculpatam, domum semper tutam, tribuat fortes exercitus contra inimicos Christi, det Ecclesiam qvietam et pacatam, largiatur tempora pura, qvae ab Haeresibus secura, et ab omni detrimento Regni Hungariae integra esse possint. Servet etiam Dominus e Sion Illustrem et Magnificum Comitem Dominum Emericum, Filium Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, Dominum meum benignissimum hic degentem, servet et adaugeat vires Valetudinis, qvo salvus et incolumis statuto tempore ad suos redire possit.

Ita vovebam Vitebergae, 29. Decembris Anno 1615.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Humilimus cliens
Samuel Barthossovitz Veterosoliensis

Címzés: Illustrissimo et Celsissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethleenffalwa[!], Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino; Judici Cumanorum, Sacrae Regiaeque Majestatis Consiliario Supremo et per Hungariam Locum-tenenti etc. Domino mihi Clementissimo.

Árva, II-B/ 21. fasc. Nro. 176. Autográf.

116.

Thurzó György a wittenbergi egyetemnek
Biccse, 1616. január 12.

Makedóniai Fülöp fia nevelését Arisztotelészre, a legnagyobb filozófusra bízta. Ezt a példát sajnos csak kevesen követik. Ezek között van Ostrosith István is, aki testvérét Ostrosith Jánost Thurzó tanácsára a wittenbergi egyetemre küldi. Kéri, fogadják szívesen.

Magnifice, Reuerendissimi, Excellentissimi ac Clarissimi dominj, Amici nobis singulariter colendi. Salutem cum officiorum nostrorum et beneuolentiarum oblationibus offeram[?].

Philippus ille Macedonus ex Graecorum Regibus ingenij dexteritate et dictorum vrbanitate amplissimus et laudatissimus Princeps nato filio suo, Alexandro Magno non tam pro aedita prole Imperij sui successore, quam quod tempore Aristotelis Philosophorum maximi, cui postea eundem filium suum erudiendum tradiderat: natus fuerit, Dijs summas egisse scribitur gratias, Cogitabat haud dubie optimus Pater, quantopere literae viris caluum praesertim Reipublicae olim gubernaturis sint necessariae.

Exemplum hoc etsi hac nostra tempestate non omnes sequantur, vt quibus Mercurius soepius magisue, quam Pallas arridere soleat, sunt tamen nonnullj etiam, qui ad iustam rationis trutinam Negocium hoc reuocare, Exemplumque imitarj studeant: Atque utinam Plures Zelo tali accenderentur dum iam per gratiam DEI, non vnum Aristotelam Ethnicum Ethnicis: Verum plures et quidem Orthodoxos Christianos Philosophos Christianis passim inuenire, Seculumque hoc a crassa barbarie uindicare liceret!

Praemisso nuper in Inclytam Academiam istam Vitebergensem filio nostro dilectissimo, Illustri ac Magnifico Comite Emerico Thurzo de Betthlemffalua, Libero ac haereditario Comite de Arwa eiusdemque Comitatus Aruensis Supremo ac perpetuo Comite etc.: Et hunc Magnificum Juuenem dominum Joannem Osztrositth, Magnifici olim ac tam Arte, quam Marte, vt verbis duobus complectamur cluentis dominj Andreae Osztrositth de Gyletincz et Illawa, Sacrae Coesareae Regiaeque Maiestatis Tabulae Judiciariae Baronis filium, Nostrumque uero ex Sorore uterina nepotem, Studiorum prosequendorum et feliciter continuandorum gratia, ipso Juuene id apprime desiderante et vrgente in eandem Academiam Vitebergensem Magnificus similiter dominus Stephanus Osztrositth etc., Frater eiusdem Patruelis et Tutor naturalis, nostro suasu et assensu emittere non detrectauit, prout et emisit.

Cum itaque, ut qui antea quoque in Liberalibus Artibus laudabiles fecit profectus: Magnificentissima, Excellentissimae atque Clarissimae dominationes Vestrae, ut in Alumnum et membrum praedictae Academiae suae humaniter adsiscere, ipsumque omni beneuolentia et fauore prosequi velint, summo exoramus studio. Sic ut Idem charis alias Parentibus orbus, ad nos dante DEO redux, Deo primum, tum Almae isti Academiae cindignas agere et referre gratias, Patriaeque suae decori et emulomento esse queat.

In tum quicquid Eadem dominationes Vestrae contulerint operae et beneuolentiae, non ingratum ipsum futurum pollicemur, quin nostra etiam, ut erga Magnificam, Reuerendissimas, Excellentissimas atque Clarissimas dominationes Vestras, quouis loco et tempore constent officia amicitiaeque paratae argumenta, omnem adhibebimus diligentiam. De coetero nos et studia nostra ijsdem deferentes optime viuere et valere in annos quam plurimos percupimus.
Datum in Arce nostra Byttche, die 12. mensis Januarii Anno 1616.

Earundem Dominationum Vestrarum Amicus addictissimus
Comes Georgius Thurzo manu propria.

Comes Georgius Thurzo de Betthlemffalwa, Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, nec non de Arua perpetuus eiusdemque Comitatus Supremus ac perpetuus Comes, Sacrae Coesareae Regiaeque Maiestatis Intimus Consiliarius et per Hungariam Locumtenens.

Címzés: Magnifico, Reuerendissimis, Clarissimis atque Excellentissimis dominis N. et N. Rectori, Magistris, Doctoribus Inclutae Academiae Witebergensis celeberrimis etc. Dominis et Amicis nobis singulariter colendissimis. Vitebergam.

Idegen kézzel: praesens 13. Februarii 1616.

UAH Rep. 1 Nr. 123/179. Az aláírás autográf.

117.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. január 20.

Nagy szomorúságot okoz neki, hogy apja már több mint két hete szenved a köszvénytől. Fájdalmát tetézi a herceg és az egyetem fénysugarát jelentő Adam Theodor Siber halála. Január 12-én szerencsésen megérkezett Lipcsébe és 17-én visszatért Wittenbergbe. Lipcsében az ottani egyetem küldöttei fogadták és köszöntötték. Nagyon szépek a templomok, a kollégiumok és a könyvtárak. A várat csak keveseknek nyitják ki, ám neki a választófejedelem és a várkapitány közbenjárására kinyitották. Említésre méltónak tartja azt a lányt, aki teljesen nyomorék, de szellemileg igen tehetséges, több nyelven beszél, lábával ír és énekelni is tud. Részletesen az "A" jelzetű cédula tartalmazza. Meglátogatta még a Zurbocchy házat. Az aenigmák közül egyet "B" jelzés alatt elküldött apjának, ez a neuburgi hercegről szól, aki elhagyta vallását.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime. Salutem prosperam et diutinam Illustrissimae Vestrae Dominationi voveo, servitiorumque meorum filialium commendationem submississime defero consecroque.
Quantum dolorem ex perlectis Illustrissimae Vestrae Dominationis literis ferijs ipsis Johanneis datis perceperim, scriberem, si ulla scribendi forma illud comprehendere possem. Quid enim mihi acerbius accidere potuisset, quam cum Genitorem carissimum duas jam haebdomadas et forte etiam ulterius affixum lecto, podagraque cum chiragra conjuncta laborasse intellexi? Quid inquam molestius?

Praesertim cum ita longe sim remotus ab Illustrissima Vestra Dominatione, ut vel una itineris longiquitas dolorem duplicare et refricare videtur. Utinam vel unius quadrantis horae spatio praesens adesse, et vel Illustrissimae Vestrae Dominationi dolorem levare, vel meum praesentia mea testatum facere possem. Videret profecto Illustrissima Vestra Dominatio non secus ac ferrum alias durissimum metallum, igne mollius redditur, ita meum cor, licet affectibus mollibus alias minime obnoxium, rivos lacrimarum profundere. Augetur hoc malum domesticum ex obitu Serenissimi Ducis Augusti, Domini mei clementissimi atque luminis illius Academiae Nostrae, Adami Theodori Siberi inopinato occasu. Sed quid fatis repugnandum? Dominus eos nobis dederat, Dominus adse recepit, fiat voluntas Ejus1. Interim ingemiscendum: Humanum enim est humanis casibus ingemiscere. Confido in Domino, Is petra est firmissima, fortissima autem arx rupi inedificata. Firmissime itaque credo fore, ut Illustrissimam Vestram Dominationem priori sanitati restitutam Divina ejus Majestas mihi salvam atque incolumem sit conservatura. Loco autem Ducis Augusti, Patronum alium Academiae nostrae substitutura. Et Sibero olim meo, jam in Domino demortuo, si non similem statim (erat enim Orator, Cui toto hoc orbe nullus comparandus), tamen aemulum Virum, magnae spei Successorem datura. Quem Illustrissimae Vestrae Dominationi hac ipsa occasione declararem, nisi in dubio adhuc aliquo res versaretur. Ea vero nota jam depingo, quod sit Illustrissimae Vestrae Dominationi adictissimus, utpote Patrono benefactorique suo maximo. Sed ne diutius in tristioribus istis haeream, ad eam partem transibo, qua de mearum hic rerum statu Illustrissimam Vestram Dominationem certiorem reddam.

Exoticarum enim et scriptores et nuntios Vestram Illustrissimam Dominationem habere cum sciam, inaniter tempus collocarem, si eandem supervacanee repeterem. De meis itaque rebus breviter haec perscribenda duxi, Me nimirum et 12. Januarij Lipsiam foeliciter appulisse, et 17. cum bono DEO salvum atque incolumem huc Wittebergam redijsse. Lipsiae per certos delegatos Vniversitatis ejus loci salutatus sum. Loca digna visu perlustravi, utpote Templa, Collegia et Bibliothecas. Arcem etiam alias paucis patulam, verum mihi ex gratia Electoris Serenissimi, ejusque loci Capitanei humanitate aperta fuit. Inter caetera autem, admodum memorabile monstrum Lipsiae Sexus foeminini[!] conspexi Fuit Puella 19 annorum, cui natura ambas manus, unumque pedem negavit, et in alieno pede quatuor tantum digitos dedit. Ingenio tanto pollet, ut Gallice, Italice, Germanice et Scite loqui, et scribere, canereque possit. Pede unico et in reserandis arcis et in administratione potus utebatur, in loquendo brevis, sed nervosa, ita ut nihil ei, ad summum ingenium deesse videretur: Cujus Monstri plenariam descriptionem Schedula sub littera A significabit. Visitavi quoque Domum Zurbocchij omnigenis mercibus plenissimam, varijs inventionibus superbam, quae cum intuerer, incidi in Aenigmata quaedam, ex quibus unum Illustrissimae Vestrae Dominationi transmitto, sub littera B. Haud gravatim Vestra Illustrissima Dominatio illud percurrere dignetur. Agit de Apostata illo Principe Neuburg, nec sine ingenio demonstrat hodiernum statum. Plura scriberem nisi mihi et tempus et materia deficeret, finem itaque facio. Meque Illustrissimae Vestrae Dominationi etiam atque etiam commendo, sanitatisque pristinae restitutionem Illustrissimae Vestrae Do-

minationi a DEO OPTIMO MAXIMO voveo.
Datae Wittebergae, 20. Januarij Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obedientissimus

Comes Emericus Thurzo
pro tempore Rector
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa, Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacrissimae Caesareae ac Regiae Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 18. Februarij 1616.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 12. Autográf.

118.

Eliáš Láni Thurzó Imrének
Biccse, 1616. január 21.

Gratulál Imre beszédeihez. Már útközben végigolvasta őket. A szülők egészségi állapota jó. Balassa Zsigmond az erdélyi fejedelemségre tört, de elfogták és Újvárra, majd Pozsonyba szállították. Erről fiának többet írt. Ha valami újság lesz, megírja. Amprustert üdvözli.

Salutem et felicitatem.

Illustris et Magnifice domine Comes, domine mihi observandissime, orationes Illustris Magnificentiae Vestrae in privato Collegio oratorio habitas, et ad legendum mihi ab Illustrissimo domino datas in ipso itinere Visitationis meae magna cum voluptate perlegi, et alijs per occasionem legendas dedi. Veritatem testor, foetum ingenij tam rerum pulcherrimarum praestantia, quam styli elegantia dignum osculis et amplexibus cordatorum, nisi me mea κρουσις fallit. Perge, Comes Illustrissime, talibus scriptis famae et immortalitati nomen tuum consecrare, et jam nunc a complexu patriae dulcissimae absens inclarescere. Si flos Illustris Magnificentiae Vestrae studiorum ita blandum spirat, quid ab ipso fructu expectabimus?

Quantum ad valetudinem Illustrissimorum dominorum parentum, ea pro tempore optata vehitur aura. Faxit deus, vt semper fruatur optatissima.

Sigmundus Balassa dum ad Vaywodatum Transsylvaniae contendit, proditus per quosdam, primum jussu Caesareae Majestatis in arce Kekkö per Tieffenbachium et confiniarios quoque plurimos alios obsidetur, mox blandis percussiunculis Bossnaky, Kohary et aliorum semetipsum dedens abducitur in curru Uyvarinum, et inde Posonium captivus.

Eventum cum stupore omnes Hungari expectant, qua de re pluribus scripsi ad filium Isaacum.

Quod superest, clarissimum dominum Magnificum vna cum domino Armbrustero salvere jubeo, et cum his Vestram quam Illustrem Magnificentiam Deo commendans feliciter valere opto.
Datum Bitschae, 21. Januarij Anno 1616.

Illustrem Magnificentiam Vestram reverenter colens

Elias Lany

Címzés: Illustri et Magnifico Domino, domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti de Arwa ac ejusdem Comitatus Arvensis libero, haereditario, supremoque Comiti, pro tempore Rectori Academiae Vitebergensis magnificentissimo: domino mihi semper observando.

Árva, IV-L/3. fasc. Nro. 154. Autográf.

119.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. február 6.

Apjától már egy hónapja nem kapott levelet, holott ő már hetet írt. Az elsőt december 5-én. Hamburgi utazásával kapcsolatban kétségei vannak, nem utazhat apja beleegyezése nélkül. Bizonytalanságát fokozza, hogy apja állapotáról és az otthoni ügyekről semmit nem tud. Kéri, döntsön a hamburgi úttal kapcsolatban. Február 16-án ünnepélyes szertartással emlékeznek meg az elhunyt hercegről. Tisztségénél fogva neki is gyászruhát kell öltenie. Minthogy Wittenbergben nincsenek olyan mesterek, akik magyar ruhát tudnának készíteni, hálóruhájának felsőrészét feketére festi, Armprustertől pedig kölcsönvesz egy nadrágot, így lesz teljes az öltözéke.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime. Salutem foelicem atque prosperam Illustrissimae Vestrae Dominationi voveo, meaque officiola humillima submisissimaque defero.

Si unquam de statu Illustrissimae Vestrae Dominationis eram anxius solicitusque, certe nunc sum vel maxime. Non enim satis mirari, imo ne demirari quidem possum, quaenam sit causa, quod jam ab integro fere mense nullas mihi accipere Illustrissimae Vestrae Dominationis litteras licuit, cum tamen ego septenas exaraverim, ad quarum nullas responsum hactenus accepi, et primas quidem quinta Decembris in quibus oraveram Illustrissimam Vestram Dominationem, ut me de Hamburgam versus profectione Paterne informare haud gravatim velit. De eadem materia sub finem Octobris praeteriti quoque Anni ad Illustrissimam Vestram Dominationem scripseram, ad quam quidem epistolam resolutionem habeo, quae nihil tamen de peregrinatione illa agit. Unde motus quinta Decembris, quoque humillime oratam volui Illustrissimam Vestram Dominationem, ut mihi animum suum jamtandem[!] hac in parte aperire velit, nec ita tamen hactenus certi quid percipere potui, etsi jam Duo Menses evoluti sunt, ex quo eas Illustrissimae Vestrae Dominationi transmisi. Quid itaque jam agam, plane dubius, et inter sacrum et sozum hereo. Ver enim jam apropinquat, quod si discederem

sine explorato prius consensu Illustrissimae Vestrae Dominationis (quod tamen absit) merito inobedientiae notam incurrerem. Sin vero sine visitatione eorum locorum rediero. Occasionem jam capillatam inposterum imo in perpetuum calvam habiturus sum. Ignoratione voluntatis Domesticorum nihil peregrinanti acerbius accidere potest, cumprimis autem ei, cui non absoluta potestas peregrinandi in diversa quoque loca data est. Ut autem acerbum in hac incertitudine versari, ita longe gravius, nihil de statu domesticorum, cumprimis autem carissimorum Parentum percipere. Cancrorum tergis, non cursorum manibus omnino traditas esse meas Epistolas existimo. Inpossibile enim mihi videtur tantillum iter, tam longo temporis spatio non posse aliquem emetiri. Sed quid cum istis tardigradis faciam? Nolens volens responsum est mihi expectandum, et Illustrissimae Vestrae Dominationis animus explorandus. Ne autem Illustrissimam Vestram Dominationem aeque, ut illi cursores me, incertum de statu meo plus justo diutius detineam, prioribus septem has octavas adjundendas duxi. Etiam atque etiam per storgas illas naturales Genitoribus inditas Vestram Illustrissimam Dominationem, Genitorem Patremque carissimum orans atque obtestans, ut me crebrioribus litteris de statu suo beare dignetur. Et jamtandem aliquando de itinere illo Hamburgam versus aut continuando (Praesertim cum PAX etiam inter Principem et Brunsuicenses per ablegatum Imperatoriae Majestatis conclusa sit), aut intermittendo clementer sese resolvere velit.

Quantum meum statum <statum> attinet, is adhuc ex Divinae Majestatis protectione in priori bonae sanitatis constitutione immobilis perstitit, quod et inposterum Divina munitus gratia, de ea mihi polliceor. Faxit DEVS TER OPTIMUS MAXIMUS, liceat mihi quoque, ut de Illustrissima Vestra Dominatione ita carissima quoque Magnifica Domina Matre brevi cuncta foelicia prospera atque optatissima percipere.

Studiorum meorum cursum et ordinem priores meae penultima Januarij exaratae abunde explicabunt. Nova hic quidem pro tempore nulla, praeterquam 16. praesentis mensis habituros nos esse ex mandato Electoris Serenissimi Actum solennem et quidem Exequialem Serenissimo Duci Augusto, quem utinam superstitem habere potuissemus. Qua de causa ego etiam, cui vel ex officio lugendum, comparavi mihi habitum lugubrem, et quoniam hic artifices tales non habentur, qui vestitum Hungaricum elaborare scient, vestem quidem superiorem, qua noctu utebar, colorandam dedi, inferiorem vero a Domino Armprustero accepi, et sic, non ut quidem vellem, sed sicut possum Lugubrem hunc habitum instituendum duxi.

Datae Wittebergae, 6. Februarij Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obsequentissimus

Comes Emericus Thurzo
pro tempore Rector
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa, Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo. Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacrae Caesareae ac Regiae Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 6. Martij 1616.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 16. Autográf.

120.

Franz Armpruster Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. február 8.

Illustrissime Comes, Regni Hungariae Palatine, Domine Domine mihi gratiosissime. Humilium ac fidelium servitiorum meorum in gratiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae demissam subjectionem.

Az Nagysaghod ez elmult Januárius hauának tizen negyedik napian Bychen keölt kegyelmes Leueleth mynden reuerentiáual ueuen, alázatossan meghertettem, az Nagy Istennek szyubwll hálakath aduán hogy Nagysághodat betteghes állapattiátull megh szabadithuan, twrhetheö eghesseghnek restituálta Nagysaghodat, es mynth hogy az Vrffy eö Nagysaghais ioo egheseghben erzy maghat, eö Zenth Feölseghenek, hogy Nagysaghtokat sok esztendeigh abban megh tarcha buzgho szyel keönyeörgheök. Hogy Nagysaghodat az Vrffy eö Nagysagha az Haumburgh Warassanak es annak tartomanniának megh látásároll olly ideö eleöt ualo keönyeörghesegheuel molestalta, eö Nagysaghanak nem tanáchlottam, seöt nemis assentialtam, es igy ennekem semmy uethkem, myuel hogy eö Nagysaghanak ugy teczeth, az Nagysaghod kegyelmes resolutioiat ideien megherteny mynth hogy gyakarta teörtenikis hogy Leuelek uesznek, eö Nagysagha anniy wdeöth praeponalny igyekezeth, hogy ha az az Leuele ell teueztetet uolnais, uolt uolna mogya massodzoris Nagysaghodat irássáual ez dologhroll megh találny. En kedigh tuduan melly periculosum, melly nehez, melly feleö, menniy ghond, menniy farathságh, es Nyughhatalanságh illyen nagy Vrffyual peregrinalny, Nagysaghod kegyelmessen megh itilhethy az eö Nagysagha keönyeörghessenek en lehetekke authora uagy nem ? Holot az Vr Istennek untalan, hogy Nagysaghtoknak eö Nagysaghat eghesseghessen, tudossan es szerenchessen megh uiuen, illyen sullyos es nagy ghondtull megh szabadulhassak, essedezue keönyeörgheök. Egyeb dolghokrull mynt hogy Nagysaghodnak ennek eleötte beösseghessen irtam, most kedigh egyeb materia, mellyroll Nagysaghodat keöllenek informalnom, nynchen, Nagysaghodat az Myndenhatho Isten kegyelmes oltalmaba alazatossan ayanlom.
Datur Wittebergae 8. Februarii Anno MDCXVI.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humilis ac fidelis seruitor

Franciscus Armpruster
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa, Comiti perpetuo de Arwa eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti, etc. Domino Domino gratiosissimo. Bycham.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 6. Martij 1616.
Árva, II-A/ 21. fasc. Nro. 17. Autográf.

121.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. február 8.

Jelen levél keltének napján kapta meg apjának január14-én kelt levelét. Az írás vidám hangjából arra következtet, hogy apja egészsége rendben van. Elfogadja apja három ellenvetését a hamburgi útról és Wittenbergben marad. Útja egyébként nem akadályozná a rektori tisztség ellátásában, hiszen a prorektor helyettesíthetné. Hivatala egyébként inkább kitüntetés, a munka mindig a prorektornak jut. Nem illő a fiúnak apja döntésével szembeszállnia, s többé nem fogja ezzel zaklatni. Reméli, hogy február 6-i levelét apja megkapta.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime, Salutem Illustrissimae Vestrae Dominationi prosperam diutinamque precatus, me etiam atque etiam Illustrissimae Vestrae Dominationi commendatum esse percupio.

Litteras Illustrissimae Vestrae Dominationis 14. Januarij exaratas, responsorias scilicet ad meas 12. Decembris datas, hodie demum accepi. Quae tum ob raritatem erant perjucundae, tum ob faelix nuncium valetudinis Illustrissimae Vestrae Dominationis exhilarationis plenissimae. Ex ijs autem inter alia intellexi resolutionem Illustrissimae Vestrae Dominationis super itinere meo Hamburgam versus instituendo, cui Illustrissimae Vestrae Dominationi tum quidem non penitus assensisse tres praecipue ob causas videtur. Quas ego suo in loco relinquo, nec impugnare pergo. Non enim me filium rationes Parentis impugnare deceret. Etsi sciam eas tum saltem et jam pridem valuisse. Nunc enim et PAX conclusa, et terminus propositus prima nimirum Aprilis pene prae foribus est. Donec enim litterae deferentur, responsioque referetur, minimum septem septimanae evolventur. Neque impediri possem per officium Rectoratus, non enim duae aut ad summum tres septimanae seculum constituerent. Pro-Rectorque (ut modo etiam fit) vices meas tum quoque absentis subportare teneretur. Ut adeo nihil officio meo hac in parte derogaretur. Rectoratus enim Magnificus honoris non oneris est. Posterius enim illud Pro-Rectori incumbit. Ego tamen Illustrissimae Vestrae Dominationi totum hoc potius negotium committam, nec amplius de eo itinere continuando Illustrissimam Vestram Dominationem molestare pergam. Ad mutandam sententiam sufficientes spero litteras meas 6. Februarij exaratas, in quibus ut de hoc, ita alijs quoque negotijs abunde Illustrissimam Vestram Dominationem informavi (si modo non illae quoque, ut quae 5. Decembris exaratae sunt interciderunt, ita enim omnino existimo, cum nullum hactenus ad eas acceperim responsum). Nunc quia nihil novi habeo, quid aliud, quam quod valeam,

scribam, nescio. Hic itaque finem facio, Vestramque Illustrissimam Dominationem una cum suis protectioni Divinae commendo.
Datae Wittebergae, 8. Februarij Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obsequentissimus
Comes Emericus Thurzo
pro tempore Rector
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa, Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacratissimae Caesareae ac Regiae Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. etc. Domino Patri mihi Summo filialis observantiae studio colendissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 6. Martij 1616.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 18. Autográf.

122.

Christoph Preibisius Thurzó Imrének
Lipcse, 1616. február 10.

Szolgálatait ajánlja. Boldog, hogy Thurzó jóindulattal viseltetik iránta. A régi naptár szerint március 14-én a lipcsei jogi fakultás doktorává avatják. Kéri Thurzót, az ünnepélyes beiktatáson képviseltesse magát.

Salutem.

Non possum non, Illustris ac Generosissime Comes, Rector Magnificentissime, Domine perqvam clemens, summa cum voluptate indies meminisse singularis humanitatis et favoris, qvem vestra Illustris Generositas, dum Johannis Schwendenderferi civis ac Mercatoris Lipsiensis spectati nomine vestrae Illustri Generositati servitia offerrem, promta et parata erga me clementer declaravit.

Cum enim in id solum hactenus incubuerim, qvo probis et doctis mediocris conditionis viris mea studia probare possem, incredibili me perfusum laetitia ingenue profiteor, dum vestrae Illustris Generositatis favore me uberrime afflatum sensi. Sic humanitas illa plane singularis Vestra Illustri Generositate dignissima me audaciorem fecit, qvoad illam hasce persciberem literas. Cum ad diem 14. Martij veteri Stylo amplissima facultas Juridica Lipsiensis mihi una cum alijs quatuor Competitoribus insignia in utroque jure Doctoralia divina favente gratia solenniter collatura sit, Vestram Illustrem Generositatem ad actum illum solennem, ea qva par est ac decet animi subjectione, invitare volui ac debui etiam atque etiam petens, qvo Vestra Illustris Generositas eundem cum comitatu suo Nobilissimo et doctissimo illustriorem et celebriorem reddere, vel si Vestra Illustris Generositas ob negotia publica fuerit impedita, alium, qvi loco ipsius intersit, actui solenni clementer ablegare dignetur. Nec ipse tantum summo me a Vestra Illustri Generositate affectum beneficio censebo, sed etiam Academiae nost-

rae proceribus Illustris vestrae Generositatis humanitas et benevolentia singularis ea in re perqvam clementer declarata futura est gratissima. Vestram Illustrem Generositatem, qvae uti jam cum summa omnium civium Academicorum gratulatione imperium administrat scholasticum, Sic Ungariae regno, cui inprimis Vestra Illustris Generositas nata est, eandem plurimum consilijs et auxilijs profuturam certissimum cum officiorum et servitiorum meorum oblatione promtissima divinae protectioni commendo.
Lipsiae, 10. Februarij Anno 1616.

Vestrae Illustris Generositatis subjectissimus

Christophorus Preibisius
Juris Utrique Licentiatus
Philosophiae Practicae professor publicus

Címzés: Illustri et Generosissimo Domino, Domino Emerico Thurzo, Comiti de Bethlemfalva, Libero ac hereditario Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti et Inclytae Academiae Witebergensis Rectori Magnificentissimo, Domino suo perqvam Clementi.
Árva, IV-P/ 5. fasc. Nro. 22. Autográf.

123.

János György szász választófejedelem a wittenbergi egyetemnek
Drezda, 1616. február 14.

A választó az egyetem jóindulatába ajánlja Ostrosith Jánost, akit Thurzó György és Ostrosith István protezsált be nála. Elrendeli, hogy az idegen országokból jövők ruházatát nem szabad kigúnyolni.

Von Gottes gnaden Johann Georg, Hertzog zu Sachssen, Gulich, Cleve vnd Bergk, Churfurst etc.

Wurdige vnd Hochgelerte, lieben Andechtige vnd getreue, wier mögen Euch nicht bergen, dass vnss der wolgeborne vnser lieber besonder, Herr Georg Thurzo von Betlemfalua, Graff von Arwa, vnd dess Königreichss Hungern Palatinus etc. in schrifften zuerkennen geben, welcher gestalt er vnd neben Ime Herr Steffan Ostrosith von Geletinz etc. Ihren Freundt vnd Vettern, Johan Ostrosith vff vnser Vniversitet Wittembergk, alda seine Studia zu continuiren, geschickt vnd vnss denselben zum besten recommendirt. Wann wir dann hierdurch vnserer Vniversitet vfnehmen gerne verstehen, so begeren wir gnedigst, Ihr wollet Euch gegen Ihme Ostrosith vnd andern frembden anwesenden Herrn aller gebuer erzeigen, sie in gebuerende acht nehmen, auch der studierenden Jugent ernstlich verbieten, dass sie dergleichen ausslendische Herrn vndt ihre Diener, wenn sie nicht deutsche, sondern ihrer Landessart nach Kleider tragen, nicht verhönen oder ausslachen, sondern ihnen allen

freundtlichen willen erzeigen, möchten wir Euch zur nachrichtung nicht bergen, vnd ihr volnbringet hieran vnsere meinung, so seind wier nun auch mit gnaden geneigt.
Datum Dressden, den 14. Februarij Anno 1616.

Johanss George Churfurst

Címzés: Den wurdigen vnd hochgelarten, vnsern lieben Andechtigen vnd getreuen Prorectorn, Magistern vnd Doctorn, vnserer Vniversitet zu Wittembergk etc.
Praescriptum: 19. Februarij 1616. hora 5. pomeridiana

Idegen kézzel: Az egyetem jegyzője igazolja, hogy a fejedelem levelének fenti másolata Thurzó Imrének a választó előtti reklamációjára adott válasz.

Dass diese vorhergehende Copey, eines Churschsischen, an die Vniversitet alhier ergangenen gnedigsten bevhelichs, mit dem Rechten bes<...> originali, welches dem hoch- vnndt wohlgebornen Graffen, Herrn Emerico Thurzo, Graffen zu Bettlemfalua etc. dieser Vniversitet Rectori Magnifico, auf sein gnedigstes angesinnen aussgeantworttet worden <...>nes Lauts vndt inhalts sey, Thu<...> Franciscus Hessus wohlermelter Vniversitet geschworner Notarius, mit dieser meiner eigenen Handt- vnndt Vnterschriefft bezeugen vnndt bekennen.
Vid<...> vnndt aufcultirt in Consistorio zu Wittembergk den 28 Februarii Anno Domini 1616.

Franciscus Hessus Torg., Notarius Publicus Caesareus in fidem praecedentium
UAH Rep. 1 Nr. 123/... . Másolat.

124.

Eliáš Láni Thurzó Imrének
Biccse, 1616. február 14.

A Thurzó szülők jól vannak, de Erdődyné és Imre hajadon lánytestvérei már napok óta betegeskednek. A morbus phreneticus, amit népiesen hagymáznak neveznek, támadta meg őket. A ragályban egyedül Haray Zsuzsanna halt meg, a többiek hamarosan felépülnek. Fia, Izák szintén betegeskedik. Thurzó Szaniszló földjét, amely Vízkelethynénél volt zálogban, 5000 forintért visszavásárolták Jakusith úr számára. Az országban béke van. Ali pasával ismét tárgyaltak a 60 falu átadásáról. Kendi István és egy lengyel úr leveleiből az derült ki, hogy Homonnai úr a lengyeleket akarta mozgósítani Erdély elfoglalására. Balassa Zsigmond még Újváron van fogságban. Az alispán most Dávid János úr. Egy szerzetes, Dióssy András, aki a jezsuitáknál nevelkedett, áttért az evangélikus hitre.

Illustris et Magnifice domine Comes, Domine mihi observandissime, salutem et gratiam dei optimi maximi Illustri Magnificentiae Vestrae precatus, studia et officia mea defero.

Si Vestra Illustris Magnificentia adhuc valet, est quod gratuler, equidem valeo Dei benignitate, Valent et Illustrissimi domini Parentes. At domina Erdödiana et sorores Virgunculae praeteritis diebus omnes lectulis erant affixae. Totum etiam gynecaeum (quod ex concursu dominarum Oztrosithianae, Erdödianae, Illeshazianae, Pongracianae nimis auctum et condensatum erat) morbo phrenetico infectum fuit, qui vulgo Hagimaz dicitur. Tamen gratia dei termaximi factum, vt Illustrissimi domini Parentes ab hoc contagio hucvsque servarentur, nimirum ne deessent, qui tot aegrorum curam agerent. Ejusdem gratiae deputandum est, quod vnica et sola filia quondam Nicolai Haray, Susanna defuncta omnes reliquae convalescunt, viresque recipiunt.

Quantum ad Isaacum meum, scirrhum quidem ipsius vtcunque curasse videmus, at quartana eum nondum dereliquit, nisi quod mitior aliquantum facta est. Pagum domini Stanislai Thurzo pertinentem ad Temethwim Morawanj, qui hucvsque titulo pignoris a domina Vizkelethiana tenebatur, redemit nunc Illustrissimus quinque millibus talerorum pro Magnifico domino Jakusith.

Quod vero publicum Regni statum attinet, is vtcunque tranquillus est. Cum Ali Bassa denuo tractatur, ne deditionem 60 pagorum vrgeat, animos etiam Hungarorum vehementer ea re commoveri. Vaywoda Transsylvaniae hisce diebus per legatum conquestus est, quod dominus Hommonay opem Polonorum solicitet ad occupandam Transsylvaniam. Quod ipsum etiam probavit ex interceptis Stephani Kendy et cujusdam domini Polonici literis super ea re ad Cancellarium Poloniae exaratis. Sed triduo post scripsit dominus Hommonay literas, quibus se mirifice excusat nihil tale a se tentati, et permittit Comitatibus, si quas copias coeperit colligere, vt armata manu adversus eas insurgant et deleant. etc.

Dominus Sigmundus Balassa adhuc Uywarini detinetur. Vicecomitem habemus dominum Johannem David, virum sane optimum. Conventualis quidam est Sancto Benedicto religionem nostram amplexus, nominare Andreas Diossij, a puero inter Jesuitas educatus homo doctus et disertus, Hungarus pariter et Sclavus, ad diem 26. Februarij palinodiam errorum cantabit, et Confessionem suam in multorum peregre advocatorum praesentia publice ex cathedra edet. Quid de Ecclesijs Marchicis fiat, perlubens scire cuperem. In reliquo Illustrem Magnificentiam Vestram feliciter valere opto.
Bitschae, 14. Februarij Anno 1616.

Illustri Magnificentiae Vestrae reverenter observans

Elias Lany

Címzés: Illustri et Magnifico Domino, Domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlemfalwa, Comiti de Arva ac ejusdem Comitatus Arvensis perpetuo, libero, haereditarioque Comiti: pro tempore inclytae Academiae Vitebergensis Rectori magnificentissimo: domino mihi observandissimo.

Árva, IV-L/ 1. fasc. Nro. 155. Autográf.

125.

Jeremias Spiegel Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. február 14.

Három levél érkezett Thurzótól az elmúlt napokban. Örül a nádor gyógyulásának. Az elfogott photinianust itt senki sem sajnálja és mindenki a máglyán akarja látni. A teológusok ugyanakkor kérik, hogy a tévtanokat tartalmazó könyveit és iratait küldje meg nekik. Ostrosith János megérkezett, Spiegelnek gondja lesz rá. Thurzó Imre is jól van.

ILLUSTRISSIME domine Comes ac Palatine, domine mihi clementissime, Salutem ac felicitatem perpetuam Illustrissimae Vestrae Celsitudini precatus, Eidem humilima mea servitia subjectissime defero.

Ternas hisce diebus ab Illustrissima Vestra Celsitudine litteras clementissime scriptas accepi, eaque, quae par est, humili reverentia pellegi. Ut vero jucundissima intellectu fuerunt, quae de prospera Illustrissimae Vestrae Celsitudinis valetudine relata sunt, ita acerbissima contra fuerunt, quae de morbo epidemico Illustrissimas etiam Dominas Filias adorto accepimus. Dominus Jesus secunda perpetuet, adversa tollat aut mitiget!

Cum Photiniano capto nemo hic est, qui condoleat, neque quisquam, qui flammam invideat. Ipsius exuvias, libros inquam, admodum desiderant Theologi nostri, orantque maximopere, ut Illustrissima Vestra Celsitudo vel damnatis istis chartis beare sese velit, et clementer donare.

Magnificus dominus Johannes Ostrosith salvus huc appulit, Habeturque tum Academiae Universae, tum mihi quoque qvam commendatissimus. Studia eius mihi curae sunt, et eo quidem faciliori, quod fore confidam, ut posthac ex professo et publice tractanda mihi sint oratoria, eaque doctrina quam ille potissimum sectatur.

Caeterum Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Filius magnificus valet DEO sic largiente ex animi sententia, studiaque tractat pro Vestrae Celsitudinis Illust-rissimae expectatione. DEUS Optimus Maximus eum cum Illustrissima Vestra Celsitudine Illustrissimaque domina Conjuge atque adeo universa familia Illustrissima in constanti perpetuaque valetudine servet, Illustrissimas vero dominas Virgines pristinae sanitati clementer restituat!

Wittebergae, die 14. Februarij Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Humilimus Servitor
Magister Jeremias Spiegelius

Címzés: Illustrissimo Comiti ac domino, domino GEORGIO Thurzo de Bettlemffalwa, Regni Hungariae PALATINO et Cumanorum Judici, nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus Supremo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis intimo Consiliario, et per Hungariam Locum tenenti etc. Domino domino suo clementissimo.

Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 20. Martij 1616.

OL E 196. 24. cs. 2. fasc. Nro. 111. Autográf.

126.

Franz Armpruster Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. február 19.

Illustrissime Comes, Regni Hungariae Palatine Domine, Domine gratiosissime. Humilium ac fidelium seruitiorum meorum in gratiam Illustrissimae Celsitudini Vestrae demissam subjectionem.

Nagysaghodath kegyelmes Vramoth álapatunk feleöll hogy ismegh bizoniossetsam, mynd az Nagysaghod kegyelmes parancholiattia, mynd az en hyuatalom keuánnia.

Az Vrffy eö Nagysagha es maghunk eghésséghét my nezy legyen áldot az Vrnak Zenth Neue amyat semmy fogyathkozasunk, eö Zenth Feölseghenek aytatossan keönyeöreöghuen Nagysaghtok feleöllis illyen ioo hirth ertthesswnk kyualtkeppen myuelhogy az már eleöttwnk leueö Martius szokasa szerinth az embereketh eghesseghekben haborgattia es turballia.

Az már boldogh emlekezeteö Augustus Herczegh themetese ez elmult Kedden Freuburg neueö Wárasban az houa az Saxonyay Elektorok es Feyedelmek themetkeznek, nagy Pompaual, sok sirással kesserwsegghell celebraltatot. Jtth Witteberghabanis az Jambor Feyedelem beöchwletes emlekezetyre az megh irth napon az Academia, sok Diáksagh es az Thánachis az Waar Zenth egyhazban eozzue gywlekezuen, Doctor Hutterus Vram peroralt, Onnan az Wááras Zenth egyházába menuen Doctor Balduinus Vram praedikaloth, es igy mynden ember az Joo Feyedelem olly wdeötlen halálan szánakozik, az Nagy Istenhez fohazkoduan hogy az keserues Annyath, eözuegyeth, Battyath es teöb attyafyayt sok eztendeigh eghesseghessen megh tartuan, ez nagy Banathban wighaztallya eö Feölsegheketh. Istennek hatalmas oltalmaban Nagysaghodath alazatossan ayanlom.

Datur Wittebergae, 19. Februarii Anno MDCXVI.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Humilis ac fidelis seruitor

Franciscus Armpruster
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. etc.Domino Domino meo gratiosissimo. Bycham.

Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 16. Martij 1616.

OL E 196. 23. cs. 1. fasc. Nro. 648. Autográf.

127.

Johann Christoph von Khuenburg Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. február 19.

Olyan sok jót tett vele Thurzó, hogy aligha győzné mindezeket felsorolni. Szeretné viszonozni, de nem képes erre. Hálája jeléül elküldi disputációját.

Illustrissime Comes, Regni Hungariae Palatine, Domine Domine Clementissime. Humilimorum servitiorum meorum in gratiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae demissam subiectionem.

Quanta sint Illustrissimae Celsitudinis Vestrae in me indignum beneficia, vix recensendo sum, nedum exornando. Tanta enim sunt, ut non orationem Solum meam, sed pene rationem et considerationem superent.

Quo vero ampliora ea, quo maiora invenio, eo maiorem etiam postulare et requirere video referendam gratiam. Quam si vel mea tenuis fortuna concipere-ret, vel Illustrissimae Celsitudinis Vestrae splendor admitteret, gratus, ut decet, referrem, retulissem libentissime. Sed quid a recularum mearum tenuitate ad Illustrissimae Celsitudinis Vestrae αμαλθειας κερας et beatam abundantiam proficisci potest. Faciam interim, quod possum, cumque non possim dignas referre gratias, illud tamen non definam ubique referre ME SOLVENDO NON ESSE. Cuius humilis gratique animi ut significationem aliquam darem, disputationem hanc, observantiae τεκμηριον studiorum Academicorum συμβολον, novique anni xeniolum Illustrissimae Vestrae Celsitudini offero, dono, dedico humilime obsecrans, ut ea, qua me pariter atque alios Musis sacris excitatos prosecutus est, amplecti non dedignetur posthac quoque clementia. Pro qua, cum nihil aliud sit, meipsum Illustrissimae Celsitudini Vestrae trado et consecro, meaque humilima servitia in gratiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae demissa subijcio.
Dabantur Witebergae, 19./9. Februarij Anno 1616.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae servitorhumilimus
Johan-Christophorus a Khuenburg

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bethlehemffalvva, Regni Hungariae Palatino, Iudici Cumanorum, nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti etc. Sacrissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locum-tenenti etc. etc. Domino, Domino meo clementissimo. Bycham.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 18. Martij 1616.
Árva, II-K/ 32. fasc. Nro. 19 Autográf.

128.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. február 19.

Apja levelére nemrég válaszolt. Ő és társai egészségesek. Szorgalmasan tanul. Az, hogy famulusa Johann Christoph von Khuenburg mivel foglalkozik, kiderül abból az értekezésből, amit neki és apjának dedikált.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime, Salutem prosperam atque diutinam Illustrissimae Vestrae Dominationi precatus, humilima submississimaque atque filialia officia mea Eidem offero consecroque.

Non ita pridem factum equidem est, Comes Illustrissime, Domine Pater carissime, quando ad Illustrissimae Vestrae Dominationis litteras et rescripsi, et eandem de tota rerum mearum, statusque mei moderni constitutione abunde informavi. Non tamen facere potui, neque debui, quin nunc etiam oblata transmittendi non incommoda occasione Vestram Illustrissimam Dominationem humilime per hanc Epistolam meam salutarem, eoque ipso animi mei in exequendis mandatis Paternis promtitudinem testatam facerem. Quod cum facio, procul omni dubio nova aut exotica, aut domestica a me expectantur, sed cum de exoticis Vestram Illustrissimam Dominationem pluribus jam olim esse informatam sciam, de domesticis pauca haec subjungenda duxi. Me una cum meis adjunctis in optima valetudinis ipsissimo flore esse constitutum. Studia mea, quantum quidem vires humanae ferunt, urgeo. Quod et meum famulum Johannem Künberg facere ex transmissa ejus disputatiuncula simul Illustrissimae Vestrae Dominationi mihique dedicata, patet, Qui cum ingratitudinis notam evitare conetur, hoc Thesium Academicique discursus genus me interprete, ad Vestrae Illustrissimae Dominationis scabellum pedum cumprimis offerre voluit. Humilime etiam atque etiam Vestram Illustrissimam Dominationem, Dominum clementissimum, fautoremque ut et benefactorem suum, omni servitiorum genere prosequendum orans, ut hoc quale quale gratitudinis suae specimen, sereno atque munifico vultu suscipere velit. Ille daturus sedulo operam, ut et Illustrissimae Vestrae Dominationis mandatis sese obsequentissimum declaret, et me sibi officijs et servitijs suis devinciat. Quod etsi facturam Illustrissimam Vestram Dominationem nullus dubitavit, me tamen quoque commendatore uti voluit. Cujus cum mihi et indoles generosa et in studijs tractandis ardor et, quod omnium maximum, Pietatis RELIGIONISque verae amor quotidie prae oculis versetur, facere non potui, quin honestae huic ejus petitioni astipularer, eumque commendatum brevibus recommendarem. Suscipe, Comes Illustrissime, adolescentis munusculum, approba animi promtitudinem, gratiaque atque clementia Tua Illustrissima eum prosequi ne dedigneris. Ego, si quid a tenuitate mea erga Illustrissimam Vestram Dominationem unquam proficisci poterit, sedulum diligentemque me promitto. De Caetero Illustrissimam Vestram Dominationem una cum carissima Magnifica Domina Matre sororibusque itidem carissimis DEO praepotenti commendo, valentemque mihi diutissime salvam atque superstitem exopto.
Datae Wittebergae, 19. Februarij Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obsequentissimus

Comes Emericus Thurzo
pro tempore Rector
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa, Comiti de Arwa Ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacrissimae Caesareae ac Regiae Majestatis Intimo consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 18. <feb> Martij 1616.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 25. Autográf.

129.

Franz Armpruster Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. február 27.

Illustrissime Comes, Regni Hungariae Palatine. Domine Domine gratiosissime. Humilium ac fidelium seruitiorum meorum in gratiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae demissam subiectionem.

Nagysaghodnak kegyelmes Vram chak hamar egymás uthán Negy rendbely Leueleth, mellynek az harma ez elmult Januarius hauanak 11. 20. es 29. napian, az negyedik es utolso sexta Februarii Bychen keölt, mynden illendeö beöchwlettel ueuen alazatossan megh ertettem.

Az Vrffy eö Nagysagha es maghunk álapattiát my nezy, az Vr Isten kegyelmesseghebwll az ioo eghesseghnek eörwlwnk, melly Joo eghesseghet eö Zentt Feölséghétwl Nagysaghtoknakis szybwll keuanniuk.

Az Vrffy eö Nagysagha itth Witteberghaban irtt es ky nyomtatot Oratioit hogy Nagysaghod kegyelmesen ueuen keduessen ell oluasta, eöruendezessell erttiwk, azon farad eö Nagysagha hogy mynd azt az mellyeth már publice mondot es megh mondand exprimáltassa, es ha Nagysaghodnak eleb megh nem kwldhety (az kyth nemis remellywk hogy megh lehessen) magha uiszy megh Nagysaghodnak. Az Nemeth Nyeluet eö Nagysagha lassan lassan alkalmassinth eszebe ueszi, uetteis, Nemeth keönyuekettis szeöreöz az mellyekben ennek utánnais gyakorollhassa, azon uagiunk hogy touabbais eö Nagysaghat szorghalmatossan exerceallyuk. Ellmeneswnknek ideyeth myuelhogy az Vr Isten már naponként ell keözelghetetty, paranchollia Nagysaghod hogy az Vthrull, mellyen megh akarnánk térny, es annak Wárassirull, Faluyrull informálliuk Nagysaghodat. Ha Nagysaghod ellen nynchen, Slesiára uolna szándekwnk hogy dirighalliuk utunkath, onnan Thessynbwl Jablonkon által Bychere, mynd azert, hogy keözelb, keuesseb keöltseghbe es fárathsághba tellik, mynd azert hogy az Vrffy eö Nagysagha Slesiaba nem leuen, az orszaghot es abban leueö szep Warassakat <szep> emlekezetre es látásra ualo szep dolghokat lathasson, melly okáert Nagysaghodnak ennek az uthak szokot Járássanak mogyat mentwl iobban mynd Lanndt kochissoktwl mynd Postáktul es egyebektwlis ueghere mehettem, ez includalt Czedulan feöll ieczettem, az teöbit az Nagysaghod kegyelmes Akarattianak s Dispositioianak alázatossan committalom. Ozttrosytth Janos Vram eö Nagysagha ez elmult Hetthfeön ugy mynth ennek az Februarius hauanak 22. napyan mynd Zolghayaual egyetemben eghesseghessen szerenchessen ide érkezeth, Aztalt az Vrffyual

eö Nagysaghauall, zalast myntgyart az Zomzedsághban szeörzeöttwnk eö Nagysaghanak, touabbais mynd az Nagysaghod kegyelmes parancholattiaert, mynd az eö Nagysagha méltoságháert az myboll parancholl eö Nagysagha, es eleghseghes leszek, Zolghalatomboll megh nem fogyathkozik eö Nagysagha, es mynth hogy egyeb alapattiarull Nagysaghodat magha beöseghessen informallia, Nagysaghodnak en aual nem leszek molestus, hanem Nagysaghodath az myndenhato Istennek kegyelmes oltalmába hiuen ayanlom.
Keölt Witteberghaban, 27. Februarii Anno MDCXVI.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Humilis ac fidelis seruitor
Franciscus Armpruster
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa Comitj perpetuo de Arwa eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comitj, Regni Hungariae Palatino, Judicj Cumanorum, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenentj etc. Domino Domino meo gratiosissimo. Bycham.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 20. Martij 1616.
Árva, II-A/ 21. fasc. Nro. 27. Autográf.

130.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. február 27.

Apjától négy levelet kapott, kettőt postán, kettőt pedig Osztrosith János hozott magával. Ostrosithról és Paczoth Ferencről illően gondoskodik. Az egyetem szenátusát a napokban fogja összehívni, ott majd bemutatja ajánlóleveleiket. Örül, hogy szülei egészségesek. Ők is jól vannak. A napokban nyilvános beszédet tartott. Még két beszédet fog tartani, az utolsót a rektorságról való leköszönésekor, május 11-én. Ekkor fogja mindhárom beszédét kinyomatni, apjának majd hazatértekor adja át őket. Mindenki csodálkozik Szunyogh magatartásán. Sajátkezű hitelleveleinek másolatát Imre megküldi Thurzó Györgynek, és Jakob Martinival valamint Sörer könyvkereskedővel együtt arra kéri, hogy a másolatokat Thurzó juttassa el Szunyogh apjához. Ami hazautazását illeti, erről Armpruster fogja tájékoztatni apját. Imre úgy gondolja, hogy április 20-án indítsák útra a szekeret, így az május 11-ére biztosan megérkezik Wittenbergbe. Ekkor válik meg ugyanis rektori tisztétől, és nem lenne kívánatos, hogy tovább is itt időzzön. Kéri apját, hogy szállásadójának küldjön ajándékot, vagy bort, vagy egy török szőnyeget. Hutter üdvözli Thurzó Györgyöt, és kéri, hogy küldje el a fanatikus photinianus könyveket. Ezt kéri Wolfgang Franz doktor és Jakob Martini is.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime, Salutis prosperae incrementum precatus, Me Illustrissimae Vestrae Dominationi humilime submississimeque meaque servitia filialia defero consecroque.

Quemadmodum tellus aestu solari hians grata saepius imbrium copia refocillatur, herbaque alias solis ardore exusta pristinum vigorem recipit, Ita ego et-

iam in medio cogitationum aestu constitutus de statu valetudinis Illustrissimae Vestrae Dominationis carissimaeque Magnificae Dominae Genetricis, ut et Sororum carissimarum Litterarum Illustrissimae Vestrae Dominationis copia laetior hilariorque factus. Uno eodemque enim fere tempore quaternas Illustrissimae Vestrae Dominationis non nisi Paternum singularemque erga me affectum spirantes accepi. Et binas quidem Lipsia, Bittchae 20. Januarij et 6. Februarij datas, reliquas autem duas a Domino Ostrosith transmissas 11. et 29. Januarij exaratas, quarum posteriores Wiennae sibi traditas a Domino Henckelio fuisse significavit.

Quae quidem omnes mihi ut Generosum ac Magnificum Dominum Johannem Ostrosith, ita Magnificum quoque Dominum Franciscum Pattczoth recommendant. Quos cumprimis Illustrissimi commendatoris mandato atque consanguinitatis ratione motus, ipsiusque Gentis meae Hungaricae amore excitatus in intimorum meorum numerum receptos, Omnis humanitatis atque benevolentiae officijs prosecuturum me promitto, neque aliquid in me quidem Rectore indigno Inclutae Academiae Wittebergensis desiderari patiar. Quod et meos collegas, Reverendissimos Excellentissimos atque Clarissimos facturos, nullus dubito, quamprimum Illustrissimae Vestrae Dominationis datas ad se acceperint litteras, eas namque adhuc ratione officij mei apertas, apud Pro-Rectorem meum detineo, et cum alias etiam ob causas Senatum Academicum his diebus convocare constituerim, tum commodissime exhibebo proponamque.

Valetudinis autem Illustrissimae Vestrae Dominationis, ut et Magnificae Dominae Matris statum equidem foelicem atque sospitem cum gaudio percepi, et ut perpetua illa sit, ex intimis cordis voveo penetralibus. Utinam vero Sororum nondum elocatarum eadem esset! Quas ut Medicus ille efficacissimus, Dominus noster JESVS CHRISTVS pristinae sanitati restituere dignetur, ejus Divinam Majestatem supplex oro atque veneror. Quantum autem meum meorumque attinet statum uno verbo eum (ne suspensum detineam plus justo diutius Illustrissimae Vestrae Dominationis animum) exponam: VALEMVS.

Orationem nuper in legum promulgatione publice habitam Illustrissimae Vestrae Dominationi transmitterem, si modo eam excusam haberem. Nondum enim praelo subjeci, plures namque adhuc habendas DEO auxiliante constitui. Nam et sequenti Mense, si DEVS valetudinis meae statum modernum eousque stabilem esse voluerit, in renunciatione Magistrorum aliquam recitabo. Deinde tertiam (in qua nunc desudo) in depositione officij Rectoratus 1./11. Maji futura, atque tum collectas uno eodem tempore Typographo describendas traditurus, ipseque Illustrissimae Vestrae Dominationi cum bono DEO in reditu meo allaturus sum.

Szuniogium miror et miramur omnes. Qua fronte? Quo animo? quod sciens cum scientibus contraxit, suaque manu professus est debitum, attenuare (ut quidem ex Domino Ostrosithio habeo) audeat? Quo vultu meam, et aliorum magnorum optimorumque virorum fidem in dubium vocare possit. Habeat sibi equidem eam, quam amat, inpudentiam, Sed et conponat vestem, et levi murmuratione haec, quae ad Illustrissimam Vestram Dominationem pro meae existimationis defensione perscripsi repetat, istasque sub littera A adque B insignitas his Illustrissimae Vestrae Dominationis litteris inclusas chirographorum suorum copias

bona fide descriptas relegat. An non cum pudet doli, quinimo versutiae, quod Amicum, hospitem Praeceptoremque suum, Dominum Clarissimum Magnificum Jacobum Martini circum venire conatus est? Negabit jam bona fide esse descriptos chirographos? Ecce testes Dominum Magnificum Ostrosith Liberum Baronem, Dominum Franciscum Pattczoth, meos eorumque adjunctos omnes et, si hos insuficientes existimat, lotricem ejus ad ipsum transmittam, quam etiam miseram aliquot grossis defraudare conabatur. Sed ne diutius aures Illustrissimas Illustrissimae Vestrae Dominationis factis Szuniogianis obtundam, hic finem facio. Chirographorumque ejus Exemplaria, seu, ut vulgo vocant, Paria ei, aut potius Domino ejus Parenti transmitti supplex una cum creditoribus, Clarissimo videlicet Magnifico Jacobo Martini, Amico meo observando atque Senatore Bibliopola Szörero oro atque obtestor.

Caeterum quoad ordinem et rationem transmittendi currus attinet, Illustrissimam Vestram Dominationem adjunctus meus Dominus Armprusterus, quantum quidem poterit, optime informaturus est. Diem autem omnino 20. Aprilis esse commodissimam existimarem, qua currus residentia Illustrissimae Vestrae Dominationis huc ad nos mitteretur, ita ut certo certius 1./11. Maji hic eum habere possem. Secus si futurum est, non sine maximo incommodo meo id ipsum eveniet. Ea enim dies est ordinaria pro depositione Magistratus Scholastici, quo deposito me hic commorari diutius haud commodum esset. Hac autem ipsa occasione per eum, qui currui in adducendo praeerit, si Illustrissima Vestra Dominatio Vasculum vini sopidioris, aut Tapete aliquod Turcicum Hospiti meo transmitteret, esset quamoptimum, alias enim majoris praetij donum ei aliquod dandum et emendum erit. Ego dum quidem vitae usura frui licebit, nunquam me immemorem hujus accepti beneficij promitto.

Reverendissimus Dominus Leonhardus Hutterus Illustrissimam Vestram Dominationem salutari per me (cum in lectione ejus Reverentiae essem) servitiaque sua perpetua deferri curavit, simulque oravit me, ut, si fieri posset, Photiniani illi fanatici libelli, qui cum Ariano intercepti sunt, suae quoque Reverentiae per currum meum transmitterentur. Orsus enim est telam diraente[?] Pontificijs, Calvinianis et Photinianis oppositam, quam pertexere se eo commodius sperat, si ad manus eorum blasphemiae quoque essent. Partem de illis petijt etiam Dominus Doctor Frantzius et Clarissimus Magnificus Jacobus Martini. Quibus si gratificata fuerit Illustrissima Vestra Dominatio, faciet et illis rem gratissimam, et Ecclesiae utilissimam.

Nova cum nulla habeam, ne nimia prolixitate Illustrissimam Vestram Dominationem alias etiam occupatissimam occupatiorem reddam, ultimam hic manum scribendi inponam. DEUS OPTIMUS MAXIMUS Illustrissimam Vestram Dominationem una cum suis tutelae atque protectioni commendans.
Datae Wittebergae, 27. Februarij Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obsequentissimus
Comes Emericus Thurzo
pro tempore Rector
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa, Comiti de Arwa Ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo. Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacratissimae Caesareae ac Regiae Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumteneti etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 20. Martij 1616.
OL E 196. 37. cs. 15. fasc. Nro. 93. Autográf.

131.

Jeremias Spiegel Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. február 28.

Imre egészséges. Hamarosan nyilvános disputációt tartanak. Balduin opponense Thurzó Imre lesz, aki ezzel majd nyilvános tanújelét adhatja előmenetelének.

Illustrissime domine Comes ac PALATINE, domine Clementissime, Salutem ac felicitatem Illustrissimae Vestrae Celsitudini precor, meaque humilima servitia subjectissime defero.

Ut in stadio, qui currunt, quo propius ad metam accedunt, eo concitatius fervidiusque, quod reliquum est, conficiunt, Ita nullus dubito, quin et desiderium Filij Vestrae Celsitudinis Magnifici, et solicitudo de illius salute tanto crescat magis, quanto propius est id tempus, quod finem tum longae absentiae impositurum est. Quo nomine magnopere gaudeo me grato etiamnunc exoptatoque nuntio desiderium Illustrissimae Vestrae Celsitudinis lenire et solicitudinem levare posse. Valet enim adhuc dominus Comes noster ex suo et Illustrissimorum dominorum Parentum uno et nostrum omnium voto, urgetque et ipse studia sua eo diligentius, quo brevius ad eorum tractationem tempus sibi praefixum animadvertit. Ad diem Veneris proximum disputationem publicam habebit dominus doctor Fridericus Balduinus. Ei sese opponet Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Filius Magnificus, et hac quoque vice profectuum suorum publicum specimen dabit. Caetera hic omnia nobiscum salva sunt. Saxonia, Misnia, Thuringia tranquilla et sub optimo Electore in optimo statu. DEUS servet Ecclesiam suam, sed et murum Christianitatis Hungariam, quae publicis hic et privatis precibus DEO cottidie commendatur. Servet etiam quam diutissime salvam et incolumem Illustrissimam Vestram Celsitudinem cum Illustrissima Domina Conjuge, Illustrissimis dominabus Filiabus atque adeo universa inclita familia, Eique laetae ac florenti desideratissimum suum Dominum Emericum salvum item ac bene valentem reddat!
Wittebergae, die 28. Februarij Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Humilimus Servitor

Magister Jeremias Spiegelius

Címzés: Illustrissimo Comiti ac domino, DOMINO GEORGIO THURZO de Betthlemffalwa, Regni Hungariae Palatino et Cumanorum Judici, nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus Supremo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis intimo Consiliario et per Hungariam Locum tenenti etc. Domino meo clementissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 6. Aprillis 1616.
OL E 196. 24. cs. Nro. 128. Autográf.

132.

Jeremias Spiegel Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. március 6.

Két levelet kapott Thurzótól, örül, hogy újra egészséges. Imre beteg volt, de már gyógyulófélben van. Thurzó arra biztatja, hogy beszélje le Imrét a hamburgi útról. Spiegelnek nincs lehetősége elhagyni a várost egyrészt egyetemi elfoglaltságai miatt, másrészt a professzorok is csak a választófejedelem engedélyével hagyhatják el az egyetemet. Ne féljen Thurzó attól, hogy ő az apával szemben a fiú elhatározását támogatja. Imre szorgalmas tanulmányaiban. Május elsején leteszi rektori hivatalát és utána szeretne valamerre kirándulni. A beszédet, amit a vártemplomban fog elmondani, már összeállította. A nürnbergi tanács ösztöndíjasaként tanuló photinianus eretnek kitart tévtana mellett. A várban őrzik, s hamarosan visszaküldik Nürnbergbe.

Illustrissime domine Comes ac Palatine, domine Clementissime, Salutem ac felicitatem Illustrissimae Vestrae Celsitudini precor, meaque humilima servitia defero.
BINAS iterum ab Illustrissima Vestra Celsitudine accepi litteras. Utraque veteris clementiae indices atque adeo humilimae meae gratitudinis monitrices. Omnium vero gratissimum perceptu fuit, quod Illustrissima Vestra Celsitudo prospera adhuc valetudine licet in rerum statu non prospero fruatur. DEUS Optimus Maximus salutem hanc tum in Illustrissima Vestra Celsitudine, tum etiam in Eiusdem Filio Magnifico perpetuare esse jubeat. Metuebatur isti non ita pridem febris, et jam jam invadebat, sed Medici suasu meoque sollicito instructu Purgatio corpori adhibita est, deique benevolentia molestus et importunus hospes repulsus. Itaque gratias agimus DEO tanto majores, quanto afflictiores eramus futuri ex domini, id est, communi nostro morbo.

Iter Hamburgense et molestissimum, et periculosissimum ut dissuadeam, clementissime mandat Illustrissima Vestra Celsitudo. Sed mandat, quod ego antequam imperaretur, feci curavique. Nec enim suasi illud unquam (ut nimis bene, sed et moleste sensit et fortasse conqueretur dominus Comes) neque suadere potui, quippe cui praeter studiorum privatorum occupationes praeterque paedagogiae alterius labores Publice etiam Professionis onera incumbunt, Quae singula tanta sunt, ut vix urbe pedem efferre sinant, et licet maxime sinant: non potest tamen Professorum quisquam per mensem ab Academia sine Electoris nostri Serenissimi venia abesse. Quaeso igitur humiliter, ut Illustrissima Vestra Celsitudo

omnino sibi persuadeat me plus metuisse, ne Ipsa Filij Magnifici consilium sententia sua approbaret, quam Eadem metuit, ne Filij institutum ego probarem. Ita enim in illius sententiam ivi, ut in lites potius et controversias ea de caussa non unas, Siquidem semper adversum me de Hamburgo sua habuit Consiliarium, et credo etiam suspectum tanquam, qui calamo sibi apud Illustrissimam Vestram Celsitudinem obstitissem. Quod tamen nec ipsum factum, sed totum negotium Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Prudentissimo consilio commissum relictumque. Studia tractat dominus Comes sedula adhuc manu, Futurus vero ut conijcio, post Calendas Majas id est depositum magistratum, aliquanto remissior aut quemadmodum in desultu fit animo alibi peregrinante. Jam enim miratur se ultra id tempus litteris operam hic non navaturum. Orationem in Templo Arcis habendam nunc componit, praelo propedie subjecturus DEUS ipsum servet, salvumque Illustrissimae Vestrae Celsitudini reddat!

Nova hic nulla sunt, quae mererentur ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem perferri. Photinianus Senatus Norinbergensis stipendiarius in arce adhuc detinetur captivus, et [...] nullis Theologorum nostrorum admonitionibus rationibusque parere vult, Norinbergam brevi mittetur. Occasionem haeretis suae natam dicit ex Publica disputatione domini Schopperi Altorffij habita. Cum enim audisset Theologum illum Photinianos oppugnantem, nec tamen (ita calumniatur) satis valide refutantem, confirmatum sese ait in ea opinione, quam antea ex Photinianis quodammodo hauserat. Itaque tum temporis cum 20 alijs Studiosis Altorffiensibus fuisse conversum. Ah proh dolor!, plane eversum. Frustra enim in homine sanando laborant, quotquot letalem hunc morbum curant. Dominus Jesus contentum nominis sui sanctissimi vindicet, nosque in veritate semel agnita acceptaque aeternum immobiles praestet! Illustrissimam etiam Vestram Celsitudinem veritatis Evangelicae constantem assertorem diu Ecclesiae servet!
6. Martij Wittebergae.

Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Humilimus servitor

Magister Jeremias Spiegelius
Oratoriae in Academia Witebergensi
Professor Publicus

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Betthlemffalwa, Regni Hungariae PALATINO et Cumanorum Judici, nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus supremo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Consiliario intimo et per Hungariam Locumtenenti, Domino, domino meo clementissimo

Thurzó György kezével: Exhibitae in Thermis Rajecensibus 30. Aprillis 1616.
Árva, II-S/ 27. fasc. Nro. 2. Autográf.

133.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1616. március 7.

Egyszerre kapta meg Imre február 6-án és 8-án írott leveleit. Ezekben a hozzá írott levelek gyér számán kesereg és szülei engedélyét kéri a hamburgi utazáshoz. Thurzó egészsége meggyengült, de az államügyekkel nap mint nap foglalkozik. Sokat gondol fiára is, a mostanin kívül öt levelet írt már ebben az évben, amelyeket Henckellel küldött Wittenbergbe. Csodálkozik, hogy ezek nem érkeztek meg. Ami a hamburgi utazást illeti: atyailag lebeszéli erről. A háborús körülmények között még a németeket is baj éri, a magyar ruhába öltözöttel ez sokkal könnyebben megtörténhet. Nem azért küldték szülei Wittenbergbe, hogy utazgasson, hanem azért, hogy a tudományokban és a nyelvekben érjen el eredményeket. Szervezze meg inkább hazautazását Szilézián keresztül, s utána arról lehet szó, hogy Velencébe utazzon. Velence Európa legszebb városa, figyelemre méltó politikai berendezkedése, építészeti szépsége, hajózása, kereskedelme stb. Thurzó ismerősei és rokonai révén Imre ott biztonságban lenne.

Illustris ac Magnifice Comes, Fili nobis charissime. Salutis optatissimae felicissimaeque, Studiorum tuorum successus voto praemisso, beneuolentiam nostram et affectus paternos tibi offerimus.

Binas tuas, charissime fili, priores Sexta, posteriores octaua diebus elapsi Mensis Februarij Witeberga ad nos datas simul et semel accepimus literas, in quibus partim de raritate nostrarum ad te literarum conquereris, partim peregrinationem Hamburgum versus tibi a Nobis concedi petis.

Prius quod attinet, etsi non adeo firma Valetudine praediti, publicis ijsque grauissimis Regni negocijs quotidie adobruamur, non intermisimus tamen Valetudinem tuam et studiorum progressus explorandi gratia soepius ad te exarare literas, easque die 21. et 30. Januarij, 7. et 19. Februarij, 3. denique et has postremas 7. Mensis Martij hinc ex Arce nostra Byttchensi expeditas medio Generosi Domini Lazari Henckell etc. Witebergam transmisimus, adeo ut nostra ex parte nullam ad te scribendi negleximus occasionem. Quod uero literae illae nondum tibi redditae sint, satis mirari non possumus anxij Vehementer, ne vel interceptae, quod non raro contingere solet, vel Tabellionum negligentia et incuria omnino deperditae sint. Tu, si easdem interea acceperis, scrupulum hunc et anxietatem literis tuis nobis adimere non praetermitte.

De posteriore, qua iter Hamburgum Versus tibi concedi petis, cum nunquam proprio nostro motu, sed adhibito aliorum judicio et opinione quippiam facere consueuerimus, aliorum consilio peregrinationem illam paterne tibi disuasimus, et ob certas has euidentesque rationes etiamnum hoc praesertim tempore et rerum facie disuademus. Etenim, ut hinc incipiamus, cum vestitu utaris Hungarico, qui ut insolens, et multis invisus, ita quoque infensus est, periculumque causari posset non exiguum. Deinde licet vel maxime pax inter Ducem et Ciuitatem Brunswigensem per Comissarios Suae Majestatis et alios Principes, qui sese interposuerent, conclusa sit et confirmata, Maximae tamen dissensiones et simultates inter ipsum Ducem Brunswigensem et Ducem Luneburgensem ratione Ditio-

nis Griffenhagensis serpere adhuc et Vigere dicuntur, ob quas nouo hoc Veris tempore pertinari non graue modo, sed et periculosum videtur tibi praesertim, qui nulla vel Suae Majestatis Sacrae Domini, Domini Nostri clementissimi vel Serenissimi Electoris Saxoniae commendatione aut Saluo passu instruitus loca ista tutus nunquam transire poteris.

Praeterea Milites Ducis Brunsuicensis ob solutionem in sufficientem male contenti, hinc inde in partibus illis grassari et depopulari scribuntur, quibus pro effrenata sua licentia gratius nihil aut optatus esset, quam ut peregrinum et magnae familiae hominem habere possent, quem nescimus quam in terram aut prouinciam abductum pro lubitu suo temerario aestimarent datis ad Parentes literis, si filium suum redimere vellent, tantam et tantam pecuniae vim lytri loco mittant. Quod cum ipsis etiam Germanis quandoque acciderit, quanto facilius tibi Hungarico vestitu induto accidere posse putabis. Hinc quantos deinde dolores, quantas lachrymas, quantas denique molestias et anxietates parentibus tuis senio fere confectis minus necessaria hac peregrinatione facesseres, pro tuo judicio ipsemet facile conjicere poteris.

Adde, quod non peregrinandi aut oculis inseruiendi, sed pietatis potius bonarumque Artium et Linguarum causa te Witebergam expediuimus, inque hanc te cogitationem unice intendere volumus, quomodo praeclaris Doctrinae et Virtutum dotibus auctus ornatusque eximiam post te laudem, honorem amplissimum, maximamque Nominis tui existimationem et celebritatem relinquas, ac desideratissimo tuo reditu Nos exhilares. Praesertim cum terminus ille, quo te domum reuocare propriumque cum hominibus nostris emittere Currum constituimus, jam jam praeforibus sit. Vnde eo magis tibi jam Vitebergae manendum, et cum Dominis Professoribus major habenda erit amititia et familiaritas, quo brevior tibi commorandi ibidem mora restat et occasio, quoque officium tuum, quo fungeris, te manere magis jubet.

Imo potius cogita, quomodo ad Nos morum et doctrinae cultu politus reverti poteris Considera, quanam tutius per Silesiam homines nostri ire et tecum redire, ubique hospitia commode haberi poterint, de quibus Nos pro informatione breui certiores facere non negligas. Quod si tum DEO bene juuante saluus et incolumis ad Nos reuersus fueris, animumque tuum ad peregrinationem aliquam applicare uolueris, Venetias potius, Vrbem, cui siue bene constitutam spectes, politiam et Rempublicam siue structuram mireris artificiosissimam, siue negociationes Maritimas et Nauigationes intuearis frequentissimas, similem tota Europa nec vidit, nec habet, per Amicorum et Consanguineorum tuorum Ditiones et bona bono cum nostro consensu tute abire et perlustratis Visu dignis omnibus, quae certe multa sunt et maxima, ac Nos regredi sine periculo poteris.

Quae omnia ex paterna illa et singulari, qua te complectimur, et felicitatem tuam unice cupimus, affectione propterea uberius scribimus, ut animum tuum a concepto hoc et periculoso itinere abstrahamus, satius esse existimantes, tua voluntati hac in parte contrariari, quam consentiendo, post si iter illud pro voto non successisset, grauiter dolere. Alias tibi benigne semper et paterne propen

si manemus, feliciaque omnia, laeta et salutaria a Domino Optimo Maximo animitus precamur, in cujus Diuinam tutelam et protectionem te et Nos semper diligenter commendamus.
Datum in Arce nostra Byttchensi, die 7. Mensis Martij Anno 1616.

Pater quoad vixerit erga te beneuolentissimus
Comes Georgius Thurzo
manu propria

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlenffalwa, Libero ac Haereditario Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus Arwensis Supremo ac Perpetuo Comiti, necnon Inclytae Academiae Witebergensis pro tempore Rectori Magnifico etc. Filio nobis charissimo etc.

Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 30. Az aláírás autográf.

134.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. március 9.

Jól tudja, hogy apját mind az államügyek, mind a magánügyek nagyon elfoglalják. Neki magának alig van mit írnia, minden a megszokott rendben folyik. Meisner doktor Izák Lánin keresztül Thurzó Györgynek egy dedikált könyvet küldött, de erről még semmilyen visszajelzést nem kapott. Kéri apját, hogy tudassa vele, megkapta-e ezt a könyvet. Spiegel munkájáért jutalmat érdemel. Megküldi a Pázmánynak dedikált traktátust.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime Salutem prosperam diutinamque Illustrissimae Vestrae Dominationi precatus, Me meaque humilima, filialia atque submississima defero servitia consecroque.
Vt in alijs (ita enim omnino spero) hactenus Illustrissimae Vestrae Dominationis mandatis exequendis me diligentem praestiti, obedientemque conprobavi, ita etiam in crebris ad Illustrissimam Vestram Dominationem dandis litteris nihil desiderari patiar, ne in ea parte quoque aliquam suspicionem aut negligentiae, aut inobedientiae incurram, quod omnino fieret, nisi has quoque ad Illustrissimam Vestram Dominationem dedissem. Cum autem non nesciam Illustrissimam Vestram Dominationem publicis, privatisque negotijs esse occupatissimam, et mihi etiam fere scribendi materia desit, Neque enim vel novorum aliquid habeo, cum hic omnia pacata atque tranquilla, Neque de meo moderno est, quod scribam, statu (qui quidem hactenus ex sententia), de eo enim non ita pridem abunde Illustrissimae Vestrae Dominationi informavi, Id tantum restitit, ut nunc Illustrissimam Vestram Dominationem de aliquibus consulerem et exquirerem. Et initio qvidem de Domino Reverendissimo Doctore Meisnero, qui per Magistrum Isacum Lany Illustrissimae Vestrae Dominationi dedicatum libellum Eidem

transmissit, non tamen hactenus vel saltem responsum aliqvod habere potuit, unde omnino eum tractatum Illustrissimae Vestrae Dominationi una cum suae Reverendissimae Dignitatis litteris non esse exhibitum existimat, cum praesertim ego jam olim responsum ad meas eodem tempore eademque occasione transmissas acceperim, sine ulla tamen libri Meisneriani mentione. Quare humilime rogatam volo Illustrissimam Vestram Dominationem, ut et de perceptione ejus libelli me certiorem reddere, et quid ulterius facto opus sit, informare haud gravatim dignetur. Quid etiam Domino Magistro Spiegelio, institutori meo honorando, muneris sub finem dandum esse loco equi, et pro hactenus sedula in docendo navata opera, Illustrissima Vestra Dominatio censeat, de eo etiam informari averem. Hoc unum autem subjungo, non me, si consangvineus meus fuisset, a sua claritate plus qvam praestitit expectare potuisse, cujus etiam beneficij absit, ut unqvam memor, atque remunerator esse desinam. Transmitto hac ipsa occasione tractatum qvendam per eruditum Pazmanno dedicatum, qvem, si otium fuerit animi caussa, Illustrissima Vestra Dominatio praelegi sibi curare velit, sales quidem eum habere non inficior. Ridentem tamen (secundum illum ipsum autorem) dicere verum, qvid vetat!

Caeterum Illustrissimam Vestram Dominationem tutelae protectionique Divinae commendatam Ejusdem Divinae Majestati supplex recommendo. Valetudinemque prosperam atque diutinam Eidem voveo, utque Illustrissimam Vestram Dominationem salvam atque sospitem suo tempore una cum Magnifica Domina Matre, atque carissimis sororibus, conspicere mihi liceat precor.
Datae Wittebergae, 9. Martij Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Dominatinis filius obseqventissimus
Comes Emericus Thurzo
pro tempore Rector
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa, Comiti de Arwa Ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacratissimae Caesareae ac Regiae Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae Bitchae 6. Aprillis 1616.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 31. Autográf.

135.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1616. március 19.

Imrének február 19-i levelét március 8-án a De fortitudine című értekezéssel együtt megkapta. Sajnálja, hogy ilyen lassan járnak a levelek. Örül fia előmenetelének. Johann Christoph von Khuenburg De fortitudine című téziseit már végigolvasta. Dícséri a kiváló szerzőt és törekvését. Otthon mindenki egészséges. Balassa Zsigmond és Homonnai Drugeth György erdélyi fejedelem akart lenni, de mindkettő belebukott a

vállalkozásba. Ferdinánd főherceg testvére, Miksa Ernő Ausztria főhercege meghalt, majd néhány nap múlva Ferdinánd felesége is. A velenceiek Ferdinánd ellen háborút viselnek. Várja haza fiát és társait. Írja meg, merre jön haza, Csehországon és Morvaországon, vagy Szilézián át. Ő a rövidebb csehországi utat ajánlja. Szekereket fog küldeni elé. Üdvözli fia tanárait és tanulótársait.

Illustris ac Magnifice Comes, fili nobis optatissime, Vberrimam benedictionem diuinam et Salutem perennem tibi precati, Affectum nostrum Paternum deferimus etc.

Epistolam tuam carissime fili ad nos 19. proxime elapsi mensis Februarij Viteberga exaratam 18. labentis mensis Martij vna cum Thesibus de Fortitudine ad nos missis accepimus. Dolet certe et nobis tam tarde literas inuicem scriptas hinc isthuc, isthinc huc deportari. At illud vel incuria Tabellionum, vel vero difficultate et longitudine viarum fieri certum est. Gratum tamen, quod nullas dandarum ad nos literarum secundum praemonitum nostrum intermittas occasiones, Gratius vero, quod te optata DEI praepotentis beneficio vna cum tibi adjunctis frui intelligamus valetudine. Gratissimum denique, quod in cursu modernae tuae stationis successus et profectus eodem Jehowa DEO nostro adjuuante hucusque senseris ac feceris laudabiles. Voto breui haec omnia claudentes, Benignum Coeleste Numen in his omnibus Nostrum et Tuum clemens implere uelit desiderium, vt non solum saluus et Incolumis, verum a pietate quoque et ornatu bonarum Artium multum commendabilis clarus et conspicuus, Patriae dulcissimae olim proficuus ad Nos redire queas!

Theses easdem de Fortitudine a Nobili juuene Johanne Christophoro a Khüenburg conscriptas, nostroque et Tuo Nomini dedicatas perlegimus diligenter, Optimi Juuenis approbamus primo in rebus tam grandibus et grauibus dispositionem et sapientiam plusquam senilem, Sed tamen Vrit mature, quod vult vrtica manere. Tum Gratitudinem, quam erga Nos, uti promotorem, Tum erga te, uti Magnificum Inclutae istius Academiae Vitebergensis Rectorem, studiorumque suorum Jnspectorem singularem et Fauorem declarare voluit. A nobis si quid hactenus profectum est in ipsum beneficij, Jd aequi bonique consulat. Tui vero erit muneris, tam gratos et ad summa quaeque adspirantes Clientes quouis tempore et loco debito honore, Amore, beneuolentia et munificentia complectj.

Accedimus ad domestica: Nos, Parentes tui et singulae tam Nuptae, quam Virginis Sorores tuae diuina benignitate bona fruimur valetudine: Licet Martius humorum Genitor, motorque dolorum: Inter fauorabiles Zephyros excitet plerumque Boream et Cauros: At jlli, in cuius manu sorsque salusque nostra est: Jllum et Jllos pro clementissimo et misericordissimo suo Arbitrio moderari nouit, nec ultra vires nos tentari sinit, sed, si tentat pro benigna sua voluntate, dat felicem et salutarem exitum, de quo cum in scriptis antehac literis fusius attigerimus, nunc Laconisuro concedemus.

Porro Magnificus dominus Sigismundus Balassa, de quo similiter prius cum tam Waywodatum Transsyluaniae affectasse, quam cum Turca Practicas nonnullas Regno huic nociuas exercuisse perhiberetur, primo Vyuarinum tamen Posonium vinctus abductus est. In futurum quae sors illum maneat, incertum est. Alter Magnificus dominus Georgius Drugeth de Homonna eundem Transylua-

niae Vayvodatum appetens, et iam plurimo, vti ad nos perscriptum est, instructus milite, Exercitu Confiniario et Comitatuum miles ipsius dissipatus est. Hincque etiam non aliud, quam tranquillum et optatum, quod dominus DEUS faxit, in Regno hoc statum expectare possumus. Scripsimus tamen ad Comitatus partium Superiorum Regni Eisdem serio mandantes, vt Jnquisitionem sedulam in medio sui instituerent, super eo, Cuiusnam jussu et Autoritate ac in quem vsum talis miles conscriptus conductusque fuisset, verendum ne ob temerarium aliquem ausum et Turbationem publicam Regni huius status idem dominus Homonay sibi aduersam experire cogatur Fortunae Aleam.

Sed nec hoc te, Fili dilectissime, celare voluimus. Serenissimum Archiducem Austriae Maximilianum Ernestum, Ferdinandi Archiducis fratrem, non ita pridem Fatis concessisse, quem non multis interjectis diebus praedicti Ferdinandi domina Consors, alias ducis Bauariae soror similiter Fatis cedens secuta est. Veneti vero contra eundem Ferdinandum Archiducem acre admodum et cruentum gerunt Bellum. Multi parte ab vtraque scribuntur trucidati, plurimi in Captivitatem abducti, quod non solatij alicuius verum extremae vastationis loco habentes optaremus, ut jam tandem miseratione diuina Humano et, restrictiue scribendo, Christiano parceretur sanguinj!

Postremo, Cum iam constitueremus fauente DEO propediem pro reductione Tui ac Tuorum hinc Currum emittere, scripserimusque antea quoque, vt Nos certiores facias, qua commodius, tutiùs et compendiosius Jter reditus tui capessere uelles, An veroque recta per Bohemiam et Morauiam, uel uero per Sylesiam. Per Morauiam quidem Pragam vsque hinc sex dierum spacio, Ac Praga Vitebergam uicissim similiter sex Iter confici posset. At tu vide sis, qua reditum ad nos suscipere mavelis. Si per Silesiam, tum locorum et hospitiorum situm et statum ad nos perscribe, vt in dimissione Currus praescripto tuo Nos accomodare possimus. Breuiori tamen et compendiosori via multis ex rationibus vtendum esse censeremus. Prout currum eundem hinc recta per Morauiam Pragam vsque et vltra dimittere statuimus.

De quo, tum de alijs ad Valetudinis et vocationis tuae modernae statum spectantem Nos identidem reddito certiores. Affectumque nostrum Paternum non aliter tibi proponas, quam prout hactenus expertus es, et longe propensiorem ac ardentiorem, si vti hucusque fecisti. Expectationi et votis nostris respondere pro tua virili adnixus fueris. Reuerendissimis, Excellentissimis atque Clarissimis dominis Sacrosanctae Theologiae et Philosophiae Professoribus ac Synergis tuis multam ex nobis salutem cum omnis beneuolentiae oblatione dicito.

Viue ualeque diu generis Spes Vnica Nostri,
Exhilalare stude Nosque fauente DEO.

Datum in Arce nostra Byttche, die 19. Martij, Anno 1616.

Pater tuus erga te quoad vixerit semper beneuolentissimus
Comes Georgius Thurzo
manu propria

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlemffalua, Libero ac haereditario Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus Supremo et perpetuo Comiti, nec non Inclutae Academiae Vitebergensis, pro tempore Rectori Magnifico etc. Filio nostro vnice charissimo. Vitebergam.

Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 34. Az aláírás autográf.

136.

Izák Láni Thurzó Imrének
Biccse, 1616. március 21.

Köszönti mecénását, akinek hálával tartozik azért, hogy hosszú ideig Wittenbergben lehetett. Élete és tanulmányai a tanúk arra, hogy rászolgált erre az útra. A nádor Liptay Mártont bízta meg Imre május 19-re tervezett hazautaztatásával. Egészsége ingatag, ám a grófnétől kapott gyógyszerek hatására láza egyre csökken. A helybéli iskola rektora egy kisebb helyre megy. A diakónus Justh Miklós támogatásával eltávozik. Egy bencés kanonok megtért, így most a biccsei városi kápolnában magyar a prédikátor. Hasonló pártfogást kér Balassa úr egy másik városi szerzetese is. Kéri Imrét, hogy a báni rektort, Daniel Paulinit figyelmeztesse adósságaira.

Illustrissime Domine Comes ac Heros Rector Academiae Magnifice, Domine mihi benignissime, et Evergeta humilime honorande etc. Gratiam a Domino Salvatore nostro Jesu Christo prospero cum valetudinis statu, felicique et laeto ad nos reditu diu exoptato precatus, mea studia, servitia et officia Illustrissimae Magnificentiae Vestrae precibus cum quotidianis paratissimus defero.

Cochleam tardigradam, Illustrissime Moecenas, Saturninos gressus instituentem imitor in scribendo, at Diogeni cum affectum gratitudinis erga suum benefactorem spiro. Vt enim tarditas nimia parit in animo suspitionem, sic importuna celeritas indicium soepe-numero est obliti benefacti. Medium, quid e duobus his extremis diversis sibique invicem optatis[?] diligentem esse putavi, ne gratia acta in instanti hucusque munificentiae et clementiae Illustrissimae Magnificentiae Vestrae videar esse oblitus, aut nimis tarda benignitatis et favoris depraedicatione facta a gratitudinis vinculo esse me existimet alienum.

Qvare eas, qvas merito debeo Illustrissimae Magnificentiae Vestrae, Domino mihi clementissimo, ago et fundo gratias, cum pro clementia et affectu benignissimo erga me indignum suum Alumnum et Stipendiarium declarato, toto tempore meae mansionis in Athanaeo Wittebergensi celeberrimo: tum etiam pro consilio causa itineris suscipendi atque adeo literis Commendatorijs et testimonio vitae atque studiorum meorum. Hanc gratiam et benevolentiam Heroicam, summus naturae director in proportione decupla compenset, Animum hunc Generosum subinde ad altiora velut gradatim et eminentiora existet, Nutricium Ecclesiarum et Scholarum novum nobis, novus fortunij afflatus pariat. Spem multorum de Illustrissima Magnificentia Vestra maximam conceptam promoveat, omniaque ad Ecclesiarum Orthodoxarum salutem in actum per Magnificentiam Spectabilem Vestram deducat. Daturus operam interea, hoc ut Heriho[?] factum Illustris-

simae Magnificentiae Vestrae erga me declaratum semper resideat intra memoriam, semper depraedicetur et decantetur, adeoque Illustrissima Magnificentia Vestra precibus meis quotidianis includatur pro felici ac prospero ad nos reditu, qvem avidissime coetus noster Aulicus expectat. Ideoque jam Illustrissimus Dominus Palatinus, Dominus Pater Illustrissimae Magnificentiae Vestrae ordinaverat Martinum Liptay cum altissimo quodam equite ad diem 20. Maij pro reducenda Illustrissimae Magnificentiae Vestrae, intelligo tamen Celsitudinem Suam animum mutaturus celerioribus emissis nuncijs.

Valetudo mea est velut in bivio constituta, prona cum ad morbos tum ad sanitatem recipiendam, febri mea qvartana et quotidiana diebus praecedentibus excussa per medicamenta exhibita ab Illustrissima Domina, Domina Comitissa, Domina Matre Illustrissimae Magnificentiae Vestrae. Effectum suum debilitatem adhucusque sustinere debeo. Qvalis futurus vitae status, nondum scio Rectore praesertim nostro ad vilem locum sese conferente, Bitschensi Schola et juventute neglecta. Sed et Domino Diacono animus is est, se ut alio conferat, praecipue cum sit ipsi spes facta per Dominum Nicolaum Justhium. Canonicus quidam de Sancto Benedicto 26. Februarij revocatoriam habuit sui pristini erroris orationem liberam publice in templo praesente Illustrissimo et Celsissimo Domino, Domino Patre Illustrissimae Magnificentiae Vestrae, factus nunc Pastor Bitschae Hungaricus in sacello Oppidiano. Similem patrocinium quaerit Monachus Domini Balassae apud Illustrissimum et Celsissimum Dominum Palatinum.

Coeterum Illustrissimam Magnificentiam Vestram humilime oratam habeo, ut dignetur monere Danielem Paulinum, Rectorem Banowicensem causa debiti exolvendi residui prope evitandam difficultatem aliqvam, quae alias nostrae gentis studiosis facile accidere potest. Creberrimis enim literis Dominis Patris et meis monitus, ne respondere dignatus est. Qvare medijs deficientibus confugio ad Illustrissimam Magnificentiam Vestram (sum enim sponsor factus causa ipsius apud Bibliopolam) patrocinium rei hujus qvaerens, qvum praesertim Illustrissima Magnificentia Vestra duplex jus et potestatem in ipsum habeat, alterum ratione sui officij, alterum ratione Patronatus, cui merito idem Paulinus subjacere debet. Confido Illustrem Magnificentiam Vestram ad meam humilimam petitionem facturam, qvam meis precibus Deo commendans felicissime cum omnibus suis ad Patrias oras redire opto, meque et mea studia humilime commendo.
Dabam Bitschae, privatis incumbens studijs die aequo noctiali. Anno seculi currentis 16.

Illustrissimam Magnificentiam Vestram humilime colens

Magister
Isaacus Lany Thurociensis

Címzés: Illustrissimo et Magnifico Comiti ac Domino, Domino EMERICO THVRZO de Betlehemfalwa, Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus perpetuo Comiti: Magnifico Rectori Academiae celeberrimae Wittebergensis: Domino Patrono et Evergetae, eae qva par est humilitate colendo et honorando.

Árva, II/3. fasc. Nro. 147. Autográf.

137.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1616. március 21.

Imre február 27-i levelét megkapta. Örül, hogy fia Ostrosith Jánossal és Paczoth Ferenccel jó barátságban él. A láz, ami főleg várának asszonynépét sújtotta, már elmúlt. Ő maga öregsége és a tavaszi időjárás miatt nem egészséges. Örömmel olvassa fiának nyilvános előadásait. Folytassa tanulmányait, amíg csak lehet. Írt Szunyogh Mózesnek, hogy Wittenbergben tanult fiának, Gáspárnak adósságait fizesse ki. Imre hazautazásához Morvaországba, Prágába és Drezdába, valamint Wittenbergbe kocsit fog küldeni. Fia majd látja, hogy merre akar jönni. Gondja lesz rá, hogy a kocsi pünkösd táján Wittenbergben legyen. Sajnálja, hogy fia nem tölthet egy teljes évet az egyetemen. A könnyű szekéren nem tud bort küldeni, így a házigazdának szőnyeget ajándékoz. Hutter doktornak adja át baráti üdvözletét. Szívesen elküldené a photinianus könyveket, de tudja, hogy ezek a könyvek Wittenbergben is megvannak, a kéziratokat pedig elégették a biccsei piactéren. Fiának jó egészséget, tanulmányaiban haladást kíván, arra kéri, hogy levélben mindenről tájékoztassa.

Illustris ac Magnifice Comes, Fili nobis unice Charissime, Salutem perennem omnisque felicitatis incrementum precati, paternem nostram beneuolentiam tibi offerimus.

Ex literis tuis, quas 27. praeteriti Mensis Februarij Witteberga ad Nos dedisti, gratissimum Nobis fuit intelligere Nostras distinctis Vicibus exaratas literas uno eodemque fere tempore tibi redditas esse, unde facile conjicere te posse arbitramur, Nos nec labori unquam, licet satis alias grauissimis negocijs inplicemur pepercisse, quin nostris subinde te salutaremus literis. Quod vero justo tardius ad te perferantur, non nostra id culpa, sed Tabellionum tarditate potius, quam raritate et itineris lubricitate accidere opinamur. Magnificos Dominos Joannem Ostrosith et Franciscum Pattczotth tibi esse commendatissimos gaudemus, Nam funiculus triplex, juxta diuinum illum et sapientissimum Ecclesiasten, difficilius rumpitur, dignumque esse putamus, ut Conterranei, mutuis se beneuolentiae officijs invicem prosequantur.

Valetudinem nostram quod attinet, Deus Optimus Maximus nostri benignissime misertus vehementem illam, quae Aulam nostram et potissimum Gynaeceum vehementer infestabat, febrim exulare jussit, Sororesque tuas et Pedisequas omnes pristinae sanitati restituit. Nos equidem ingrauescenti nostra senecta hoc praesertim Veris tempore non adeo pro Voto valemus, speramus tamen DEI ope et cura Medici nos melius Valituros. Diuina Majestas utrinque Nos clementer saluos ac sospites et ab omni periculo tutos praestare dignetur.

Orationes tuas in publico Dominorum Professorum coetu et corona Studiosorum frequentissima jam habitas et habendas adhuc, quas praelo subjicere et juris facere publici constituisti, libenter Videremus. Inde enim profectum Studiorum tuorum et sumtus nos frustra impendere deprehenderemus. Age, fili charissime, dum licet et potes studia tua diligenter vrge, nomenque tuum hoc pacto apud Exteras etiam Nationes illustrius facere non desine.

Ad Magnificum Dominum Moysem Zuniogh transmissis Paribus Obligatoriarum diligenter admodum scripsimus, eumque firmiter hortati sumus, ut debita illa, quae filius ipsius Witebergae contraxit, Creditoribus persoluat, nec famam suam aut gentem nostram cauillandi exteris nationibus ansam praebeat et occasionem. Literae illae nostrae, quid apud suam dominationem Magnificam valebunt, vbi responderit, videbimus.

De reditu tuo existimamus compendiosius esse iter hinc per Morauiam Pragam et inde per Dresdam Wittebergam usque, qua Currum nostrum dante DEO expedituri sumus, Tuum erit videre, qua redire velis. Daturi autem sumus operam, ut Currus Noster circa Festum Pentecostes pro certo Wittebergae compareat, cui rebus tuis omnibus bene et feliciter compositis insidere et viae te bono cum DEO dare poteris. Dolemus tamen quam maxime, quod ante decursum Anni Vitteberga discedendum tibi sit, cum propterea te eo potissimum ablegauerimus, ut per Anni integri curriculum ibidem permanere ac fundamenta etiam Germanici sermonis addiscere potuisses. Sunt enim et reperiuntur hoc nostro seculo homines, qui cum praeter suam expectationem citius quendam domum redire videant, Sibillis proscindere et illudere non desistunt, id quod alijs etiam multis accidit. Verum cum Ephaebis te excessisse eiusque discretionis esse nouimus, ut quid e re tua sit, facile animaduertere possis, non est ut, tibi hac in parte quippiam praescribamus. Facies, quod optimum tibi quodque consultissimum videbitur.

Vinum in curru Pensili seu Pilento, quale pro te expedituri sumus, tanto locorum intervallo vehi non posse, vel ipsemet judicare potes, Tapes tamen Domino Hospiti tuo donandus transmittetur. Reuerendissimo Domino doctori Huttero gratias pro amica salutatione nostro nomine ages maximas, additoque salutis et omnis felicitatis voto nostra pietatis officia diligenter commendabis. Libellos scelesti illius praeuaricatoris Photiniani hinc proscripti Suae Reuerendissimae Dignitati libentissime transmitteremus, verum cum illis, qui hic habentur, jam Wittebergae etiam haberi sciamus, alia vero, quae secum attulerat blasphemus ille Arianus, manuscripta communi Dominorum Judicum voto et suffragio publice penes Mediastinum in foro nostro Byttchensi igni combusta sint, hac in parte suae Dignitatis Reuerendissimae, et si vel maxime vellemus, gratificari non possumus. Impossibile enim est, ut ex Vulcani cinere et Orco illos reuocare possimus.

Quod superest, Fili charissime, tui ac Valetudinis tuae rationem te habere Linguarum et bonarum Artium studia gnauiter colere ac de rebus omnibus pro more tuo solito quam creberrime ad Nos scribere jubemus. Hoc enim modo filium te praestabis pium et morigerum, beneuolentiamque nostram, quae magna est erga te, magis magisque occumulabis.

Vnica spes nostrae Stripis, spes Vnica Matris
Salue, et in aeternum Viue Valeque BENE.

Datum in Arce nostra Byttchensi, die 21. Mensis Martij Anno Domino 1616.

Pater tuus erga te quoad vixerit beneuolentissimus
Comes Georgius Thurzo
manu propria

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlenffalwa, Libero ac Haereditario Comiti de Arwa eiusdemque Comittus Aruensis Supremo ac Perpetuo Comiti, necnon Inclutae Academiae Wittebergensis pro tempore Rectori Magnifico etc. Filio nostro Vnice charissimo etc. Vitebergam.

Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 35. Az aláírás autográf.

138.

Eliáš Láni Thurzó Imrének
Biccse, 1616. március 22.

Az otthoniak egészségesek. Ezt kívánja Imrének is. Homonnai be akart törni Erdélybe, de csapatait a hajdúk segítségével szétszórták, őt magát pedig Kesl elfogatta. A velenceiek nyíltan szembeszálltak Ferdinánddal és nagy csapást mértek rá. A törökkel kötött békéről semmi biztosat nem tud. Írna Spiegelnek is, de most nincs rá ideje.

Illustris et Magnifice Domine, domine mihi observandissime, salutis et felicitatis voto praemisso mea promptissima Illustri Magnificentiae Vestrae quovis loco et tempore defero officia.

Si Vestra Illustris Magnificentia avet scire, quid in nostra Hungaria agatur Primum et ante omnia significo nos divina benignitate adhuc propitia vti valetudine. Quod bonum, vt Vestrae quoque Illustri Magnificentiae cum suis sit perpetuum, cordicitus opto.

Dominus Homonnaius collecto vndecunque milite moliebatur invadere Transsylvaniam, sed invito Jove. <...> Itaque dissipato suo per confiniarios Caesareae Majestatis et liberos Haydones exercitu vela contraxit, gravissime insuper ab Illustrissimo Klöselio exceptus. Veneti quoque apertum jam bellum cum Archiduce Ferdinando gerunt, cujus etiam milites maxima clade affecerunt. Sed ne esset haec calamitas sola, fratrem quam Maximilianum et conjugem bonus Princeps amisit. De pace cum Turcis nihil etiamnum solidi conclusum, spes tamen ejus non vulgaris. Quam vt nobis deus pacis confirmet, ex animo opto. Plura scriberem etiam ad dominum Spiegelium, sed haec etiam effundere potui in ipsa arce super mensam Illustrissimi domini mei. Salutem nihilominus tam ipsi, quam alijs Vestrae Illustris Celsitatis familiaribus asscribo, et omnes feliciter valere animitus opto.

Cursim ex arce Bichensi, 22. Martij, Anno 1616.

Vestrae Illustris Magnificentiae dedictissimus

Elias Lany

Címzés: Illustri et Magnifico Domino, domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlehemfalwa, Comiti perpetuo ac haereditario Comitatus Arvensis: domino mihi perpetim observandissimo.
Árva, IV-L/ 1. fasc. Nro. 156. Autográf.

139.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. április 1.

Apja március 3-án kelt levelét megkapta ugyanazon hó 27-én. Amikor a levélhordó már Lipcse felé ment, elfoglaltságai megakadályozták a válaszadásban. Néhány napja nyilvános vizsgát tartottak a magiszteri fokozatra aspirálók számára. Ebből az alkalomból ő maga is nyilvános beszédet tartott, s kérelemmel fordult Wecker doktorhoz, a dékánhoz, hogy engedje el a harmadik vizsganapot. Ezt a beszédét másik kettővel később fogja nyomdába adni. Előző nap 46 magisztert avattak, ilyen sokan már hét éve nem voltak. Az egyetemen több mint kétezren tanulnak. Apja levelei lassan jutnak el hozzá, így hamburgi útjáról nem tud semmit, sőt még hazatérésével kapcsolatban is bizonytalanságban van. Közeleg a lipcsei vásár ideje. Onnan tudná könyveit legkényelmesebben Bécsbe vagy Pozsonyba küldeni. Már régebben kérte anyját, hogy Biccséről hírnököt küldjön hozzá, hogy rajta keresztül értesüljön apja akaratáról, de eddig még senki sem érkezett otthonról.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime, Aeternam perpetuamque precatus Illustrissimae Vestrae Dominationi foelicitatem officia mea humilima, filialia, submississimaque Eidem offero consecroque.
Posteaqvam Illustrissimae Vestrae Dominationis litteras 3. Martij exaratas 27. ejusdem mensis accepissem, Sane mearum partium fuisset statim tum ad eas respondere, atque ita Illustrissimam Vestram Dominationem alias occupatissimam parte occupationum levare, deque statu meo (satis laus sit DEO OPTIMO MAXIMO ex sententia existente) Eam certiorem facere. Sed cum Tabellio ordinarius reversionem Lipsiam differret, et occupationem me quoque qvaedam publicae tum impedirent hactenus supersedi responsione. Ne tamen nimia procrastinatione plus justo diutius suspensum tenerem Illustrissimae Vestrae Dominationis animum, non ulterius differendam responsionem duxi, sed potius de qvibusdam novis scholasticis (de Politicis enim nihil habeo) Illustrissimam Vestram Dominationem certiorem facere constitui. Habebamus hic ante aliquot dies examen publicum in Auditorio Medico Candidatorum gradum Magisterij honeste ambientium. Ubi praeterqvam qvod qvidam examinandi mihi erant, Ita officij mei ratione exigente etiam oratio habenda fuit, et simul petitio instituenda ad Spectabilem Dominum Decanum, Doctorem Weckerum, Phisices Professorem publicum pro remissione examinis tertij diei. Quod autem peroravi, si tipis des-

cribetur, una cum ante etiam in legum lectione habita Oratione, ut et in resignatione Magistratus investitura novi RECTORIS prima Maij DEO volente habenda, Illustrissimae Vestrae Dominationi aut transmittam, aut certo ipse afferam. Heri qvoque habita hic est 46 Magistrorum Solennis promotio, qvod a Septennio jam non factum, ut tantus numerus eorum huc confluxisset: unde facile quis judicare potest splendorem et nimiam freqventiam nostrae Academiae, fertur enim Bis Mille Studiosos et ultra nunc in Academia hac studiorum gratia versari. Quod tamen certo affirmare non possum, hoc autem tam certum, qvam certissimum fidem pene excedere, tantillam urbem tantam alere freqventiam. Heri in solennitate illa ne amplissimum quidem Theologicum auditorium, eorum vel partem saltem potiorem capere potuit, sed de his alias. Communem video qverelam esse, ut Illustrissimae Vestrae Dominationi, ita mihi Tarditatem cursorum. Ut enim Illustrissima Vestra Dominatio rarius se accipere meas litteras scribit, ita ego incertitudine emacerari me affirmo, jam certe quid agam, nescio. Neque de Hamburgensi itinere explicati habeo qvicqvam. Neque de reditu meo certior fio. Instat prima Aprilis et jam prae foribus est. Hamburgicum tamen iter suspenditur. Instant nundinae Lipsenses, ubi meos libellos commodissime transmittere possem Wiennam aut etiam Posonium usque. Nec tamen, utrum prima Maji mihi redeundum domum sit, scire possum. Nec qvid agam, nec qvo me vertam scio. Oraveram supplexque rogaveram Illustrissimam Dominam Matrem jam ante septem septimanas, ut ad me Tabellio aliqvis Bittczhensis transmitteretur, ut ita certior reddi possem, vel ab eo tandem de voluntate Illustrissimae Vestrae Celsitudinis. Hunc tamen aut non ablegatum esse animadverto, aut certe in Utopiam profectum esse existimo. Eum profecto avidius expecto, qvam columbam suam Noah arcae inclusus in diluvio expectavit. Numero hebdomadas, numero dies et horas scrupula tandem et minuta minima. Incertus an eum itineris inclementia, aut carissimorum Parentum mei oblivio tam diu detineat. Sed in utroque <spero> fallor. Qui enim fieri posset, ut Genitores liberorum suorum curam exuerent. Iter autem hic qvidem satis commodum esse video, et ex peregrinantium hucque advenientium multitudine eandem commoditatem peregrinandi alibi qvoque esse conjicio. Quare omnino ejus adventum spero. Qui si venerit, et me curarum mole liberiorem reddet, et Illustrissima Vestra Dominatio per eum pluribus de omni moderno rerum mearum statu informabitur. Interim autem Illustrissimam Vestram Dominationem protectioni Divinae commendo. Ualetudinisque prosperae continuationem ut Illustrissimae Vestrae Dominationi, ita carissimae Magnificae Dominae Matri Sororibusque itidem carissimis voveo.

Datae Wittebergae, Pridie Kalendae Aprilium Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obseqventissimus

Comes Emericus Thurzo
pro tempore Rector
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa, Comiti de Arwa Ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacrissimae Caesareae ac Regiae Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae in Letaua 20. Aprillis 1616.
OL E 196. 24. cs. Nro. 123. Autográf.

140.

Polycarp Leyser Thurzó Imrének
Lipcse, 1616. április 2.

Háláját fejezi ki jóindulatáért. Felajánlja szolgálatait. Elküldi beszédét.

Gratiam et pacem a DEO per Christum etc.

Perillustris, Generose ac Magnifice Domine, Domine gratiosissime, Orationem clarissimo nomini tuo nuncupatam testem mitto et obsidem observantiae et officij erga Tuam Generosam Dominationem et Magnificentiam mei, debito quidem minoris, studij tamen plurimi. Nam et antea diligenter et sedulo Tuam Generosam Dominationem et Magnificentiam colui ob ingenium heroicum et mores suavissimos, quibus in omnium animos influxerat. Postquam vero insigni favoris contestatione me nihil huius moritum penitus Tua Generosa Dominatio et Magnificentia devinctum reddidit, equidem legem quandam pietatis et fidei in Tuae Generosae Dominationis et Magnificentiae suspiciendo et diligendo statutam mihi arbitror. Ideoque hoc sancte polliceor nunquam fore, ut incredibilis ille favor ex animo meo elabatur, sed ante oculos semper mihi positus erit, ac crebris a me (quod meritus est) usurpabitur sermonibus. Interim obsidem hunc Tua Generosa Dominatio et Magnificentia acceptet eo, quo meipsum prosequitur favore et amore, et de eo exquisitum iudicium expromat, rogo. Equidem quam parum in Generosam Dominationem et Magnificentiam Tuam augendam amplificandamque a me proficisci possit, plane video. Attamen hoc Tuam Generosam Dominationem et Magnificentiam ingenue et candide recipio me studio observandi et colendi Generosae Tuae Dominationis nemini cessurum. DEVM rogo, ut Tuam generosam Dominationem in his nostris oris sospitem praestat, et incolumem Spiritus donis instruat, et salvum in patriam suo tempore reducat. Amen.
2. Aprilis Anno 1616.

Tuam Generosam Dominationem et Magnificentiam humiliter colens

Polycarpus Lyserus Doctor
manu propria

Címzés: Perillustri, Generoso ac Magnifico Domino, Domino Emerico Thurzo de Bettlemffalva, Comiti de Arva eiusdemque comitatus perpetuo Comiti, Academiae Witebergensis Rectori admodum Magnifico, Domino meo gratiosissimo
Árva, IV-L/ 4. fasc. Nro. 39. Autográf.

141.

Eliáš Láni Thurzó Imrének
Biccse, 1616. április 7.

Ami a törökkel való békekötést illeti, az átadandó 60 faluról nem tudnak megegyezni, ezért a tárgyalásokat elnapolták. Tomşát, a moldvai vajdát elűzték a lengyelek, és az előző vajda fiát tették meg fejedelmüknek. A török császár elhatározta, hogy megtámadja Lengyelországot. Szkender pasát bízta meg a végrehajtással. Bethlen Gábor megtagadta a hadjáratban való részvételt a Homonnai György okozta nehézségekre hivatkozva. A velenceiek a karinthiai Görzöt ostromolják gall, vallon katonákkal, valamint 6000 janicsárral. Április 20-án Thurzó György Rajecre, Thurzóné pedig Pöstyénbe megy. Darhóczy úr meghalt. Spiegelnek 40 tallért küldenek ajándékba. Martin Mirus Postilláját Bartošovičtól hozza magával.

Illustris et Magnifice Domine Comes, Domine mihi observantissime, salutis voto praemisso servitia mea cum indefesso precum studio Illustri Magnificentiae Vestrae defero.

Etsi hac vice Illustris Magnificentia Vestra nihil ad me perscripsit, ego tamen nactus aliquod a gravioribus laboribus suspirium perlubens animum ad scribendum appuli. Neque enim dubito, quin et quae de statu dulcissimae Patriae scribuntur, libenti animo legat atque intelligat. Quantum igitur ad pacem nostram cum Turcis attinet, quia hucusque de 60 pagis tributarijs convenire non potuit, praesentes legati Turcici remittuntur cum ea informatione et conclusione, vt reliqui pacificationis articuli vtrinque inviolabiliter observentur, tractatio vero de pagis ad sex menses differatur, dum videlicet interea in futuris Comitijs Hungaricis (circa initium Junij, vt multorum opinio est, celebrandis) aliquid solidi publice concludantur. Hanc dilationem jam inde ab initio Tractationis suaserat Noster Illustrissimus, at domini Commissarij consilia sua sequebantur. Nunc volentes nolentes huc deflexere et jam nunc Illustrissimo continuationem detulere. Sed accepta a Statibus et Ordinibus regni instructione facilior et tutior erit progressus.

Quo pacto domini quidam Polonici e Moldavia Waywodam a Turcis substitutum, Tomscha vocatum, armata manu ejecerint et prioris Uaywodae filium in Principatu collocarint, existimo Illustri Magnificentiae Vestrae antea innotuisse. Nunc eam ob rem iratus Turcarum Imperator, a quo iste novitius Vaywoda ne vexillum quidem petere voluit, decrevit Polonos bello invadere, datis sub manum Skender Bassae (qui jam Begler Beghus creatus est) centum millibus Turcarum et totidem Tartarorum. Mandat etiam Transsylwano, vt sua arma adversus Polonos perpediat. Verum ille se excusat, quod propter molitiones Georgii Homonnay provinciam deserere et milite nudare non possit. Citatur autem et hic bonus dominus Pragam ad Caesarem, vt respondeat ad accusationes Transsylvani.

Veneti bellum contra Archiducem Ferdinandum continuant, et occupatis jam aliquot praesidijs nunc Goritiam in Carinthia obsident. Habent Gallos et Valones milites et praeter hos 6000 Janitscharorum a Turcico Imperatore in subsidi-

um missorum. Qua de re Caesarea Majestas conqueretur per Legatos in Porta. Ferdinandus juvatur a Caesare et Hispano. In Hungaria alioquin omnia parata.

Ad diem 20 Aprilis inchoabit dominus Illustrissimus balneum suum in thermis <Pestiniensibus> Ragecensibus, domina vero Illustrissima in Pesthiniensibus. Magnificus dominus Darhoczy apoplexia tactus hisce diebus expiravit. Mortui et aliquot nobiles. Celare autem Illustrem Magnificentiam Vestram non possum domino Magistro Spiegelio muneris nomine deputatos esse me intercedente taleros 40. Existimo esse posse contentum. Ad quem perlubens scriberem aliquid: sed me et materia, et ocium deficit. Salvere eum amicissime jubeo. Pelliceum missurus, vbi currus Vitebergam emittetur, quod circa diem 1. Maij futurus. Faxit deus, vt Vestram Illustrem Magnificentiam salvam et incolumem laeti omnes conspiciamus. In reliquo eandem gratiae divinae commendans, feliciter valere opto, meaque servitia commendo.
Bitschae, 7. Aprilis Anno 1616.

Illustris Magnificentiae Vestrae observantissimus

Elias Lany

Post Scriptum: Habeo illic librum pernecessarium, Postillam Martini Miri apud Barthossovitium. Rogo assumat eum, si fieri potest, secum.

Címzés: Illustri et Magnifico Domino, domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlemfalwa, Comiti de Arwa ac ejusdem Arvensis Comitatus haereditario, perpetuo, liberoque Comiti: pro tempore Rectori Academiae Vitebergensis: domino mihi semper observandissimo
Árva, IV-L/ 1. fasc. Nro. 158. Autográf.

142.

Thurzó Imre Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. április 8.

Apjának március 7-i és 20-i leveléből megtudta, hogy szülei egészségesek. Apja tilalma megfosztotta attól a reménytől, hogy valaha is megláthatja az óceánt, pedig most kiváló alkalma lenne rá. Jakob Martinitól, aki Hamburg környékéről származik, megtudta, hogy az utak biztonságosak, mert katonáikat a harcoló felek elbocsátották. Bár tudja, hogy nem utazgatni jött Wittenbergbe, úgy érzi, hogy a bölcsességhez gyakorlati tapasztalatokra is szüksége lenne, nem csak az iskolában megszerezhető elméletre. Ami Velencét illeti, úgy tudja, hogy ott sem nyugodt a helyzet, az inkvizícióról már nem is beszélve. Kérte már apját, hogy a szekeret április 20-án küldje, hogy május 11-én rendelkezésére álljon. Anyjának leveléből tudja, hogy a szekeret május 8-án küldik. Ő viszont május 11-én leteszi tisztét és nem akar tovább Wittenbergben maradni.

Illustrissime Comes Domine, Domine Pater carissime, Salutem prosperam diutinamque Illustrissimae Vestrae Dominationi precatus, mea, etsi exigua, ex intimo tamen cordis affectu profecta filialia officia Eidem submississime consecro.

Jam de fluctibus incertitudinis extulisse pedem, jam evasisse de naufraga rate et arenulam me certitudinis securis osculis adorasse existimaram, posteaqvam Archimedis duas columbas ex oris istis, ad has nostras advolasse percepissem, easque exporrecta fronte *animo* laeto hilarissimoque aspexissem, et patentiori dextra excepissem. Primam scilicet Nonis Martij, secundam 13. Kalendis Aprilis Bittcha emissas esse intellexissem, multaque de domesticorum, plura de Illustrissimae Vestrae Dominationis sanitate salva atque hactenus ex sententia Divino sic votis nostris aspirante Numine succedente ex earum levi sibilo vacivis auribus hausissem maeroreque affectum et paene alimento hilaritatis orbatum animum succo felicioris fortunae, in futurum qvoque certo speranda refecissem. Cum ecce nescio, qva fortunae inclementia me interim agitari aegre sane (ferendum tamen, qvod mutari non potest) ex ijsdem percepi, percepi inqvam mihi plane omnem jam spem ereptam esse Oceanum lustrandi, commodamque occasionem itineris capessendi. Fronte sane capillatam esse posthac occasionem calvam sciebam, ideo etiam ambabus dextris fortiter eam apprehenderam, Interim tamen elapsam jam (proh dolor!) sentio. Animadverti Vestram qvoque Magnificentiam, Comes Illustrissime, Genitor carissime, ex parte me offendisse, qvod ita intempestive eam saepius sollicitavi. Animadverti sane et id non sine summo dolore animique uberrimo moerore, sed id omne ignorantiae potius meae, qvam pertinanciae alicui, pro singulari erga me Illustrissimae Dominationis Vestrae affectu tribuere clementer dignetur. Neque enim periculis circa Hamburgum existentibus terreri potui, cum a Viro Excellentissimo Clarissimoque, Domino Magistro Jacobo Martini, qui et ex illis locis oriundus est, et commensales Hamburgenses atque ita plenam notitiam illorum locorum habet, intellexerim milites dimissos, itinera tuta et omnia plana esse. Laudavit etiam locum celebrrimum, et ita commendavit, ut non immerito lustrandi eius desiderium habuerim, et nunc qvoque (si liceret concedente Illustrissima Vestra Dominatione) haberem. Etsi enim scivi me non esse peregrinandi saltem, et ut Illustrissimae Vestrae Dominationis secretarij verbis utar, oculis seruiendi gratia huc Wittebergam ablegatum, Tamen etiam hoc scivi non me esse ad sola scholarum subsellia natum, et etiam prudentiae hauriendi causa me esse huc emissum, qvam sine usu peregrinatione, et variarum nationum contemplatione inane pondus esse in scholis Politicorum didici, ex eorumque libris hausi. Qui si peccarunt, sane ego etiam cum tantis damner.

Venetias qvod attinet, audivi esse vrbem politissimam atque augustissimam, hoc tamen etiam me non latet ibidem majora futura impedimenta, qvam hic fuissent. Est enim et locus remotior et bellorum turbine armorumque aestu modo cumprimis agitatus. Hic saltem reliqviae timentur, quid itaque ibi futurum ubi jam jam Mars cruentus regnat, facile judicare potui. Ut nihil jam dicam de inquisitione relligionis, qvae ibi strictissimae observatur. Egone autem meam religionem aut negarem, aut dissimularem, hoc avertat supremus Regnator Oympi[!]. Sed tempus rerum magister de his, qvid porro facto opus sit, credo, me edocebit. De illis, quid nunc agam, qvomodoque jam valeam, brevibus, ut in his etiamobedientem me Illustrissimae Vestrae Dominationi declarem, haec scribenda duxi. Turbor maerorque plane consumor. Oraveram enim obsecraveramque Illustrissi-

mam Vestram Dominationem, ut currum 20. Aprilis illinc expediri, hucque transmitti clementer demandare dignetur, ut ita eum prima stilo veteri vel 11. stilo novo Maji hic habere possim. Nunc autem ex litteris Illustrissimae Dominae Matris percepi eum octava demum Maji moturum. Ego vero certo prima stilo veteri Maji secundum leges nostras Magistratui Scholastico valedicam. Quid deinde itaque faciam qui primo hactenus loco ornatus fui, unius currus ob causam vel primum precario, vel cum ignominia inferiorem locum obtinebo? Si non jam aliquid consilium meum in re mea, si non petitio humilima toties per litteras ad Illustrissimam Vestram Dominationem facta valet, saltem jam igniminia hac me oro liberare Illustrissima Vestra Dominatio velit. Omnia hactenus disposita, in ordinem redacta fluxa jam atque vana fuisse, si me spes fefellerit, meo malo experiar. Sed non me latet Pater Illustrissime, animus Illustrissimae Vestrae Dominationis Clemens erga meque benevolentissimus. Quare ejus me voluntati Illustrissimae, ut et res meas unice defero, submississime Eidem officiola mea, ut supra qvoque consecro dicoque. DEUS OPTIMUS MAXIMUS Patrem benevolentissimum filio obedientissimo conservare et qvamprimum ostendere dignetur.
Datae Wittebergae, 8. Aprilis Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Dominationis filius obedientissimus
Comes Emericus Thurzo
pro tempore Rector
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlenffalwa, Comiti de Arwa Ejusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacratissimae Caesareae ac Regiae Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumteneti, etc. Domino Patri mihi summo filialis observantiae studio colendissimo.
Thurzó György kezével: Exhibitae in Thermis Rajecensibus 30. Aprillis 1616.
Árva, II-T/ 15. fasc. Nro. 42. Autográf.

143.

Thurzó Imre Czobor Erzsébetnek
Wittenberg, 1616. április 20.

Éltemig valo alazatos fiui szolgalatimnak ajanlasa után Kivanok az Felseges Wr Istentüll Nagyságodnak, minth szerelmes Asszoniomnak Aniamnak minden kivansaga szerinth valo jokat hosszu, kedves, bekesseges egesegell egietemben boldogull megg adatni.

Az Nagyságod 21. Martij Bittczhen keölt levelet 19. Aprilis vettem, melljbüll ertvén az Nagyságod Vram Attiammall eö Nagysagával es Szerelmes Nenieimmell Hugaimmall egietembe jo es kedves egesegeth szivem szerinth

eörvendeztem rajta. Engedgie az felseges Wr Isten halhassak giakorta Nagyságod egesege felüll engem megg vigaztalo hirt. Enis hala legien az Wr Istennek <..> e koraiglan meg kedves egesegell birtam. Vi hirül egiebet nem irhatok Nagyságodnak, hanem hogi az en Mesterem meg valtoztatta termeszetet, es eöis imaron meg akart <..> hazasodni, noha Madgiar Orszagban mindenkoron tagatta hazasaghoz valo akariatiat. Magister Schmith leaniat kereti meg e napokban altalam, jollehet már neki igerte az Attia, de eö is Pompason akarja megg keretni ujobban. Bizoni dolog nem vetet az valasztasban, merth majd az egesz Wittebergai varasba ha talalhatni job erkölczü, emberüll feltartot leanit annall, jollehet nem igen gazdag, de mind azon altal az eö alapatiahoz kepest feö nemzet. Es igi En az kit ez ideiglen tanitot, mind tisztet szörzettem neki ugimind az Oratoria profesziot, melljenek juvedelme esztendönkint legalab fel megien 225 forintra, s mind peniglen Matkajatis megg kerem neki, mellj utan josaga kivüll kü hazais leszen itten az varasban. Gondolom, hogi nem eszet karavall a jambornak mellettem valo hiv es jambor forgolodasa es tanitasa, merth ha azert mesterem nem volt volna, es tiszteseges bizonios alapatot nem talalt volna altalam, gondolkottanak volna meg az attiafiai ha neki adiake, auagi nem. Minek elötte ell megiek inneid, meg leszen giürü valtasa, az utan aratas vegben menvén Meniegzött szolgaltatnak neki az leani attiafiai. Egieb hireim mostanaban ninczhenek, ha mi leszen magam Isten haza vezerelven Nagyságodnak megg jelentem. Engedie az Wr Isten lathassam mind fejenkint Nagyságotokat jo es kedves egesegben.
Keölt Wittebergaban 20. Aprilis 1616. Esztendeöben.

Nagyságodnak Alazatos szolgalo fia telljes eleteben szolgall
Nagysagodnak

Groff Thurzo Imre
manu propria

Címzés: Az Nemzetes es Nagysagos Czobor Szenth Mihali Czobor Eörzebeth Aszoninak, az Tekintetes es Nagysagos Groff Thurzo Giörgi Vramnak Attiamnak eö Nagyságának, Magiar Ország Nador Ispanianak szerelmes hazas tarsanak, Nekem szerelmes Aszoniomnak Aniamnak.

Árva, III-T/ 12. Nro. 45. Autográf.

144.

Ostrosith János Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. április 22.

Március 21-i levelét április 11-én kapta meg. Érzi, hogy Thurzó továbbra is jóindulattal van iránta. Szeretné háláját kimutatni. Egészsége jó és igyekszik úgy tanulni, hogy hazájának hasznára váljon.

Illustrissime Comes domine, domine et Patrone mihi gratiosissime, Salutem et felicitatem Illustrissimae Celsitudini vestrae precatus, servitia mea humillima offero.

Literas Illustrissimae Celsitudinis Vestrae 21. Martij ad me benigne perscriptas 11. praesentis mensis Aprilis accepi, mentemque et animum veterem eumque gratiosum exinde perspexi, ea enim benignitate me prosequi non dedignata est, ut eius ego, si ullam unquam partem promereri potuero, praeclare mecum actum esse existimabo. Mihi vero utinam vita suppeditaret, ut pro tot tantisque beneficijs testimonium qualecunque gratae meae mentis erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram ostendere declarareque possim, nihil in voto magis ardentiusque haberem. De valetudinis et studiis meis, si Illustrissima Celsitudo Vestra tanquam, qui de salute mea semper fuit clementer sollicita scire, quid avet, valeo, et studia ita tracto, ut ad Reipublicae usum quotidie me proparem. In coetero Illustrissimam Vestram Celsitudinem Deo, me vero ipsius benignitati et gratiosae tutelae humilime commendo.
Dabam Wittebergae, 22./12. Aprilis Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Celsitudinis servitor humilis
Johannes Oztrozith
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti, Domino, domino Georgio Thurzo de Bettlemffalwa, Comiti de Arwa, eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti, Palatino Regni Hungariae et Judici Cumanorum, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis intimo Consiliario et per Hungariam Locumteneti etc. Domino domino et Patrono mihi benignissimo.
Árva II-O/ 16. fasc. Nro. 149. Autográf.

145.

Eliáš Láni Thurzó Imrének
Biccse, 1616. április 26.

Eljött végre Thurzó hazatérésének a napja. Az egyetemen dicsőséget szerzett és sikeresen befejezte tanulmányait. Kéri, hogy hozza magával Martin Mirus Postilláját. Kisebbik fiát, aki most kerül Wittenbergbe, Thurzó Imre ajánlásaira bízza. Szunyogh urat többször figyelmeztette wittenbergi adósságainak rendezésére. A nádor azt üzeni Ursininek Prágába, hogy térjen haza.

Illustris et Magnifice domine Comes, Domine mihi observandissime, Salutem cum laeto felicique reditu Illustri Magnificentiae Vestrae optans, studia mea cum precationibus eidem defero.

Illuxit tandem optata dies, qua Illustris Magnificentia Vestra post summos Academiae honores, hactenus cum honore et perpetua nominis sui gloria gestos finem studiorum suorum impositura, et in patriam amabilissimam est reversura. O gratum diem: o diem dulcissimam. Jam nunc spe reditus Illustris Magnificen-

tiae Vestrae gestimus et exultamus: quid fiet. Vbi venerit altera dies, quae nobis Illustrem Magnificentiam Vestram sistet? Faciat Pater luminum, vt eam feliciter videamus, et idem ducat, dirigat, custodiat Vos omnes, vt absque omnibus periculis, et jactura tam valetudinis quam rerum, salvi et incolumes revertamini.

De Postilla Martini Miri apud Samuelem Barthoschovitium reperiunda, quandam antea Illustri Magnificentiae Vestrae rogatam habui, ita nunc quoque vehementer oro, sciat eam in curru suo locum habere: Vt pote non multum loci occupaturam. Gregorium filium meum, quem in locum Isaaci submitto, si vel commendatione sua, vel alijs etiam modis Vestra' Illustris Magnificentia juvare poterit, habeat sibi commendatum. Ego rursus me ad omnia gratitudinis officia lubens obligo.

Dominus Szuniogh de debitis Vitebergae contractis saepiuscule est admonitus, sicut et de praesenti transmittendi occasione: tamen non teruncium, non literam misit. Nisi forte pleuritis domini Parentis ipsius, qua nunc conflictatur, inpedierit. Sed finem facio, hoc unice annexo, si Illustris Magnificentia Vestra Pragae copiam domini Magistri Ursini habere poterit, velit ei significare, etiam Illustrissimum Dominum Palatinum velle, vt in Hungariam redeat. His eandem Vestram Illustrem Magnificentiam cum omnibus sibi adjunctis deo Protectioni commendans, felicissime valere et redire opto.
Bitschae 26. Aprilis Anno 1616.

Illustrem Magnificentiam Vestram reverenter colens et observans
Elias Lany

Címzés: Illustri et Magnifico Domino, domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlemfalwa, Comiti de Arva ac ejusdem Comitatus Arvensis perpetuo liberoque Comiti: pro tempore almae Academiae Vitebergensis Rectori magnifico: Domino, domino mihi observandissimo

Árva IV-L/1. fasc. Nro. 157. Autográf.

146.

Mikuláš Molitoris Thurzó Györgynek
Biccse, 1616. április 26.

Sokak hívására hazatér szülőhelyére, itthagyja a biccsei iskolát, melynek igazgatását másfél éve bízta rá Thurzó. Hét évvel ezelőtt kezdte el tanulmányait ugyanebben az iskolában, majd Thurzó jóindulatának köszönhetően megjárta a wittenbergi egyetemet. Mindezért köszönetet mond, reméli, kap megfelelő ajánlólevelet.

Illustrissime Celsissimeque Comes ac Domine, Domine Clementissime, Mecoenas et Fautor studiorum meorum singulari pietate subjectaque humilitate aeternum suspiciende, cum firma diuturnaque corporis valetudine, omnem prosperitatem in augusto ac eminenti statu dignitatis Illustrissimae Celsitudini Vestrae ut et Illustrissimae Dominae, Dominae itidem clementissimae toti denique florentissimae familiae a Deo fonte omnis boni, devota mente precatus studia et officia mea demisse offero.

Illustrissime Celsissimeque Comes ac Domine, Domine clementissime, cum sic Domino Deo disponente et vias meas dirigente, certa et legitima vocatione accepta, regimen Scholae hujus Bytchensis, per Illustrissimam Celsitudinem Vestram tanquam Patronum benignissimum, ante annum cum dimidio mihi demandatum relinquere et Patriae, ad postulatum multorum operam navare debeam: non solum opportuna occasio, verum magis meritorum ac beneficiorum per Illustrissimam Celsitudinem Vestram in me collatorum, magnitudo, animum impulit ad declarandum hoc scripto aliquod documentum gratitudinis. Agnosco enim pro tam eximijs beneficijs me jam pridem ad debitam subjectionem testandam obstrictum esse. Nam cum primum hanc scholam studiorum gratia ante annos 7 ingressus fuissem, mox Illustrissima Celsitudo Vestra laudabili sua munificentia praeter omne meritum clementissime mihi affulsit, meque cum nutriendo tum vestiendo liberaliter promovit. Tandem cum tenuitas sortis ad altiora progressum impediret, pro continuandis studijs Academicis honestos sumtus praebuit et demum in officio hic loci constitutum singulari benevolentiae et gratiae aura sustentavit. Pro hisce omnibus (quoniam et res et tempus justissime id a me poscit atque exigit) tanto ab Heroa liberalissime praestites ingentes atque immortales Illustrissimae Celsitudini Vestrae et habeo et ago gratias. Pater omnis benignitatis eas animi et ingenij vires mihi tribuat, ut quod polliceri non possum, nec ausim etiam referre aliquando possim. Atque ut votis et desiderijs meis eventus respondeat: certe est et erit tam flagrans et ardens in Illustrissimam Celsitudinem Vestram cum omni gratitudine et honore interioris animi affectio, ut quibusvis extimis officijs vel ad necessitatem vel ad cultum paratis atque inventis censeri non debeat.

Me itaque in clientalem semel susceptum in posterum quoque Illustrissima Celsitudo Vestra benevolo complectatur animo et Illustrissimae clementiae auram studijs meis adspiret. Ea enim atque adeo me ipsum Illustrissimae Celsitudini Vestrae humilime commendo, ut illa foveat, mihi faveat et honesto testimonio, quemadmodum confido, ornatum abire faciat.

Deus omnis misericordiae et clementiae Illustrissimam Celsitudinem Vestram cum Illustrissima Domina adeoque cum universa familia, spiritu sancto suo regat, Angelorum exercitu tegat, omni benedictionum genere augeat, et in verae fidei incrementum, in Patriae afflictissimae emolumentum, in bonorum denique omnium solatium quam diutissime servet, felicet, secundet, et tandem post miserias praesentis vitae, futurae beatitudinis coronam donet.
Dabam in schola Bytchensi 26. Aprilis Anni 1616.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae subjectissimus humilimusque
Alumnus

Nicolaus Molitoris Thurocziensis
manu sua

Címzés: Illustrissimo Celsissimoque Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Betthenffalva, Comiti perpetuo de Arwa ejusdemque Comitatus supremo et perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Consiliario intimo et per Hungariam Locumteneti etc. Domino et Mecoenati meo clementissimo.

Árva, II-M/ 29. fasc Nro. 150. Autográf.

147.

Thurzó György Thurzó Imrének
Biccse, 1616. április 26.

Szekeret és két famulust, Tedy Istvánt és Liptay Mártont küldi Imre elé Morvaországon keresztül Wittenbergbe. A kiadásokra 80 magyar forintot adott és megbízta őket, hogy a maradékot adják át fiának. Levelet írt az egyetemnek, amiben köszönetet mondott a fia iránti jóindulatért. Imre köszöntse apja nevében a professzorokat és doktorokat, illedelmesen búcsúzzon el mindenkitől. Bár az út Szilézián keresztül hosszabb, mégis jobbnak látja, hogy fia arrafelé térjen haza. Boroszló gyönyörű város! A különböző fejedelmekhez, hercegekhez, mágnásokhoz ajánlóleveleket küld, akik majd rangjának megfelelően fogadják és ellátják. Tesinben álljon meg, hogy apja kíséretet tudjon elé küldeni, mivel az utak nem biztonságosak. Spiegelnek levelet és búcsúajándékot küldött, 20 körmöci aranyat. Imre is hálás tanítványként búcsúzzon tőle. Szállásadójának szőnyeget küldött ajándékba, fia kívánsága szerint. Otthon nagyon várják. Több levelet nem fog írni. Adja Isten, hogy épségben térjen haza. Édesanyjának szerezzen egy jó orvost.

Illustris ac Magnifice Comes, Fili Nobis dilectissime, Salutem plurimam et affectus nostri paternam oblationem.

Optassemus sane ut integri anni decursum isthic Vitebergae in statione tam pia et honesta exegisses: Verum quia et nos ad senium properamus, et tua eo propendet uoluntas, ut ad patrios redeas lares: Emittimus proinde Currum hunc pro reductu tuo commodum, una cum duobus Aulae nostrae familiaribus, Stephano Tedy et Martino Liptay, quos recta per Marchionatum Morauiae Pragam usque, exinde Vitebergam iter tanquam compendiosius arripere commisimus. Ad expensas dati sunt ijsdem Floreni Hungarici Octaguinta, qui seruitores dum Vitebergam peruenerint, facto cum illis computu quod ex eisdem superfuerit ad te recipere, in Itinereque expendere poteris.

Inclytae Academiae scripsimus literas, cui pro omni in te declarata beneuolentia summas et ingentes agimus gratias: Tu quoque debito modo ac reuerenter admodum eiusdem dominos Doctores et Professores nomine nostro salutes, illisque (quod alias ultro facturum te simus) condecenter valedicas.

Iter etsi longius, nostro tamen judicio tutius per Silesiam suscipere poteris, idque ea quoque de causa, ut situm Regionis illius ac orae uideas atque perlustres, Vratislauie praesertim quae etiam doctorum Virorum ferax, et quasi totius Silesiae ocellus!

Patentes etiam nostras mittimus, quibus fultus, Principes, duces, Magnates et coeteras praestantissimos uiros, qui nostrj uel notitiam haberent uel fama et auditione illis inclaruissemus, compellare, ac per loca minus tuta honestam comitiuam expetere poteris. Scimus tam nostrj quam tui ubique quos requisiueris condignum respectum habituros, ac te amice suscepturos: necessariaque comitiua, sine qua per loca periculosiora nequaquam ire tentes, sumtus etiam moderate facientes ornaturos esse.

Thessinium ubi bono cum DEO perueneris, hic pedem siste, ac unum tabellionem dies noctesque ad nos praemitte, ut reditus tui et praesentiae conscij certos pedites in occursum tibi emittamus, siquidem Syluae et montes Virescunt, locaque illa a Jablonkow huc plerumque nefarijs praedonibus scatere soleant, ut eo tutius ad tuos penates dante Deo redire ualeas; Attamen si a duce Thessiniensi de tali comitiua tibi bene prospectum speres, ut eo citius ad nos peruenias, nobis non erit contrarium.

Domino Magistro Spiegelio et literas et minus valedictorium, Aureos nempe Cremnicienses 20 mittimus, cui ut tu successu temporis maiores agas et referas gratias, tibi tanquam grato ipsius incumbet discipulo. Equo, si huc ille venerat, Equi recepit precium et dum Curru nostrisque expensis hinc ad suos redijsset nostro arbitrio non est, quod de hac sparta cui praefuit queri possit.

Domino Hospiti tuo, uti optabas, similiter in mnemosynon tuae modernae peregrinationis Tapetem unum mittimus, quem, ut aequi bonique consulat, cupimus. Ad alia etiam beneuolentiae indubitata argumenta pro tempore nos experturos paratos et procliues. Plures iam hinc a nobis ne expectes literas: Sed faxit diuina Majestas, ut saluus et incolumis ad nos redire nosque itidem optata fruentes ualetudine reperire ac nobis solatio et afflictae Reipublicae emolumento esse queas. Amen.

Datum in Arce nostra Byttche die 26. mensis Aprilis Anno 1616.

Charissime fili, scribit tibi copiosius Consors nostra charissima, et mater tua dilectissima de procurando aliquo bono et experto Medicinae doctore in eo ut diligenter tuam nauare non negligas operam te paterne moneo ac hortor.

Pater tuus erga te quoad vixerit semper beneuolentissimus
Comes Georgius Thurzo
manu propria

Címzés: Illustri ac Magnifico Comiti Emerico Thurzo de Betthlemffalua, Libero ac haereditario Comiti de Arua eiusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti, nec non Inclytae Academiae Vitebergensis pro tempore Rectori Magnifico etc. Filio nostro vnice dilectissimo. Vitebergam.

Árva, IV-T/ 5. fasc. Nro. 48. Az utóirat és az aláírás autográf.

148.

Izák Láni Thurzó Györgynek
Biccse, 1616. április 28.

Dicséri Thurzónak a külföldi iskoláztatás, a hazai iskolák és egyházak érdekében kifejtett munkásságát. Izák Láni volt az első alumnusai közül, aki a wittenbergi egyetemen filozófiából elnyerte a magiszteri fokozatot. Meghívását a biccsei gimnázium igazgatására elfogadja.

Illustrissime Princeps ac Domine Domine mihi clementissime. Gratiam et pacem a Domino nostro Jesu Christo, cum optimo valetudinis vigore et felicissimo regimine Illustrissimae Celsitudini Vestrae precatus, mea humilima animi servitia offero.

Qvanto serviat decori, Illustrissime Mecoenas Domine mihi benignissime, simul etiam honori felicitatis ciclis[?] gradum assequi conantibus summum, virtus Gratitudinis laudatissima, gratiam suo benefactori reddens, testis esse potest communis magistra experientia, quae beneficium acceptum aeternae memoriae infigendum esse monet, etiamsi Pretium aeqvivalens Deo, patronis et parentibus reddi non possit. Et huc totus recte Philosophantium chorus, suorum verborum splendore collimat, hanc ut Gratitudinem mortalibus persuadeat esse virtutem maximam. Qvibus, acurato mentis discursu, perpensis Illustrissimae Celsitudini Vestrae Nutricio et Domino meo humiliter colendo, qvales et qvantes agam grates, modum in[ve]nio[?] difficillimum. Vt enim silentio tegam Heroicum munificentiae specimen in Illustrissima Celsitudine Vestra cum erga alios Musarum cultores, tum vel maxime domestici Lycaei promotionem uberrim[am] Ecclesiarum defensionem firmam: unicum Principe et Heroe celebrabo factum, in me ipso exhibit[um]. Dum nullo merito eas mihi licuit visere orbis partes, beneficio promotionis copiosissimae ab [Illustrissima] Celsitudine Vestra suppeditatae, ea cognoscere lumina lumina[!] Ecclesiae, per commendationem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, quae alias assecutus fuissem nunqvam. Hanc munificentiam magnificam erga Scholas [et] Ecclesias depraedicant non solum limina Hungariae, sed et regionum exterarum incolae, quibus v[ir]tutes paternas licet conspicere in magno heroe filio, a magnis magnifice commendato. Depraedico et ego, eo quo possum gratiosissimo animo: et qvum desint vires Munificentiae istius spensandae[?], exclamandum mihi esse cum Diogene, aeqvivalens similiter reddere neqveunti puto: Dij larg[e] remunerent Illustrissimae Celsitudini Vestrae, omniaque animi vota compleant.

Easdem qratias cum humilitate animi merito Illustrissimae Celsitudini Vestrae debeo agere, ob[?] ulteriorem promotionem ad altiores honoris gradus: nominatim vero regimen domestici Gymnasij: informationem studiosae juventutis in veris pietatis et virtutum fundamentis. A quo gubernaculo me licet avocet virium imbecillitas, et nondum recuperata sanitas: volu[n]tati tamen Illustrissimae Celsitudinis Vestrae promptus paratissimusque parere volo: eam operam daturus[?] non solum, ut beneficium Academicum aeternae memoriae infigam, maxima cum nominis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae celebratione; sed et juventuti Scholasticae prosim, loci istius celebritatem (p[rae]sertim viribus resumptis) studiorum methodo, atque ordine decenti, non obscurem, sed augeam. Reqvirit enim hoc claritas et nominis celeberrima fama Illustrissimae Celsitudinis Vestrae: optat amicorum et mea conditio, qui in Academia Wittebergensi primus ex alumnis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ornatus sum gradu in Philosophia summo. Cujus ut etiam, et vel maxime Suae C[el]situdinis, habeat rationem, humilimo mentis affectu rogo et supplico; non tam propter auctionem aliqvam salarij, qvam testimonium Heroicae suae clementiae: qvam mei Parentes sensere[?] cumulatissime, antecessores cognovere gratiosissime. Neque enim impellor aeris

aviditate, verum potius gradus distinctione, donata per facultatem Philosophicam in celeberrimo Athenaeo Wittebergensi.

Cum his Illustrissimam Celsitudinem Vestram supremo Numini, in quotidianis precibus commendo, ad prorogationem sanitatis et vitae: utilissimum et felicissimum regimen nostri regni, adeoque protectionem Ecclesiarum et Scholarum diutissimam.

Dabam Bitschae intra privatos parietes 28. Aprilis Anno 1616.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humillimus cliens

Magister
Isaacus Lany Thurociensis

Címzés: Illustrissimo Celsissimo potentissimoque Comiti ac Domino, Domino GEORGIO THVRZO de Betlehem-falwa, Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus perpetuo Comiti, Regni Hungariae Palatino, Sacrae Coesareae Majestatis consiliario intimo et per Hungariam Locum-tenenti Domino Patrono et Nutricio, summa animi promptitudine colendo.

OL E 196. 24. cs. 1. fasc. Nro. 152. Autográf.

149.

Leonhard Hutter Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. május 1.

Imre e levél keltének napján mondott búcsút az egyetemnek. Beszédet tartott és visszaadta az egyetem rektori jelvényeit. Imre Wittenbergben egészséges volt, becsületesen ellátta a rábízott teendőket. Úgy tér haza, ahogy azt családja és hazája elvárja. Megköszöni Thurzó jóindulatát, a ragyogó ajándékokat. Felajánlja szolgálatait. Az alumnusok tanulmányainak előmozdítására mindent megtesz, amit csak lehet.

Illustrissime, Spectabilis ac Magnifice Princeps; Domine Clementissime, mihique debita semper animi observantia ac submissione plurimum colende.

Quod precatus sum a Deo Optimo Maximo tum, cum Illustris et Magnificus Dominus Comes EMERICUS, Comes perpetuus de Arwa etc. Illustrissimae Celsitudinis vestrae Filius unicus et dilectissimus, Dominus meus gratiosissimus, pedem primum in hanc nostram Academiam intulisset; illud hodierna die, qua Illustris ipsius Magnificentia nobis Academicis solenniter valedixit, et Rectoratus Academici insignia publice, et eleganti gravique oratione habita resignavit, consecutum me esse video. Summa caputque voti erat primarium, ut Illustris ipsius Magnificentia, firma prosperaque apud nos usa valetudine, tum Magistratum Academicum pro dignitate sustineret; tum eo feliciter exantlato, domum talis rediret, qualem Illustrissima splendidissimaque Comitum Thurzonum familia sperat et exoptat: imo totum potentissimum Regnum Hungariae maxime desiderat.

Utriusque hujus voti mei, compotem ex asse, DEI beneficio me esse redditum, ex animo laetor, ipsiusque divinae miserationi gratias ago, agamque non quantas quidem immensa beneficij hujus amplitudo exigit: tantas enim persolve-

re, non opis est nostrae: sed quas mens mea concipere potest maximas. Inprimis autem potentissimo Hungariae regno, de tanto Heroe ac principe futuro, toto pectore gratulor. Talem enim illud experietur principem, a quo, (secundum votum illud Serenissimi Aurelij Victoris in vita Ulpiani Trajani) Domi quidem, sanctitatem et Religionem veram; foris in armis fortitudinem: utrobique autem prudentiam singularem, certo expectare, sibique polliceri possit. Nam Illustris ipsius Magnificentia, (quod citra omnem adulationis invidiam scripserim) toto hoc, quo nobiscum versata est tempore, verae pietatis ac Religionis sincerae ardorem minime fucatum, eruditionis solidae cupiditatem, eloquentiae studium indefessum, virtutum practicarum exercitia crebra, morum venustatem cum decenti gravitate conjunctam, ita nobis Academicis singulis et universis probavit: cumprimis autem spontanea subscriptione Libri Concordiae, Ecclesiarum Lutheranarum Symboli augustissimi, de sinceritate in Religione, ita praeclare testata est, ut non possimus non inclyto Hungariae regno bene ominari, et de tali tantoque principe ex animo gratulari, ipsius vero Illustrem Magnificentiam et nunc, et semper faelicissimis votis ominibusque prosequi: dum alia ratione bene de eadem mereri non liceat. Ipse vero DEUS audiat et exaudiat, ratumque esse jubeat, quod vovemus.

Mearum partium quod est, tum Illustrissimae vestrae Celsitudini, tum vero ejusdem Filio unico et dilectissimo, Illustri et Magnifico Domino Comiti, Domino EMERICO etc. Domino meo gratiosissimo, pro innumeris in me collatis beneficijs ac honorarijs splendidissimis, proque Clementissima in me affectione, gratias ago, qua par est animi observantia et submissione maximas, operamque dabo sedulo, enitar, perficiam denique, ut Illustrissimae Vestrae Celsitudines et Magnificentiae mea sibi studia, officia, servitia, quovis loco ac tempore humilima paratissimaque extitisse, reipsa intelligant. Cumprimis autem quicquid ad promovenda juvandaque Alumnorum studia, operae officijque a me proficisci poterit, id promtissimo studio exequar.

Quod superest, Illustrissimam vestram Celsitudinem cum universa familia splendidissima divinae protectioni commendo, felicissimeque salvere, valere, florere ex animo unice cupio.

Scripsi Wittebergae ipsis Calendis Maij Anni 1616.

Illustrissimam vestram Celsitudinem humilime colens ex officio

Leonhardus Hutterus Doctor
manu propria

Címzés: Illustrissimo, Spectabili et Magnifico Domino, Domino Comiti GEORGIO THURZONI de Bethlenffalwa, Palatino Regni Hungariae, Judici Cumanorum, nec non de Arwa perpetuo ejusdemque Comitatus Aruensis supremo ac perpetuo Comiti, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Intimo Consiliario et per Regnum Hungariae Locum-tenenti etc. Domino suo Clementissimo.

Árva, II-H/ 40. fasc. Nro. 51. Autográf.

150.

A wittenbergi egyetem vezetői Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. május 4.

Örültek, hogy Thurzó hozzájuk küldte fiát tanulni, Nagy Károlyhoz hasonlít apai gondoskodásban. Dícsérik Imre állhatatosságát, szorgalmát, törekvését. Az egyetem is igyekezett Thurzóék minden kérését teljesíteni. Kívánják, hogy Imre szerencsésen térjen meg szüleihez.

Illustrissime et Celsissime Princeps, Domine Clementissime Summa cum prolixa studiorum et officiorum, quae a tenuitate nostra proficisci possunt, oblatione et pollicitatione.

Cum peregrinationum et carum potissimum, quae ab hominibus illustribus suscipiuntur, fructus sint multiciples et insignes: Inter eos non postremo loco duos hosce numerandos non dubitamus, quin Illustrissima Excelsitas Vestra nobiscum judicet, Cultum nimirum ingeniorum, et animorum inter diversas nationes coniunctionem atque vnionem. Ad priorem, qui in rerum divinarum atque humanarum scientia consistit, quod attinet, cum eadem Illustrissima Excelsitate Vestra agnoscimus et praedicamus singulare illud misericordiae divinae beneficium, quod postremis hisce mundi temporibus hanc Academiam officinam vult esse, in qua ingenia praeclara excolantur, quorum studio et labore vera religio et artes omnibus in societate humana ordinibus vtiles ac necessariae apud plurimos populos propagentur et conserventur.

De posteriore vero cum cogitamus, etsi non desunt, quae dolorem nobis adferunt justissimum respicientibus ad eos, quorum in semel agnita veritate constantiam desideramus: Tamen illi ipsi dolori multis partibus praeponderat laeticia, quam mutuus cum plurimis consensus in veritatis coelestis professione, Deo pacis et concordiae autore animos nostros conglutinante, in nobis excitare et alere hactenus non desinit. Huius vero fructum, vt porro etiam nobis posterisque nostris stabilem et perpetuum, Christo propitiante, polliceamus, incrementorum intuitu, quibus Academiam nostram divina ornat benignitas, adducimus: Etsi enim hostes Filij DEI, Domini et servatoris nostri JESV CHRISTI, a plurimis iam annis nihil non moliuntur, quod ad scholam hanc deformandam, labefactandam et funditus euertendam pertinere queat: Tamen in eadem tuenda et conseruanda favorem et auxilium Dei omnipotentis experimur praesentissimum et plane mirificum. Ad hunc enim salutarium consiliorum autorem vnicum referimus, quod inter alios Ecclesiae suae nutritores ac Patronos etiam Illustrissimam Excelsitatem Vestram, eiusque Filium vnicum et vnice carissimum, perillustrem et magnificum Comitem Emericum Thurzo etc. ad amorem huius scholae excitavit et inflammavit: Ut et Pater Illustrissimus vota et spes suas Academiae nostrae credere clementer dignatus sit, et Filius inclytus tot avocamenta vitae scholasticae suavitati posthabere animo generoso et heroico voluerit. Carolum Magnum cum celebrent historici, quod maxima liberos cura educarit, studijsque liberalibus institui iusserit, illud addunt, quod eosdem a se dimittere non sustinuerit, cum eorum se consuetudine carere posse negaret. Quantam ergo praedicationem hoc ip-

sum meretur, quod Illustrissima Excelsitas Vestra Filij vnici praesentia suavissima, in hac aetate ingravescente, et gubernationis arduae molestijs in dies augescentibus carere maluit, quam quisquam praetermisisse videri, quod ad praeclaram illius educationem et institutionem momenti aliquid afferret.

Nos vero vt obvijs quod aiunt, animis tantum Academiae nostrae Alumnum excepimus, vt operam pro tenuitate nostra sedulam dedimus, ne quod officij genus tanti Herois Filio tantae spei et expectationis deesse pateremur; ut nihil magis in votis habuimus, quam vt ornamento tam jllustri quam diutissime frui Academiae nostrae liceret: Ita primum quidem non possumus non magnopere praedicare perillustris et magnifici Comitis Emerici studium ardentissimum, quod temporis apud nos agendi breuitatem perpendens, nullam illius partem inutiliter elabi permisit, qua de re cum testificationem, Academiae secunferat religiosa fide conscriptam, nunc breviores sumus.

Deinde vero etsi longe minora agnoscimus et fatemur esse officia perillustri Magnificentiae Suae a nobis exhibita, quam vt uoluntati desiderioque nostro respondeant, aut praedicationem vllam mereantur: Tamen et affectionem Illustrissimae Excelsitatis Vestrae quam literis clementissime rursum scriptis abunde declaravit, debita cum observantia accipimus, et de absolutissima ipsius Comitis Emerici bonitate et humanitate perpetuam nobis pollicemur in amanda, fovenda, ornandaque huius Academiae dignitate benevolentiam. Ea quippe nobis reliquit animi nobiscum in profitenda et propugnanda Orthodoxae Euangelicae religionis veritate ac sinceritate consentientis τεκμηρια, vt vinculum hoc concordiae sanctae sempiternum, Deo prosperante, futurum persuasissimum nobis habeamus. Eaque ipsa res facit, ut meliorem in partem interpretaturam Illustrissimae ipsius Magnificentiae omnino confidamus, si qua in re minus forte, vt homines sumus, quam par erat, in praestando officio vigilavimus.

Postremo Deo aeterno et omnipotenti laudes gratesque agimus immortales, quod Illustrem Comitem Emericum vna cum officiarijs et comitibus huius peregrinationis literatae salvos et incolumes praestitit, et Rectoratum praeclarissime gestum ad finem perduxit exoptatum, Eundemque aeternum Deum veneramur supplices, vt hinc abeuntibus Angelos suos eisdem addat duces et comites, quorum praesidio muniti et protecti iter longinquum et difficile feliciter ingrediantur et conficiant. Faxit divina benignitas, vt quemadmodum Jacobum Patriarcham incolumitate ac felicitate Josephi, Filij vnice dilecti perspecta, a tristicia pristina velut e morte revocatum et vigori pristino restitutum sacrae narrant literae. Ita conspectu complexuque Filij vnice carissimi desideratissimo exhilarata Illustrissima Excelsitas Vestra vigore novo animetur et corroberetur, et hoc suffulta scipione longo adhuc tempore suis consilijs et actionibus salutem Patriae dulcissimae adjuuet ac promoveat.

Oppugnatur quidem vndique coetus ille exiguus, qui Filium Dei JESVM CHRISTVM, aeterno Patri ομουσιον και συναιδιον agnoscit, colit, invocat. Et quo breuius in dies tempus se habere scit, ea furiosius per organa sua saevit diabolus. Verum cui potestas omnis in caelo terraque data est, qui ad finem vsque seculi se perpetuo suis ad futurum promisit, qui promissionem hanc tot seculis

reipsa impleuit, Is Ecclesiam suam in extrema senecta non deferet, jmo quanto magis illa humanis videtur destitui praesidijs, tanto gloriosius illius patrocinium sibi cordi esse declarabit.

Huius clementiae et protectioni Illustrissimam Excelsitatem Vestram cum inclyta familia precibus pijs commendantes, eiusdem gratiam ac favorem constantem Academiae nostrae nobis vniversis et singulis devote exoptamus et precamur.

Datae Wittebergae, IV. Nonae Maias Anno MDCXVI

Illustrissimae Excelsitatis Vestrae studiosissimi et observantissimi
Rector Magistri et Doctores
Academiae ibidem.

Címzés: Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Betthlemffalua, Regni Hungariae Palatino, Iudici Cumanorum, nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis intimo Consiliario et per Hungariam Locum tenenti etc. Domino nostro clementissimo.

Thurzó György kezével: Literae variae, tempore reditus filij Vitemberga per eundem filium nostrum charissimum allatae 2. die Junij 1616.

OL E 196. 24. cs. Nro. 125. Eredeti.

151.

Balthasar Meisner Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. május 5.

Amennyire örült Imre Wittenbergbe érkezésének, annyira szomorú most, hogy elmegy. Thurzó kérésére minél előbb hozzálát a Pázmány-könyv cáfolatához. Azt kéri, hogy a választófejedelemmel tudassa ezt, nehogy úgy tűnjék, hogy a saját akaratából, a tanácsosok ellenében lát munkához. Ha a Pázmány mű egy részét megkapja, elkezdi a munkát.

ILLUSTRISSIME COMES AC PALATINE, DOMINE CLEMENTISSIME, Celsitudini Vestrae Felicitatem perpetuam cum humilima servitiorum pollicitatione ex animo precor.

Quemadmodum laetata est tota haec Academia ob adventum Illustris ac Magnificentissimi Comitis, Domini EMERICI THURZO de Betthlemffalwa etc., Celsitudinis Vestrae filij unici, Domini nostri clementis et gratiosissimi, sic non possumus non ob discessum Eius quamplurimum affeci et dolere. Sidus clarissimum fuit, quod splendorem communicavit. Decus amplissimum fuit, quod scholam hanc exornavit. Caput magnificum fuit, quod laudabiliter gubernavit. Tot igitur bona in uno amittimus orbati splendore, ornamento et Gubernatore eximio.

Verum hoc me cumprimis animat, quod absens etiam jubare suo nos collustrabit. Ut enim Sol illuminat terram, licet remotus ab illa, sic Sol noster Academicus discedit quidem corpore, radios tamen, quos semel sparsit, nunquam a

nobis subtrahet. Discedat igitur divinis laetisque auspicijs, Comitentur caelestes Mahanaim, Incolumem sistat Eius Magnificentiam Altissimus, et in patriae emolumentum piorumque patrocinium diutissime florentem conservet.

Caeterum Celsitudinis Vestrae voluntatem clementissimam de refutando libro Pasmanniano debita cum reverentia intellexi, et meam quidem infirmitatem agnosco, proculque dubio ab alijs et eruditius et nervosius responderi posset, piaculum tamen duco Celsitudini Vestrae refragari, quippe cuius debitorem, imo servitorem me esse ad quaevis obstrictum ingenue fateor. Unum duntaxat, si fas esset, rogarem humilime, ut Serenissimi ELECTORIS nostri aulae illud ipsum notificetur, ne sponte laborem hunc suscepisse, et alia scripta, quae Domini Consiliarij a me volunt confici, consulto dataque opera contra eorum voluntatem intermittere velle videar. Qua significatione praemissa quamprimum aliquam codicis Pasmanniani partem accepero, manum operi admovebo, nixus non viribus meis, quas scio nullas esse, sed tantum auxilio Jehovae, quem devote invoco, ut Celsitudinis Vestrae Zelum magis magiisque augere, in veritate sua sanctificare, et omni benedictionum genere cumulatissime implere nunquam desinat.
Dabam Wittebergae, die V. Maij anno Christi MDCXVI.

Illustrissimam Celsitudinem Vestram humilime colens
Balthasar Meisnerus
Doctor

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino GEORGIO THURZO de Betthlemffalwa, PALATINO Regni Hungariae et Judici Cumanorum, nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus Arvensis Supremo ac perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Consiliario intimo et per Hungariam Locumtenenti, Domino mihi clementissimo.

Árva, II-M/ 19. fasc. Nro. 54. Autográf.

152.

Johann Wanckel Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. május 5.

Az elmúlt évben érkezett meg az akadémiára Thurzó egyetlen fia. Kötelezte magát akkor, hogy mindent megtesz érdekében. Most őszintén örül, hogy képes volt teljesíteni azt, amire vállalkozott. Imre most elbúcsúzott tőlük. Hihetetlenül gyorsan repültek el a boldog órák. Kéri, hogy emlékezzenek rá jó szívvel.

Salutis voto et submissa officiorum pollicitatione praemissa.

Sic est, illustrissime Princeps, Domine clementissime, quemadmodum ante tot secula cecinit VIR DEI Moses, Consumsimus annos nostros tanquam sermonem et confabulationem. Qui enim colloquendi gratia conveniunt, plerunque tempus ei rei destinatum jam elapsum animadvertunt, quando vix initium sibi videntur sermocinandi fecisse, et diu speratam ablectationem ac suavitatem ante expectatum abrumpere coguntur.

Equidem cum superiore anno illustrissimae Excelsitatis Vestrae Filius unicus et unice carissimus, illustris et Magnificus Comes Emericus Thurzo ad Academiam nostram accederet, futurum mihi spondebam, ut cum illius inclyta Magnificentia ad satietatem usque conversandi et literata colloquia instituendi facultas mihi quam diutissime daretur. Ac sane cum tenuitatem meam cogito, abunde votis meis satisfactum laetor mihique gratulor. Si quis enim alius ex Collegis liberum habuit ad illustrem Magnificentiam Suam accessum etiam eo ipso tempore, quo personam gessit publicam, Ego quoque supra votum mihi satisfactum gloriari possum, quippe cujus etiam parvosque lares humilisque subire Limina Musei tantum Heroem non piguit aut puduit, quod in singularis beneficii loco jure meritoque numero, et quoad vixero, numerabo.

Verum dum ab initiis istis diuturniores imaginor progressus, jam finem advenisse intellego, et illustrem ac Magnificum Comitem Emericum Academiae nostrae Vale dicere audio. O, celeritatem felicium horarum incredibilem! Sed bene habet. Indulsit jam divina benignitas votis omnium, quod exoptatum fuit unice. Annum prope integrum Academia nostra cum incomparabili suo ornamento Alumnum habuit ejusmodi, quales an ab exortu suo ullos habuerit, aut deinceps visura sit, ac sperare debeat, haud facile dixerim. Carissimorum suorum absentiam illustris Magnificentia sua pensavit consuetudine virorum doctorum, fructusque inde collegit, qui in vita deinceps universa usum habere queant salutarem.

Quid ergo reliquum, nisi ut sibi suisque redditus illustris et Magnificus Comes Emericus, et Parentes illustrissimos laeticia perfundat desideratissima, et Patriae universae spem et expectationem Christo duce et auspice implere ac superare incipiat, immo vero magis in dies magisque pergat. Quod ipsum, ut praestantem cumulatissime illustrissima Excelsitas Vestra per annos plurimos aspiciat et gaudeat, ex animo voveo, opto, precor, et ut favore Wanckelium perpetuo prosequi dignetur, ea, qua par est, animi humiliter devoti observantia peto et oro.

DEUS aeternus et omnipotens illustrem et Magnificum Comitem Emericum una cum universo comitatu in itinere hoc per Angelos suos incolumem salvumque praestet, et ad Suos carissimos hilarem omniumque votorum compotem perducat, et ad divini nominis sui gloriam Ecclesiaeque et Patriae decus ac praesidium florentem per annos conservet innumeros. Et illustrissimam Excelsitatem Vestram cum inclyta familia quam diutissime feliciter valere velit, jubeat, faciat.
Wittebergae, V. die Maji anno MDCXVI.

Illustrissimae Excelsitatis Vestrae humiliter devotus cliens

Johannes Wanckelius
manu propria

Címzés: Illustrissimo Principi, Comiti Georgio Thurzo de Betthlehemffalwa, Regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, nec non de Arwa perpetuo ejusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumtenenti. Domino suo clementissimo.

Árva, II-W/ 1. fasc. Nro. 53. Autográf.

153.

Ostrosith János Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. május 13.

Gratulál hazainduló fiához. Ami őt magát illeti, jól van.

Illustrissime Comes domine, domine et Patrone mihi benignissime, Salutem et felicitatem Illustrissimae Vestrae Celsitudini precatus, eidem humilima mea servitia submississime defero.

Etsi animi pariter atque status mei interpretem ac testem locupletem habeo in Illustri Domino Comite Emerico Thurzo ex Academia nunc in Patriam aulam redeunte, Tamen ad scribendum utar ea occasione tanto libentius, quanto plus materiae mihi suppedit ad gratulandum. Gratulor igitur <de> Illustrissimae vestrae Celsitudini de filio praeclarissimis virtutibus ornato et varijs doctrinae dotibus aucto. DEUS ipsum Illustrissimae Vestrae Celsitudini patriaeque longum sospitare velit. Meum statum quod attinet, mediocris is est et eiusmodi, pro quo gratias ago DEO meo immortales. Is Illustrissimam Vestram Celsitudinem benedictione sua aeternum complectatur, mihique incomparabilem patronum quam diutissime conservet.
Wittebergae, 13. Maij Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Servitor humilimus

Johannes Oztrozith
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti ac domino, domino Georgio Thurzo de Bettlemffalwa, Comiti perpetuo de Arwa ejusdemque Comitatus perpetuo ac supremo Comiti, Palatino Regni Hungariae et Judici Cumanorum, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis intimio Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino et Patrono mihi benignissimo.
Árva, II-O/ 16. fasc. Nro. 59./a. Autográf.

154.

Erasmus Schmidt Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. május 14.

Thurzó Imre, miután a téli szemeszterben az egyetem rektora volt, most haza indult. Wittenbergben mindvégig egészséges maradt, annak ellenére, hogy járvány volt. Köszönetet mond Thurzónak, amiért kitüntette azzal, hogy fiát rá és Meisnerre bízta. Betegsége, a négynapos váltóláz nem engedte, hogy úgy lássa el feladatát, ahogy szerette volna. Spiegel, Armpruster és Thurcsányi becsületesen végezték feladatukat. Imre őt többször is meglátogatta, emberségéről téve tanúbizonyságot. Április 25-én pedig Spiegel számára megkérte Schmidt mostohalányát, ami nagy megtiszteltetés

volt számukra. Mostohalánya, aki Michael Reichard egykori wittenbergi szónoklattan professzor édeslánya, június 28-án kel egybe Spiegellel. Kéri Thurzót, képviseltesse magát az esküvőn az egyik professzorral.

Illustrissime Celsissimeque Princeps ac Domine, Domine Clementissime, Salutem a Rege Regum et Domino Dominantium Illustrissimae Vestrae Celsitati animitus precor, et mea qvaliacunqve servitiola offero.

Redit cum Bono Deo ad Vos in Patriam desideratissimam Perillustris et Magnificus Filius Vester, Dominus Comes EMERICUS THURZO etc., Dominus meus Gratiosissimus, postqvam Rectoratu huius Academiae per semestre hoc hybernum functus est qvam laudatissime, ita, ut Iuventus ipsius in aetate provectiore Nestorem aliqvem promittat. Vixit sanus et bene valens toto hoc tempore. Pro qvo beneficio Deo meo saepius egi gratias, qvod etiam tum, qvum morbus epidemius hic grassaretur, tamen Illustrissimam Eius Magnificentiam salvam et incolumem benigne conservavit. Deus Ipsi comes adsit in toto hoc itinere, et per omnem vitam Ei benedicat, ut sit maneatque columen Patriae et imitatione Paterna Dei gloriam ac multorum hominum salutem promoveat.

Vestrae autem Illustrissimae Celsitati, Princeps Serenissime, Domine Clementissime, humillimas ago gratias, qvod eo honore me dignata fuerit, ut Filij Suj Generosissimj Inspectionem specialem una cum Reverendo Domino Doctore Meisnero mihi humillime demandavit. Utinam vero huic functionj per valetudinem meam ita praeesse potuissem, ut voluissem et debuissem. Sed, proh dolor, ita me in trigesimam octavam septimanam in hunc usqve diem excruciavit Febris Quartana, ut obire partes meas non satis potuerim. Oro proinde qvam humillime, ne Illustrissima Vestra Celsitas mihi ideo succenseat, qvum mutare non potuerim id, qvod cum magna molestia decumbenti mihi ferendum fuit, praesertim qvum et Dominus Magister Spiegelius et Nobilis Armbrusterus et Nobilis Thorczanj officium suum pro fide abunde praestiterint. Caeterum toto hoc tempore mire me recreavit insignis humanitas Illustrissimj et Magnificentissimj Domini Rectoris, Domini Comitis EMERICI etc., qvi non tantum semel atqve iterum gratiosissime me invisit, sed etiam proximo die 25. Aprilis /5. Maij Clarissimo Domino Magistro Jeremiae Spiegelio Privignam meam in matrimonium honestum petentj pronubus fuit. Pro qva singularj Illustrissimae eius Magnificentiae humanitate gratias ago humillimas, Atqve haec ipsa causa novum scribendi argumentum mihi parit.

Celare qvippe Illustrissimam Vestram Celsitatem nec possum, nec debeo Deo sic disponente et maturo consilio habito despondisse me Privignam meam Virginem Annam, Clarissimi qvondam Domini Magistri Michaelis Reichardj, oratoriae hic Professoris piae memoriae Filiam, Viro Clarissimo et Praestantissimo Domino Magistro Jeremiae Spiegelio itidem Oratoriae Professorj, et dictum esse Nuptijs publice celebrandis diem 18./28. Junij. Qvia autem recordor et Illustrissimam Vestram Celsitatem Generum meum, Dominum Magistrum Spiegelium magnis beneficijs cumulate affecisse, et mihi singularem gratiam praeter meritum meum exhibuisse, et Illustrissimae Vestrae Celsitatis Filium Perillustrem et Magnificem Comitem, Dominum Emericum Thurzo etc. eo usqve humanitatis sese demisisse, ut sponsi Interpres esse et

nomine ipsius Filiam meam ambire non dedignatus fuerit. Aeqvum omnino censeo a Vestra Illustrissima Celsitate hoc orare, et si potero exorare, ut honoribus et nuptijs Filiae meae praeter priora in nos merita hoc etiam addere Clementissime velit, ut alicuj Professorum huius Academiae Personam suam Illustrissimam et Celsissimam ad dictum diem 18./28. Junij in Nuptiarum solennitate repraesentandi partes deferre non dedignetur. Qvod ut νεογαμοις nostris et nobis maxime honorificum futurum est, ita vicissim qvibuscunqve in rebus nostram observantiam subjectissimam declarare poterimus, non omittemus. Bene Vale, Princeps Illustrissime ac Celsissime, Domine Clementissime, et nostrae familiae humillimae perpetuum fave.
Perscribebam Wittebergae, die 4./14. Maij Anno Christiano MDCXVI.

Illustrissimae Celsitatis Vestrae humillimus
Magister Erasmus Schmidt

Címzés: Illustrissimo Celsissimoque Principi ac Domino, Domino Comiti GEORGIO THURZO de Betthlenffalwa, Palatino Regni Hungariae, Judici Cumanorum, nec non de Arwa perpetuo Eiusdemque Comitatus Arwensis supremo ac perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Intimo Consiliario et per Regnum Hungariae Locumteneti etc. Domino meo clementissimo.
Árva, II-S/ 4. fasc. Nro. 59. Autográf.

155.

Jeremias Spiegel Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. május 14.

Házasodni kíván, leendő felesége Anna Reichart, Michael Reichart úrnak, a wittenbergi egyetem egykori ékesszólás professzorának a lánya, Erasmus Schmidtnek a mostohalánya. A házasságkötés napja június 28-a lesz. Kéri Thurzót, képviseltesse magát az esküvőn. Küld két traktátust: az egyik a jezsuiták aforizmái, a másik pedig titkos üzelmeikről szól.

Illustrissime Comes ac PALATINE, domine, domine clementissime, SALUTEM ac felicitatem Illustrissimae Vestrae Celsitudini precatus Eidem humilima mea servitia offero.

PLURA homini evenire, quae non vult aut sperat, quam quae sperat, olim legi, nunc meo exemplo doceor. Qui enim a matrimonij ineundi proposito plane hactenus et serio semper aversus fui, nunc magnorum virorum et amicorum consilio seu occulta potius divinae providentiae dispositione eo adducor, ut re deliberata lectissimae et pudicissimae Virgini ANNAE Reichartae, Viri olim Clarissimi atque Excellentissimi Domini Magistri Michaelis Reicharti, Eloquentiae in hac Wittebergentium Academia Professoris Piae Memoriae Filiae, Clarissimi atque item Excellentissimi domini Magistri Erasmi Schmidij privignae fidem matrimonij dederim, quodque FELIX FAUSTUMque SIT. Nuptiali solennitati diem 18./28. Junij dixerim. Cui cum post DEI immortalis praesentiam nihil magis ap-

precer, quam aliquem saltem ex Illustrissimae Vestrae Celsitudinis splendore radium. Humilime illam quaeso atque obtestor, ut per mandatorium saltem sive Baronem hic nostrum, sive professorem, sive quemcunque alium honoratum clementer affulgeat. Cedet ea res divini ordinis honori, Vestrae Celsitudinis laudi, meae meorumque honestati et immortali beneficio. DEUS servet Illustrissimam Vestram Cellsitudinem et ad supplices hasce preces meas exaudiendas inclinet! Wittebergae die 14./4. Maij Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Humilimus Servitor
Magister Jeremias Spiegelius
Oratoriae Professor Publicus

Post scripta: Illustrissime Domine Comes, mitto tibi Aphorismos Jesuitarum et tractatum de abstrusioribus studijs ipsorum. Ac cum uterque tractatus et uerissimus, et breuissimus, et ceu quinta essentia mysterij illius iniquitatis 2 Tessal: 2 praedicti extracta sit, quaeso diligenter legito, et cum fidelibus CHRISTI, ut extante Babilone communicato.

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, DOMINO GEORGIO THURZO de Betthlemffalwa, Comiti de Arwa Eiusdemque Comitatus Comiti Perpetuo etc., Regni Hungariae PALATINO, Judici Cumanorum, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam LOCUMTENENTI etc. domino Domino meo clementissimo.
OL E 196. 24. cs. 2. fasc. Nro. 109. Autográf.

156.

János György Thurzó Györgynek
Drezda, 1616. május 31.

Megkapta Thurzó levelét és azzal együtt a három hordó kiváló tokaji bort. Köszönetet mond az ajándékért. Felajánlja viszontszolgálatait.

DEI gratia Johannes Georgius, Saxoniae, Juliae, Cliuiae ac Montium dux, sacri Romani Imperij Archimarscallus et Elector. Salutem nostram cum beneuolentia coniunctam, Generose Domine, inprimis nobis dilecte, tibi clementer adscribimus.

Redditae nobis tuae sunt literae una cum transmissis tribus dolijs uini praestantissimi Thokaiensis, ex quibus omnibus singularem tuam erga nos affectionem satis depraehendimus.

Licet autem a nobis erga Tuam Generositatem ac in filium, qui nobis ob animi et corporis dotes commendatissimus est, nihil praestitum, quod gratiarum actione et tanto dono dignum esset, attamen cum tibi ita placuerit, praefatum nobile uinum transmittere grato accepimus animo, ac uicissim oblata occasione tibi tuisque benefacere studebimus. Tuam etiam Generositatem cum filio totaque familia recte et prospere ualere cupimus, eidemque omnia fausta et foelicia optamus.

Datae in arce nostra Dresdensi, ultima mensis Maij die Anno 1616.

Johannes Georgius
Elector

Címzés: Generoso, inprimis nobis dilecto, Domino Georgio Thurzo de Bethlenfalwa, Regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, nec non de Arua eiusdemque Comitatus perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis intimo consiliario et per Hungariam locum tenenti.

Thurzó György kezével: Exhibitae in Arce Arwa 20. Jullij 1616.

Árva, II-J/ 2. fasc. Nro. 61. Eredeti.

157.

Friedrich Balduin Thurzó Imrének
Wittenberg, 1616. június 10.

Üdvözli Imrét hazatérése alkalmából, ami családjának és hazájának is nagy boldogság. Barátai közül Oberla meghalt, Wanckel pedig súlyos beteg.

Salutem et observantiam cum precibus meis precor et offero ab Autore salutis nostrae Jesu CHRISTO.

Etsi hoc quidem tempore, Perillustris et magnifice Domine Comes, EMERICE THURZO, Domine gratiosissime, nullum mihi succurrit scribendi argumentum, quod non cum multorum literis, quae sine dubio hac occasione optatissima magna copia advolabunt, commune habeam, jnanes tamen potius, quam nullas mittere voluj, et inter congratulantes postremum occupare locum, quam ex eorum numero me excludere. Neque enim animi mei sensa celare possum, sed ingenue fateor exiluisse <animi> cordis mei fibras appropinquante illo die, quo Illustrissima Tua Magnificentia ad patrios penates appulisse non obscure conijciebatur. Nam quod a Deo praepotente publicis privatisque precibus supplices hactenus rogavimus, quod voverunt multi boni, quodque universa patria vestra in vo

tis et optatis habuit, ut nimirum Illustrissima Tua Magnificentia sub praesidio sanctorum Angelorum ad paternos amplexus salva incolumisque reverteretur, id nos omnes πιστι, quod aiunt, μετρω iam impetrasse confidimus. Quo nomine Deo immortali gratias inprimis ago ex intimis animi suspirijs maximas. Tuae vero inclytae Magnificentiae, ut et Celsissimis Splendidissimisque Dominis parentibus ex sententia animi gratulor. Quae fuerint Illustrissimi Domini parentis gaudia, quae inclytae Dominae matris tripudia, quae propinquorum acclamationes, qui denique totius Regni applausus et tamen non triumphi, cum Illustrissimam Tuam Magnificentiam velut ex literario quodam praelio ovali corona cinctam redire viderent, quasi eminus videre mihi videor, votaque mea votis ipsorum misceo. Vivat Comes EMERICUS THURZO, et in bonum publicum salveat, Patriae Columen, Bonarum literarum lumen, Ecclesiae praesidium, Parentum gloria, Academiae nostrae ornamentum, et quod pace Vestra mihi addere liceat, meum quo-

que dulce decus et solatium. Ita enim Illustrissimam Tuam Magnificentiam absque adulatione magno suo merito compello, et pro tanto Ecclaesiae bono Deo meo quotidie supplex fieri non desino, quanquam hic Epistolium meum desinat, quod nihil aliud esse voluj, quam mei in Illustrissimam Tuam Magnificentiam amoris praedico, observantiae vero testem. Nam quod Magister Oberla diem suum obierit, Magister Wanckelius vero letaliter decumbat, et si qua forte alia sunt apud nos, aliorum forte literae, vel eorum latores referent. Ego hic abrumpo, ne Illustrissimae Tuae Magnificentiae diutius molestias facessam, cujus me favori atque gratiae Ipsam vero cum Inclytis Dominis parentibus, quin et familiam universam longe laudatissimam divinae protectjoni serijs animi suspicijs commendo. Wittebergae, a. diem 10. Junij Anno Christiano 1616.

Illustrissimae Tuae Magnificentiae cum observantia addictus
Fridericus Baldvinus Doctor
manu propria

Címzés: Perillustri, generosissimo ac magnifico Domino, Domino EMERICO THURZO, Comiti de Bethlemffalwa, Libero ac haereditario Comiti de Arva Eiusdemque Comitatus Arvensis supremo et perpetuo Comiti, Illustrissimi Domini Palatini Hungariae Filio unico etc. Domino meo clementj.

OL E 196. 30. cs. Nro. 16. Autográf.

158.

Ostrosith János Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. június 21.

E hó 21-én megkapta Thurzó levelét, ebből megértette, hogy mi a feladata Spiegel esküvőjén: át kell adnia ajándékait. Örül, hogy Thurzó szolgálatára lehet, és igyekszik a rábízottakat jól végrehajtani: Az esküvő a következő hét csütörtökén lesz.

Illustrissime Comes ac Domine, domine et Patrone mihi gratiosissime, Salutem et felicitatem Illustrissimae Vestrae Celsitudini precatus, eidem servitia mea humilia submisse defero.

Literae Illustrissimae Vestrae Celsitudinis vicesima prima huius mihi redditae sunt, benevolentiam benignissimam spirantes et favorem, quo Illustrissima Vestra Celsitudo meas excepit, meque benigne prosequitur. Studijs namque meis successum precatur Illustrissima Celsitudo Vestra exoptatum ita, ut eorundem tela feliciter pertexatur. Gratias ago pro voto hoc, quas mente concipere valeo, humilimas Illustrissimae Vestrae Celsitudini, ut indignum me tanto favore ingenue profiteor. Ex ijsdem literis etiam benignum Illustrissimae Vestrae Celsitudinis mandatum percepi, quo mandat nuptijs Clarissimi domini Magistri Jeremie Spiegelij ut intersum, et munus Illustrissimae Celsitudinis Vestrae eidem praesentem. Indignum licet et hic me iudicem, Gaudeo tamen has partes mihi ab Illustrissima Celsitudine Vestra esse iniunctas, cum data mihi occasio, qua vel mi-

nimo servitiolo observantiam debitam et humilimam Illustrissimae Celsitudini Vestrae declarare queam. Mandatis enim Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, ut humilimis servitijs ubique satisfacere mens est, ita etiam hoc promto, ut submisso animo exequar, sponto sponevae munus clementer transmissum offerri, et quae aliis Illustrissima Celsitudo Vestra benigne requivit, peragam. Utinam atque itero utinam id genus benevolentiae benignissimae unquam tanta animi submissione, quanta cum benevolentia benignissima ab Illustrissima Celsitudine Vestra profectum agnoscere valerem. Nuptiae nondum celebratae sunt, celebrabuntur tamen ad diem martis septimanae futurae, qui huic festivitati sacer. Iam finio hoc cum animi voto. Deus trini-unus Illustrissimam Celsitudinem Vestram diurnet, benedicat eidem, et in salutem rei christianae conservet. Quod restat humilime rogo, ut mihi sub patrocinij benignissimi Illustrissimae Vestrae Celsitudinis umbra quiescere diu liceat, cui etiam me commendo et Illustrissimam Celsitudinem Vestram cum Illustrissima domina coniuge totaque incluta familia DEO Optimo Maximo.
Datae Wittebergae, 21. Junij Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Servitor humilimus
Johannes Oztrozith
manu propria

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, domino Georgio Thurzo de Betthlehemffalwa, Comiti perpetuo de Arwa eiusdemque Comitatus perpetuo ac supremo Comiti, Palatino Regni Hungariae et Judici Cumanorum, Sacrissimae Caesareae Regiaeque Majestatis intimio Consiliario et per Hungariam Locumtenenti etc. Domino et Patrono mihi summo gratissimo atque benignissimo.
Árva, II-O/16. fasc. Nro. 151. Autográf.

159.

Az orvosi kar dékánja és tanárai Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. július 30.

Jeremias Spiegeltől értesültek Thurzó azon kéréséről, hogy a fakultás ajánljon számára egy megfelelő orvost. A képzett medikusok között sokan nem rendelkeznek kellő gyakorlattal. Akik igen, azok már többnyire letelepedtek, s nemigen hagyják el családjukat. Az anhalti Bemburgból származó Christian Mollenhaver alkalmasnak látszik erre a feladatra. Doktori ismereteit a wittenbergi, majd a heidelbergi és marburgi egyetemeken szerezte, ezután az anhalti herceg orvosa mellett volt öt évig. Méltányos feltételek mellett el is vállalná a feladatot. A megbízásra alkalmasnak látszik még a brassói Andreas Ziegler is, aki négy évvel ezelőtt szerzett Wittenbergben doktori fokozatot. Jelenleg hazájában praktizál, de az ottani körülmények miatt, amelyek Thurzó előtt is ismertek, kész onnan eljönni. Ha őt választja, remélik hasznára válik.

Illustrissime Comes ac Palatine, Domine benignissime, Salutem ac felicitatem perpetuam Illustrissimae Vestrae Celsitudini precamur, humiliaque nostra studia subjectissime deferimus.

Illustrissimam Vestram Celsitudinem a Collegio nostro postulare, ut Medicum sibi idoneum, quique et arte et usu valeat, nominemus ex Collega nostro, Clarissimo Magistro Jeremia Spigelio intelleximus. Vtque ad quaevis humilima servitia Illustrissimae Vestrae Celsitudini praestanda sumus promtissimi paratissimique, ita nunc omnem dedimus operam, ut etiam illius voluntati satis facere possemus. Etsi vero Medicorum passim non exiguus reperiatur numerus, tamen non una illorum est conditio. Sunt enim, qui arte et scientia Medicinae valent, usu destituuntur. Sunt, qui utrumque habent, sed hi ita rem familiarem fixerunt, ut difficulter, aut minime inde, ubi ipsis bene est, moveri se patiantur. Quorum illos periculose, hos vero frustra Illustrissimae Vestrae Celsitudini nominaverimus.

Circumspicientibus autem et inquirentibus nobis in idoneum commendatur a Clarissimo Viro, Domino Magistro Jacobo Martini, Collega nostro, cui familiariter notus est, Vir Clarissimus CHRISTIANUS MOLLENHAVERUS Berenburgensis Anhaltinus, noster olim auditor. Is cum Medicinae scientiam in hac nostra Wittebergensi, tum in Heidelbergensi quoque et Marpurgensi Academia comparasset, Principis Anhaltini Medico per quinquennium affuit, et praxin ipse ab eo tempore, ut passim praedicatur, feliciter exercuit. Is ergo praeterlapsa Septimana cum a nobis rogaretur, velletne operam, si vocaretur, Illustrissimae Vestrae Celsitudini addicere, nihil omnino aeqvis conditionibus denegavit.

Est praeterea nobis notus Vir Clarissimus ANDREAS ZIEGLERUS, Corona Transsylvanus, qui ante quadriennium Doctoris gradu a Facultate nostra ornatus est. Is, etsi in praxi sua fortunam in patria non mediocrem expeditur, tamen, si alibi commoda aliqva occasio ipsi offerretur, patriam ob causas domi notas, eum facile relicturum e literis ad Collegas datis intelleximus. Si ergo hunc Virum Illustrissimae Vestrae Celsitudini ad se ex loco viciniore vocare placeret, speramus nec illum Illustrissimae Vestrae Celsitudini suam operam denegaturum, idque non sine valetudinis eius commodo futurum. Quam Illustrissimae Vestrae Celsitudini optimam perpetuamque precati, humilima nostra servitia eidem consecramus.

Wittebergae, die 20./30. Julij Anno 1616.

Illustrissimae Vestrae Celsitudini Addictissimi
Decanus, Senior, et Professores
Facultatis Medicae
in Academia Witebergensj

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Georgio Thurzo de Bettlemffalwa, Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus Comiti perpetuo etc Regni Hungariae Palatino, Judici Cumanorum; Sacratissimae Caesareae, ac Regiae Maiestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locum Tenenti, Domino nostro clementissimo.

OL E 196. 37. cs. Nro. 12. Eredeti.

160.

Balthasar Meisner Thurzó Györgynek
Wittenberg, 1616. október 7.

Levelére már régen kellett volna válaszolnia, de ebben láza és köszvénye megakadályozta. Hoë úrtól értesült, hogy a szász választófejedelem engedélyezte neki a Thurzónak tett ígéret teljesítését. Így hát kéri, hogy Pázmány írását latin nyelvre lefordítva küldje el neki, hogy megcáfolhassa.

ILLUSTRISSIME COMES AC DOMINE, DOMINE mihi clementissime, Salutem et pacem cum humilima servitiorum oblatione sincere adprecor.

Ad ultimas Celsitudinis Vestrae literas iamdudum respondere ut debui, ita sane ex animo optavi. Verum hactenus facultas defuit, non quidem ob raritatem tabellionum, sed ob infirmitatem virium, quas ita dispondente Domino partim aestus febriles, partim arthritici dolores vehementissimi, quos in quartum jam mensem sustineo, fere omnis exhauserunt. Nunc autem cum per Altissimi gratiam e morbo illo paululum eluctari incipiam, responsum non esse diutius differendum censui, ne forte animum mutasse, et laborem promissum subterfugere velle videar. Optime enim recordor, quae Celsitudinis Vestrae clementissima sit voluntas, cui etiam me satisfacturum nuper sum pollicitus. Quod ipsum alacriori animo praestabo, quoniam consensus et annuentia Serenissimi Electoris Saxoniae, Domini mei clementissimi accedit, quam peculiaribus literis Reverendissimi et Excellentissimi Domini Doctori Höe iampridem significavit. Quod si ergo Celsitudini Vestrae scripti Passmanniani refutatio etiamnum videatur necessaria et salutaris, partemque aliquam in Latinum sermonem transfusam clementissime transmittere hanc dedignetur, annitur divina favente gratia, ut quantum sanitatis et officij ratio permiserit, quam citissime respondeatur, et impudentis Jesuwitae sophismata pro virili in apricum producantur. Interim valeat diuque floreat Vestra Celsitudo cum Filio Perillustri et Magnifico Domino Emerico etc., Domino meo clementi et benignissimo, cui benedictionem omnimodam precor, et mea qualiacunque servitia sincere una offero.
Dabam Wittebergae, VII. Octobris MDCXVI.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae humilimus servitor

Balthasar Meisnerus Doctor

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domio GEORGIO THURZO de Betthlenffalwa, Regni Hungariae Palatino et Judici Cumanorum, nec non de Arwa perpetuo eiusdemque Comitatus Supremo et Perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae ac Regiae Majestatis Intimo Consiliario et per Hungariam Locumteneti, Domino Domino mihi clementissimo.
OL E 196. 24. cs. 1. fasc. Nro. 43. Autográf.

161.

Paczoth Ferenc Thurzó Imrének
Wittenberg, 1617. január 19.

Bocsánatot kér, amiért ritkán ír. Nagyon letörte őt a nádor halálának híre. Ők békében és nyugalomban élnek. Aggódik hazájáért.

Illustris ac Magnifice domine Comes, Domine gratiosissime, Salutem Illustri Vestrae Magnificentiae precor, et me meaque officia humilime dedico consecroque.

Serius respondeo literis Illustris Vestrae Magnificentiae, quam vel meum requirebat officium, vel etiam amor Illustris Vestrae Magnificentiae erga me postulabat erudita imprimis doctaque acu illis intextus. Sed fateor me in culpa esse. Qua certe vacarem, nisi et tabellariorum raritas me aliquoties scribere volentem retardasset, et iam pene aggredientem, quod volebam, nuncius de Illustrissimi Domini Parentis obitu ita perculisset, ut cum calamo omnia abiecerim, maluerimque, si ille verus esset mecum dolere, quam iusto Illustris Vestrae Magnificentiae dolori novum inani literarum mearum voce suffigere. Is vero utinam falsus esset, atque utinam Illustrissimus dominus, Pater Hungariae afflictissimae bono diutius luceret. <Quo> Certe enim hoc sole opus hunc maxime erat in tantis turbarum tenebris tam densis, ut Illustris Vestra Magnificentia scribit, conspirationum nebulis. Nos hic sedemus in otio et pace aurea. Quo bono utinam mihi, ut quidem Illustris Vestra Magnificentia et svadet, et optat, frui diu liceret, tamque svavissimo Musarum commercio uti. Sed ire calamus sisto. Vale itaque, Illustrissime Domine Comes, et quod humanitati tribuisti, ut me in Tuorum ascriberes numerum, tribue idem constantiae, ut asscriptum tuearis ac foveas.
Wittebergae, 9/19. Januarij Anno 1617.

Illustris Vestrae Magnificentiae Servitor addictissimus

Franciscus Patzotth
manu propria

Rogavit, ut audio, Illustris Vestra Magnificentia de pretio poculi, quod Illustris Vestrae Magnificentiae nomine Domino Magistro Spiegelio obtuli, sed salva res. Poculum iam olim Illustris Vestrae Magnificentiae nummis est redemptum.

Címzés: Illustri ac Magnifico domino, domino Emerico Thurzo de Bettlemfalwa, Comiti Perpetuo de Arwa Eiusdemque Comitatus supremo Comiti etc. Domino suo Gratiosissimo.
OL E 196. 30. cs. Nro. 7. Autográf.

162.

Wolfgang Franz Thurzó Imrének
Wittenberg, 1617. március 12.

Fájlalja Thurzó György halálát. Köszönetet mond a grófnak a törökök szokásairól írott könyv elküldéséért. E témában jobbat még nem olvasott. Október 31-én a választófejedelemségben ünnepséget rendeznek annak emlékezetére, hogy Luther 1517-ben ezen a napon hirdette ki téziseit. Luther fellépését méltatva szól arról, hogy tanai magyarországi elterjedéséről Szegedi Kis István műveinek, valamint Laskai Csókás Péter De homine c. művének előszava tájékoztatnak legjobban. A gróf is tartson jubileumi ünnepséget birtokain, ha jónak látja. Kiemeli azok érdemét, akik a magyarországi ifjakat Lutherhez és más teológusokhoz küldik. Külön örült a könyvben a török szavaknak, nagyon hasznos a diákoknak, akik arab nyelvet tanulnak az egyetemen. Ezeket a tárgyakat Thurzó távozása után vezették be. Viszonzásképpen alkalomadtán ők is küldenek majd könyveket. Üdvözli Armprustert.

Pacem.

Illustrissime et Generosissime Domine Comes, Domine gratiosissime Vestrae Generosissimae Celsitatis parentem, ecclesiarum Hungaricarum principem magnum et pientissimum Josaphatum nimis mature certibus Christi in hac miseriarum ualle militantibus ualedixisse ex querelis plurimorum bonorum saepius percipio et doleo. Interim vero diuina pietate et Heroica virtute Filij tanti, hoc est, Vestra Generosissima Celsitate commoti et ipsi, et nos quoque in his locis Deum honoramus suspirijs humilimis, ut Vestrae Generosissimae Celsitati adijciat annos super annos, et Spiritus Sancti sui gratia atque fortitudine nunquam desit, perque ipsum benignissime confirmare dignetur, quod per Illustrissimum Dominum et tantum quidem parentem potentissime operari caeperat. Annuat his notis ille ex alto, qui nos aspexit in forma hominis, cum esset Dominus in altissimis.

Ceterum humilimas Vestrae Generosissimae Celsitati gratias ago pro gratiosissima nominis mei recordatione et pro transmisso libello de moribus Turcarum. Fateor me aliorum etiam de ijsdem scripta uidisse, sed neruosa breuitate. Iste auctor reliquos plurimos maximopere superare mihi videtur. Det autem Dominus Zebaoth suo tempore Vestrae Generosissimae Celsitati dorsum immanium inimicorum istorum et custodiat eam ueluti pupillam oculi sui, benedicatque gubernationi tum Vestrae, tum Illustrissimae Dominae matris Vestrae. Nos, si per Dei gratiam uixerimus, ad diem 31. Octobris solenniter in territorio Electoris Saxoniae, forsan etiam in aliorum principum ditionibus celebraturi sumus iubileum ecclesiasticum, siquidem illo die Lutherus hora XII. ad ualuas templi arcis primum affixit propositiones suas aduersus indulgentias Papales anno 1517. Itaque 26. Octobris populo indicabitur, ut sese praeparet ad festum 31. Octobris, ut eo die audiat magna beneficia, quae Dominus toti Europae contulit per illud organum suum. Calendis denique ipsis Nouembris pro concione iterum monebitur, ne haec beneficia obliuiscatur. Si placuerit Vestrae Generosissimae Celsitati, posset eadem in suis templis, quo ad hanc saecularem festiuitatem cum suis subditis similem instituere recordationem et gratiarum actionem ad diem tricesi-

mum primum Octobris huius anni millesimi sexcentesimi decimi septimi. Rogo autem perquam humiliter, ut haec mea commemoratio ne displiceat. Expectamus ex aula nostra inclyta plura nobis in hac academia prae alijs ciuitatibus eodem tempore peragenda. Sine dubio habebimus aliquos studiosos, emissarios Pontificos, spectatores. Quid Romae eodem die facturus sit Papa, quid dirarum nostris ecclesijs imprecaturus, facile est cogitare. Sed oculi Domini erunt super utrosque.

Tanta auiditate ante centum annos primae propositiones Lutheri exceptae fuere, ut nullus esset angulus totius amplissimae Germaniae, quo intra quatuordecim dies non peruenissent. Quomodo Gratiae huius diuinae Hungaria laudatissima facta fuerit particeps, praeter alios commemorant Szegedinus in praefatione suarum tabularum, seu locorum communium et Petrus Lascouius in libri de Homine Praefatione. Pertinent huc laudes omnium Vestrorum, qui Hungaricos adolescentes ad Lutherum et reliquos theologos in hunc usque diem miserunt magnis sumtibus, inter quos nunc principem locum obtinet Vestra Generosissima Celsitas, cui ut bene uelit, bene dicat, bene faciat pro tanta pietate sanctissima Trinitas, ego perexopto. Dominus Iesus sit cum spiritu Vestro ab hoc nunc et usque in perpetuum. Amen, Amen, Fiat, Fiat.
Witebergae, Dominica Iudica anno Christi 1617.

Vestram Generosissimam Celsitatem summo studio colens
Wolfgang Franzius
Theologiae Doctor

Gratissima mihi accidunt in libello uocabula Turcica, quae auctor uocat Barbara. Verum, post discessum Vestrae Generosissimae Celsitatis ex hac academia caepit introduci etiam noticia linguae Arabicae, et studiosi ista, barbara auctori dicta uocabula in precibus et colloquijs Turcicis agnoscunt magnam partem esse uel puri uel corrupti Arabica ideoque mecum Vestrae Generosissimae Celsitati pro eius transmissione etiam hoc nomine gratias magnas habent. Nos aut eundem iusto tempore, aut si aliud placuerit, aliud chartaceum mittemus. DEUS retribuat Vestrae Generossissimae Celsitati omnes petitiones cordis sui. Nobilissimo etiam Domino Francisco Armbrustero a DEO precor omnem felicitatem, quam ipse sibi exoptat. Dominus sit cum Vobis omnibus. Amen.

Címzés: Illustrissimo ac Generosissimo Domino, Domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlehemffalua, Comiti de Arua, eiusdemque Comitatus Comiti perpetuo, Domino suo gratiosissimo.
OL E 196. 30. cs. Nro. 10. Autográf.

163.

A teológiai kar dékánja és tanárai Thurzó Imrének
Wittenberg, 1617. március 20.

Buzgalmáért és az igaz lutheri hitnek gyakorlásáért gyakran megcsodálták. Tudomásukra jutott egyrészt levelekből, másrészt Spiegeltől, hogy Thurzó Imre a magyar egyházakban a német típusú rítust kívánja bevezetni. Mindenképpen üdvös lesz ez az intézkedés. Mellékelten küldik az agenda egy példányát.

Illustrissime, Spectabilis et Magnifice Domine Comes, Domine Gratiosissime.

Quemadmodum Vestrae Celsitudinis Zelum et Lutheranae ορθοδοξιας studium saepius admirati sumus, ita nunc de incremento eiusdem non possumus non toti Hungariae ex animo gratulari. Percepimus enim partim ex literis clementibus, partim ex uberiori relatione Domini Magistri Spiegelij, Collegae nostri perdilecti, quam devoto laudabilique conatu Magnificentia Vestra ceremoniarum quandam uniformitatem et ritibus nostris correspondentem harmoniam introducere meditetur. Pium omnino et salutare hoc institutum est, cuius successum vovemus felicissimum venerati Deum supplices, ut porro virtute et sapientia Celsitudinem Vestram magis magisque induat, et diutissime florentem conservet in Ecclesiae tutelam et Lutheranae fidei propagationem constantissimam. Ita semper precabimur, et una parati sumus lubentissime in medium consulere, idque omne conferre, quod ad Ecclesiae Hungaricae usum pertinere intelleximus. Qua de causa voluntati Vestrae Magnificentiae sine mora satisfacere, brevem praecipuorum rituum epitomen consignare et hisce adiunctam transmittere voluimus, una cum exemplari Agendorum Ecclesiasticorum, uti vocant, unde prolixior declaratio peti poterit eorum, quae in praedicta consignatione breviter delineata sunt. Quod nostrum studium, ut Vestra Magnificentia clementi agnoscat animo, rogamus obnixe, denuo quaevis offerentes officia et Celsitudinem Vestram divinae protectioni ac assistentiae ex animo commendantes.
Dabantur Wittebergae, die XX. Martij anno MDCXVII.

Decanus, Senior, et caeteri Professores

Facultatis Theologicae ibidem

Címzés: Illustrissimo, Spectabili et Magnifico Domino Comiti, Domino Emerico Thurzo de Betthlemffalwa, Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti etc. Domino nostro clementi et benigno etc.

OL E 196. 33. cs. 6. fasc. Nro. 31. Eredeti.

164.

Friedrich Balduin Thurzó Imrének
Wittenberg, 1617. április 10.

Elkeseríttette őt Imre apjának halála. Vigasztalja a grófot: a nádor lelke kegyes életmódja miatt biztosan a mennybe jut. Kéri az Istent, hogy az ehhez hasonló csapásokat háritsa el a Thurzó családról. Thurzó ne merüljön el a bánatban, hiszen nagy feladatok várnak rá. Hallotta, hogy gimnáziumot alapít, gratulál és alkalmas tanárokat kíván. Keresztfia nevében is üdvözli

Illustris et Magnifice Domine Comes, Domine ac Patrone gratiosissime. Salutem prosperrimam et solutium Spiritus Sancti efficacissimum cum humillimis meis obsequijs.

Siquid unquam acerbi in vita mea contigit, in eo certe numero vel inprimis pono triste illud et piorum omnium eiulatu dignum nuncium de beato quidem, sed praematuro nimis obitu Illustrissimi et Celsissimi Principis, inclyti regni Hungariae Palatini etc., Progenitoris Illustrissimae Vestrae Magnificentiae sanctissimae recordationis. Quod quidem rumore quodam continuo iam pridem huc perlatum fuit, sed, ut quae minus grata sunt, aegre credimus, nondum plene fidem habui rumoribus, donec ecce ab Illustrissima Vestra Magnificentia literas accipio clementiae et favoris erga me immerentem plenas, quae tristissimi huius fati, proh dolor, prolixae erant interpretes.

Quanta cum consternatione animi eas legerim, dici vix potest. Vidi enim inclytum Tuum pectus in luctum et lacrymas solutum, et non tam ob Illustrissimum Dominum parentem, cuius anima iam est in benedictione, quam propter commune dilectissimae patriae periculum, quod Eius Celsitudo pietate et prudentia sua impedivit, ingemiscere. Et certe si rem recta ponderamus lance, dubito equidem, Illustris et Magnifice Domine Comes, an ex hoc fato inclytae et generosissimae familiae vestrae, an vero toti orbi Christiano major lugendi materia extiterit. Vos equidem Patrem Dominum, maritum, fratrem et amicum, Ecclesia vero columnam et praesidium amisit, quod tanto nobis carius erat, quanto rariores sunt, qui tanto studio atque cura, tantis etiam impensis et molestijs rem Christianam promovent. Sed nobis et quibuscunque extra familiam vestram inclytam hoc discessu Illustrissimi Palatini perturbati fuimus, medicina et solatium jam paratum est in Illustri Vestra Magnificentia, Tanti Herojs tam praeclaro Filio, quem DEUS praepotentissimus ea pietate, eruditione, prudentia et sincero Zelo erga puritatem religionis πιστι, quod ajunt, μετρω ornavit, ut dubium plane nullum sit habere iam res labescentes Ecclesiae fulcrum aliud, in quo erigantur. Unde et nostri officij esse iudicamus serijs animi suspirijs Deum venerari supplices, ut Illustrissimae Vestrae Magnificentiae dies super dies addat, omnibusque corporis ac animi bonis, Eam liberalissime ditet, ut sit terror hostium, praesidium afflictorum, columen Ecclesiae et afflictissimae patriae solamen. Ita nos quidem in hoc luctu erigimur. Sed quid interim Illustrissimae Vestrae Magnificentiae pectus tristissimum solabitur? Non audeo quidquam hoc in genere Illustrissimae Vestrae Magnificentiae suggerere, quam a pietate et sacrarum literarum studijs, unde solum veri et efficacissimi consolationum fontes promanant, ita instructum est movi, ut quid de meo addere possim, plane ignorem.

Novit Illustrissima Vestra Magnificentia etiam scutis illis terrae et magni Dei vicarijs, hoc est, principibus populi in Psalmo dictum est: Ego dixi: vos dij estis, sed moriemini sicuti filij hominum. Constituit ergo Deus illis etiam certum vitae terminum, quem transire non possunt, in cuius beneplacito proinde nobis patienter adquiescendum esse, nam voluntati eius quis resistet? Et quae curvavit ille, quis in integrum restituet?

Novit Illustrissima Vestra Magnificentia pijs principibus in scriptura praematuram mortem loco praemij promitti, ne videant mala undiquoque impenden-

tia: quidem collegit Dominus pium regem Josiam ad patres suos, cum Babylonica captivitas immineret. Quod si ergo rerum omnium arbiter Deus Illustrissimae Vestrae Magnificentiae Dominum parentem quoque ex turbulentissimis patriae procellis per obitum beatum eripuit, nemo sane piorum hanc felicitatem Celsitudini eius invidebit.

Novit Illustrissima Vestra Magnificentia ipsius beatam animam non in purgatorio ardere, sed in manu Dei suaviter ab omnibus laboribus quiescere, novit insuper dictum esse diem, qui vos utrinque iterum coniunget tanta cum felicitate, quae neque luctum, neque separationem ullam admittet. Moderetur ergo Illustrissima Vestra Magnificentia luctum suum in se quidem iustissimum, sed quem Illustrissima Vestra Magnificentia acerbius affligere nolim, ne animus curis et doloribus fractus ad maiora non sufficiat. DEUM oro, ut huiusmodi lugendi materiam ab Illustrissima Vestra Magnificentia totaque eius inclyta familia clementer avertat, vestrumque luctum in gaudium nunquam moriturum convertat.

Caeterum audio Illustrissimam Vestram Magnificentiam illustre gymnasium erigere, de quo pio et tantis Heroibus digno instituto Illustrissimae Vestrae Magnificentiae ex animo gratulor, et Deum precor, ut idoneos largiatur Professores, et ex hac schola plantarium faciat Ecclesiae et Reipublicae in commodum, patriae et nominis sui gloriam sempiternam.

Quod restat, salutem adscribo quam humillime a filiolo meo Johanne, Illustrissimae Vestrae Magnificentiae pro-filio, quem, quia iam loqui incipit, a teneris adsuefaciam, ut Illustrissimae Vestrae Magnificentiae in precibus etiam memor sit, non dubitans Eum, qui ex ore infantium quoque sibi laudem parat, ratos eos habiturum. Valeat Illustrissima Vestra Magnificentia, et me clementi suo patrocinio deinceps etiam complecti non dedignetur.
Wittebergae, ad diem 10. Aprilis Anno Christiano 1617.

Illustrissimae Vestrae Magnificentiae humillime devotus
Fridericus Baldvinus Doctor
manu propria

Címzés: Illustri et Magnifico Domino Comiti, Domino EMERICO THURZO Comiti de Bethlemffalwa, libero ac haereditario Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus Arwensis supremo ac perpetuo Comiti etc. Domino suo gratiosissimo et patrono humiliter colendo.
OL E 196. 33. cs. 6. fasc. Nro. 23. Autográf.

165.

Paczoth Ferenc Thurzó Imrének
Wittenberg, 1617. április 13.

Köszöni levelét. Tudatja, hogy Nicolaus Hunnius lépett az elhunyt Leonhard Hutter helyébe. Március 13-án iktatták be professzornak. Jeremias Spiegelnek lánya született, akit, ha a latin nyelvre és az ékesszólásra nem is, a kegyes életre viszont lehet tanítani.

Perillustris ac Magnifice domine Comes, Domine mihi gratiose, Salutem Illustris Vestrae Magnificentiae precor, et mea addictissima officiola defero.

Litterae Illustris Vestrae Magnificentiae gratissimae mihi extiterunt, animus vero longe gratior, qui non occupationibus solum districtus, sed et afflictus maerore summa, tamen benevolentia mei retinet memoriam. Cuius quidem maeroris, quam socium me habeat Illustris Vestra Magnificentia, scio, ipse, quin credat, nullus dubito. Quare id jam pluribus ostendere verbis, neque ut video, operae pretium est, et multo magis inopia temporis prohibet. A qua vix hoc impetrare potui, ut Illustris Vestrae Magnificentiae significarem dominum Doctorem Nicolaum Hunnium in Doctoris Hutteri beatae memoriae locum successisse, atque adeo 13. Martij in Professorum numerum habita prius, utj fieri consvevit, oratione allectum esse. Hi ad unum omnes valent. Logicum intelligo, qui licet varijs morborum fluctibus agitatus sit, nondum tamen ad littus potuit appellere. Ne vero in postremis narrem, quod amico nostro communi et nobis adeo imprimis votis fuit, Domino Magistro Spiegelio nata est proles, non ea quidem, quam Latinam lingvam docere possit, aut Eloqventiam, sed quam tamen pietatem: id est Filia. Optimus vir tanto effertur gaudio, ut extra se ferre ponatur. Videt itaque Illustris Vestra Magnificentia, de quo olim desperarit. Meam vero valetudinem quod attinet, talis ea Deo dante nunc etiam, qualem perpetuo esse exopto, id est commodissima. Sed plura ponere et tempus vetat, et mea verecundia. Quam Tui, Illustris domine Comes, semper fore observantissima promitto.
Wittebergae, 13. Aprilis Anno 1617.

Illustrissimae Vestrae Magnificentiae Omni studio atque
observantia addictissimus

Franciscus Patzoth
manu propria

Címzés: Perillustri ac Magnifico Comiti, domino Emerico Thurzo de Bethlemffalwa, Comiti de Arwa Eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti, Domino Suo Gratio.
Árva, IV-P/ 1. fasc. Nro. 170. Autográf.

166.

Thurzó Imre Balthasar Meisnernek
Trencsénfürdő, 1617. május 15.

Várta, hogy Wittenbergbe küldött levélhordója Meisnertől is hoz levelet. Fájlalja, hogy nem így történt. Meisnert bizonyára elfoglaltsága akadályozta a levélírásban. Ezért ő keresi fel levelével és tudakozódik egészségi állapota és az egyetem helyzete felől. Balduin urat üdvözli.

Reverendissime atque Excellentissime Vir, Domine et Amice mihi summo observantiae studio colende. Salutem a fonte salutis JESV plurimam et paratissimam officiorum meorum commendationem.

Etsi certo mihi pollicebar fore, ut per proprium Tabellarium meum, quem certo in Negocio Witebergam expediveram, literas a Reverendissima Dominatione Vestra sim accepturus, e quibus tam priuatum ipsius ac domesticum, quam publicum Academiae statum, cujus me desiderium tenet valde maximum, intelligere possem, Sed spes me fefellit, Tabellariusque meus absque Reverendissimae Dominationis Vestrae ad me literis redijt. Quod licet vehementius doluerim, in eam tamen non rapior mentem, quasi obliuione aliqua praeteritum me esse mihi persuadeam, sed quod plurimis ijsque grauissimis, quas in ardua sua Professione quotidie experiri ac sufferre cogitur, occupationibus impeditam Reverendissimam Dominationem Vestram omnibus sibi amicissimis ex aequo satisfacere, pluribusque laboribus simul ac semel vacare non posse sciam, quo nomine veniam apud me et excusationem habet promtissimam.

Ego vero et beneficiorum, quae olim a Reverendissima Dominatione Vestra in me profecta sunt, mutuaeque amicitiae et familiaritatis memor, jucundaeque conuersationis et chartacei colloquij, dum oretenus ob locorum distantiam et intercapedinem non licet, cupidus intermittere non potui, quin per literas has tam de valetudine Reverendissimae Dominationis Vestrae familiarique suo et domestico, quam publico Reipublicae Academiae statu inquirerem. Quem si pro voto et expectatione mea optimum esse et felicissimum cognovero, erit, quod valde laeter, Deumque precer animitus, ut in sui gloriam Ecclesiae Orthodoxae incrementum, multorumque Christianorum salutem, salvum Eundem et Potentissimum perpetuo conseruare dignetur.

Quod superest, me et sincera studiorum meorum ac beneuolentiae officia Reverendissimae Dominationi Vestrae, eandem vero gratiae ac Protectioni Altissimi deuote commendo, diutissimeque deo, Ecclesiae ac sibi ex animi sententia valere unice desidero. Reverendissimum Dominum Balduinum, Dominum Compatrem meum semper colendum praeuia officiorum meorum commendatione Reverendissima Dominatio Vestra haud gravatim ex me saluere plurimum optimeque valere jubeat, enixe rogo.

Ex Thermis Trenchiniensibus, feria secunda Pentecostes styli noui Anno 1617.

Reverendae Dignitatis Vestrae Amicus et in Christo filius addictus

Comes Emericus Thurzo
manu propria

Címzés: Admodum reverendo et longe celeberrimo viro, Domino Doctori Balthasari Meisnero, Sacrosanctae Theologiae in inclyta Academia Vitebergensi Professori publico, longe felicissimo, Domino et amico mihi observando.

Hamburg Sup. ep. ff: 7. Autográf.

167.

Balthasar Meisner Thurzó Imrének
Wittenberg, 1617. június 4.

Megkapta pünkösd másnapján kelt levelét, melyben írásra buzdítja. Részvétét fejezi ki Thurzó György halála miatt. Sok sikert kíván a rászállt hatalomhoz. Barátja, Flottwedel a meghívást elfogadva elindult; biztos, hogy a gimnázium hasznára válik majd.

Illustrissime Comes, Domine clementissime,

Ego vero neque jam calamum sumere auderem, nisi clementissimis Vestrae Celsitudinis literis feria secunda Pentecostes datis, id ut facerem, instigatus fuissem. Magnatibus enim et circa publicum bonum occupatis multum velle obstrepere, semper impudentis esse putavi et importuni hominis, in cuius vitij suspicionem ne incurrerem, sedulo cavere volui. Nunc autem cum intelligam magis silendo, quam scribendo peccari posse, moras trahere longiores nolui. Et sicut immaturum bonisque omnibus luctuosum obitum Illustrissimi Parentis Vestrae Celsitudinis, Herois incomparabilis, Beatissimae memoriae non immerito deploravi, Ita nunc de suscepta paternarum ditionum administratione Celsitudini Vestrae ex animo gratulor, Deum veneratus supplex, ut largiri velit pacatum regimen, consiliarios prudentes et populum fidelem, quo sub vestro tutamine Respublica floreat, et cumprimis Ecclesia pressa exoptatum hospitium inveniat. Neque dubito votis meis eventum responsurum, quando Vestrae Celsitudinis virtutes heroicas et vere Christianum in asserenda puriori religione Zelum cogito. Servetur hic illibatus, ita nunquam deerit divina benedictio in sacro codice copiose promissa.

Eodem animo ad Vestram Celsitudinem proficiscitur Dominus Magister Flottwédelius, Amicus meus perdilectus, pro quo humiliter et prolixe intercederem, nisi eximiam eius eruditionem Celsitudini Vestrae iam ante satis exploratam cognitamque esse probe scirem. Nullus sane ambigo, quin ex eius informatione fideli multus ad Auditores et discipulos fructus sit redundaturus. Si cum tempore ad honores in facultate nostra summos ascenderet, forte id ad Gymnasij celebritatem vergeret, maioremque apud discipulos authoritatem conciliaret. Solemnem omnino actum proximo Iubileo institutum iri speramus, qui ut cedat in gloriam DEI, Ecclesiaeque commodum, vovemus omnes. Hisce Illustrissimam Celsitudinem Vestram divinae protectioni, vestroque patrocinio me indignum serio commendo.

Dabam Wittebergae, Dominica III. post Trinitatis anno MDCXVII.

Illustrissimam Celsitudinem Vestram humilime colens
Balthasar Meisnerus Doctor

Címzés: Illustrissimo, Spectabili et Magnifico Domino, Domino EMERICO THURZO de Bethlemffalwa, Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti etc. Domino meo clementissimo et humilime colendo.

OL E 196. 30. cs. Nro. 12. Autográf.

168.

Thurzó Imre Balthasar Meisnernek
Biccse, 1617. június 29.

Wolfgang Franznak, a wittenbergi egyetem teológia doktorának leveléből értesült arról, hogy a jubileumi ünnepségek a régi naptár szerint november 1-én lesznek. A wittenbergi egyetem teológusaihoz intézett korábbi kérésre hivatkozva kéri, küldje meg az ünnepség lebonyolításának módját, hogy a magyarországi egyházak ezzel minden tekintetben összhangban szervezzék meg a megemlékezéseket.

Reverendissime, Clarissime atque Excellentissime domine, Amice et in Christo pater plurimum obseruande. Praemissa salutis optatissimae omnisque prosperitatis apprecatione me et officia mea promtissima Reverendae Dominationi Vestrae commendo etc.

Intellexi antehac ex literis Reverendissimi domini Wolffgangi Frantzij, Sacrosanctae Theologiae Doctoris, et Collegae Reverendae Dominationis Vestrae in Academia Vitebergensi, quod pro festo omnium Sanctorum stili veteris Jubileum Ecclesiasticum in ditionibus Electoralibus in laudem Dei, et piam reuelati verbi sui sanctissimi recolitionem solenniter celebrari debeat. Cum autem festum illud non in mea tantum ditione, sed alijs quoque Orthodoxis Regni hujus Hungariae Ecclesijs more institutoque Inclytae Academiae Vitebergensis Deo sacrum ac solemne esse, communi dominorum Superintendentium Regni istius voto maxime velim, nihilque aliud restet, quam ut Jdeam quandam et succinctam omnium Ceremoniarum Rituum processus, adeoque materiarum pro suggestu tractandarum delineationem, ad quam ceu ad normam et amussim domini Superintendentes et Ministri nostri se conforment, festumque illud Jubilaeum in Dei Optimi Maximi gloriam et Auditorum salutem rite recteque celebrent, habere possimus. Ea de causa per proprium meum Tabellionem ad Venerandum Collegium Theologicum almae Academiae Vitebergensis scripsi, rogauique summopere, vt Jdeam talem per Eundem Tabellarium meum benigne transmittere dignetur.

Quare per Amicitiam nostram Reverendam Dominationem Vestram etiam atque etiam vehementerque rogo, efficere non grauatim velit, vt voti mei et expectationis compos fiam. Nihil enim magis mihi curae est, quam cum in fundamento et doctrina Augustanae Confessionis Ecclesiae nostrae, cum Matre quasi sua Ecclesia Vitebergensi, vbi splendor purissimi verbi diuini ante saeculum primitus reluxit et in totum fere Terrarum orbem, tanquam radij solis se diffudit, plane conueniant, Jn Ritibus etiam et Ceremonijs Adiaphoris per omnia Easdem correspondere.

Quod si a Reverenda Dominatione Vestra obtinuero, quemadmodum firmiter spero, summo et me, et Ecclesias nostras affectas esse beneficio dicam, omnibusque officijs et grati animi significatione repromerebor.

Quod superest, me et totam familiam meam precibus Reverendae Dominationi Vestrae, Eandem vero cum omnibus suis Gratiae et protectioni Omnipo-

tentis vnice recommendo, diutissimeque publico Ecclesiae et Academiae bono viuere, valere, et florere animitus desidero.
Datae stilo novo in Arce mea Byttche, feria Die Petri et Pauli Apostolorum, Anno Dei hominis 1617.

Eiusdem dominationis Vestrae Reuerendae filius in Christo addictissimus

Comes Emericus Thurzo
manu propria

Címzés: Reuerendissimo, Clarissimo atque Excellentissimo domino Balthasari Meisnero, Sacrosanctae Theologiae Doctori, et in celeberrima Academia Vitebergensi Professori Publico, nec non Electoralium ibidem Alumnorum Inspectori dignissimo etc. Domino Amico Christo plurimum obseruandissimo.
Hamburg, sup. ep. ff: 378-379. Az aláírás autográf.

169.

Gregor Láni Thurzó Imrének
Wittenberg, 1617. július 7.

Örömmel vette Thurzó levelét, nem is annyira a felajánlott pénz, mint inkább a grófnak iránta való jóindulata miatt. Dícséri Thurzó elhatározását, hogy a biccsei gimnázium számára az egyetemtől kér tanárt.

Illustrissime ac Celsissime Domine Comes, Domine Patrone benignissime. Salutem, pacem felicissimumque cursum omnium consiliorum et factorum a Domino precatus, mea debita et promta officiola nuncupio.

Illustrissime Domine Comes, non possum facile assequi verbis, quantum mihi epistola Illustrissimae Celsitudinis Vestrae gaudij et voluptatis attulerit. Ut enim omittam liberalitatem summam in promissis sumptibus declaratam, favorem et clementiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae cumprimis intueor, qua erga me infirmum licet, tamen non significatione solum, sed expressa prope imagine ostensa est. Utinam autem eidem correspondere possem quoquo modo tandem. Verum cur ad impossibilia tendere volo. Igitur quod mihi possibile et pro Illustrissimae Celsitudinis Vestrae clementia facile habeo et ago a me Illustrissimae Celsitudini Vestrae pro omnibus benevolentiae speciebus jam praenominatis summas ac ingentes gratias, imploro etiam a Deo dotes munificentiae suae largissimas. Nec dubito, quin petitio haec nonmodo supra votum meum, sed et supra spem succedet. Interea non levis hinc ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram redundabit honosque, nomenque, laudesque. Ipse enim magna jam huius initia oculis meis video. Cumprimis coepta, dum unica Illustrissima Celsitudo Vestra virum doctum ab Academia nostra pro Gymnasio noviter ab Illustrissima Celsitudine Vestra extructo expetere coepit. Accepit favor Illustrissimae Celsitudinis Vestrae diutinus, quo nostros communiter Professores remque literaliam pro-

sequitur. Scilicet verum illud est, quod omnium ore circumfertur etiam in Illustri Celsitudine Vestra, Bonum Principem cum bonis artibus et viris eruditis tacita quadam naturalique societate conjunctum esse ita, ut alter ab his illustretur, ac dum sibi mutuo suffragantur, et gloria Principi et doctis autoritas et literis summus honor conciliatur. De coetero Illustrissimam Celsitudinem Vestram a Domino regendam, diutissime conservandam inque Ecclesiarum Scholarum et Patriae emolumentum tuendam opto precorque.
Dabam Wittebergae, 7. Julij Anno 1617.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae cliens

Gregorius Lany
Turozensis

Címzés: Illustrissimo, Spectabili ac Magnifico Domino, Domino Comiti EMERICO THVRZO de Bethlehemffalwa, Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti; Domino, Domino Mecoenati ac Favitori benignissimo, gratiosissimo.
Árva, II/ 2. fasc. Nro. 167. Autográf.

170.

Jeremias Sopotius Thurzó Imrének
Wittenberg, 1617. július 7.

Köszöni Thurzó levelét. Kéri, hogy a megígért összeget, ha alkalom adódik, juttassa el neki.

Illustrissime ac Celsissime Domine Comes, Domine, Domine Nutritie mihi Gratiosissime, Salutem, Pacem cum optatissimo Dominij successu Illustrissimae Celsitudini Vestrae precatus, me cum officijs meis debitis demisse offero.

Illustrissime ac Celsissime Domine Comes, tanti mihi sunt Illustrissimae Celsitudinis Vestrae literae, ut nullo pacto credam posse me illis rescribendo satisfacere. Praeter enim id, qua ab Illustrissima Celsitudine Vestra fuerint, non exiguum quoque gaudium attulere, dum non tantum affectum erga me bene propensum, sed etiam oblationem et spem futuri beneficij fecerunt et expresserunt. Quibus omnibus cum correspondere difficile, DEO remuneranda Votiuis precibus committo. Quia igitur Illustrissima Celsitudo Vestra beneuole sese offert, et finis istius Anni iam appropinquet, ego Illustrissimam Celsitudinem Vestram submisse oro, quo eosdem promissos Sumptus per commodam occasionem subministrare uelit. Ego daturus sum operam, ut haec et alia non inaniter consumant. His breviter (occupatis enim multitudine uerborum molestus esse nolo) dictis Illustrissimam Celsitudinem Vestram cum Illustrissima Domina Matre et relictis Amicis DEO commendo, et bene ualere exopto.

Dabam Wittebergae, 7. Julij Anno 1617.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Alumnus

Jeremias Soputius

Címzés: Illustrissimo ac Celsissimo Domino Comiti, Domino Domino Emerico Thurzo de Bethlemfalwa, Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus Supremo ac perpetuo Comiti etc. Domino Promotori et Mecoenati aeternum honorando.

Árva, IV-S/ 4. fasc. Nro. 165. Autográf.

171.

Friedrich Balduin Thurzó Imrének
Wittenberg, 1617. július 16.

Úgy gondolja, hogy Thurzó megkapta korábbi levelét és a Flotwedellel küldött disputációt. Ő is megkapta Thurzó levelét. A jubileumi ünnepségekkel kapcsolatban felterjesztést írtak az udvarhoz, amire választ még nem kaptak. Járt Drezdában, és többek között beszélt a dologról Schönberg úrral. A későbbi fejleményekről tájékoztatni fogja a grófot.

Illustris et Magnifice Domine Comes, Domine benigne, veroque animi cultu mihi semper honorande. Gratiam Dei et omnem prosperitatem cum debitis officijs offero semper paratam in precibus mejs .

Quas superioribus septimanis ad Illustrissimam Tuam Magnificentiam dedi literas, recte oblatas arbitror, ut et eam, quam haud ita pridem Magistro Flotwedelio dedi disputationem, nolui enim inanitate meorum scriptionum ulterius molestias creare et alias satis occupato et in summo honorum fastigio constituto. Interim ab Illustrissima Tua Magnificentia offeruntur mihi literae singularem erga me clementiam et benignitatem spirantes, quibus id, quod a toto collegio nostro petebatur, a me quoque privatim petitur, ut nimirum Illustrissimae Tuae Magnificentiae fideliter communicem ideam quondam istius solennitatis, quam in futuro Jubilaeo Evangelico de nostra Academia pollicitae sibi sunt quam plurimae Ecclesiae. Quidam ergo vehementer gaudeo, quod Illustrissima Tua Magnificentia Zelum pietatis eximiae eousque etiam se extendere video, ut in his ceremonijs nostris se conformare Ecclesijs non dubitet, ita non parum doleo, quod tam sanctis votis et optatis satisfacere nondum possum. Nam quia negotium hoc nec unius literis, nec collegij unius est, iampridem retulimus in aulam, a cuius sententia nos hoc in genere pendere fas est. Et quemadmodum aularum consilia plerumque lenta sunt, ita hoc in genere etiam nondum aliquid certi conclusum est. Intellexi tamen non ita pridem, cum Dresdae cum praecipuis aulicis conversarer, inprimis ex Domino Schönbergio, qui cor principis est, genus iam esse concessum nimirum solennitatem aliquam institutam esse circa finem Octobris, si Dominus voluerit: quibus autem ceremonijs, id nondum definitum, se vero in eo laborare unice dixit, ut omnia decentissimo fiant ordine, nostrique collegij consilium, quod iam

ante in aulam misimus, et de quo in literis Collegij non omnino negligatur. Quam primum itaque certi, quid hac de re nobis mandabitur, optima fide id, quidquid erit, cum Illustrissima Tua Magnificentia communicabimus. Plura jam non possumus, ut etiam Illustrissima Tua Magnificentia gratificari exoptamus. Oramus interim Deum praepotentem, ut ipse alis misericordiae suae protegat Ecclesiam suam, et consilia hostium iussim[?] dissipet, ne sanctum hoc institutum interrumpatur, et iubileum Christianum ac Ecclesiasticum in classicum castrense convertatur, quod a divina maiestate precibus impetrare non desisto. Cuius protectioni Illustrissimam Tuam Magnificentiam cum inclyta familia totoque regno Hungariae suplex commendo.
Dabam Wittebergae, die 16. Julij 1617.

Illustrissimae Tuae Magnificentiae observantissimus Cliens
Fridericus Baldvinus Doctor
manu propria

Salutem adscribo nomine profilij Illustrissimae Tuae Magnificentiae, filij mei suavissimi Johannis, quem ad piam et sanctam Illustrissimae Tuae Magnificentiae memoriam adsvefaciam, quoad vixero.

Címzés: Illustri Generoso et Magnifico Domino Comiti EMERICO THURZO de Bettlemffalva, Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus Comiti perpetuo et Domino suo benignissimo et singulari cum observantia multis nominibus honorando.
OL E 196. 37. cs. Nro. 17. Autográf.

172.

A filozófia kar dékánja és tanárai Thurzó Imrének
Wittenberg, 1617. július 16.

Kérésére a kiválóan képzett Zakarias Flotwedelt küldik, aki 11 éven át tanult filozófiát az egyetemen. A teológiában is jártas, bizonyára meg fog felelni a biccsei egyháznak és iskolának. A kocsis, aki viszi, 80 tallért kért. (Mások 150 florenust, megint mások 150 tallért kértek.) Az egyetem kifizette Flottwedelnek azt a 20 forint útiköltséget, amelynek fedezését a gróf vállalta. Rektori fizetésről döntsön belátása szerint.

ILLUSTRISSIME COMES ac domine, domine benignissime, SALUTEM atque felicitatem perpetuam Illustrissimae Vestrae Magnificentiae precati, Eidem humilia nostra officia deferimus.

QUANTAE curae Illustrissimae Vestrae Magnificentiae res Ecclesiae sit, si aliunde non constaret, at ex binis istis ad Nos gravissimis pariter atque humanissimis Litteris abunde pateret. Parum visum est primis illis nostram requiri operam, nisi alteris etiam Illustrissima Vestra Magnificentia occuparetur expediendis. Tanto nimirum ardore tantoque studio Illustrissima Vestra Magnificentia domum Domini aedificat, ut in mentem nobis commodum revocetur, imo ob ocu-

los versetur Christi illud: βιαζεσηαι την του υρανου βασιλειαν, et vi quasi atque impetu quodam effringi regnum coelorum. O, gratam Deo vim, atque omnium bonorum laude depredicandam!

Quam ne opellae nostrae aliqua impediamus intermissione, Ecce mittimus ad Ecclesiam Scholamque Vestram Virum Praestantissimum, Magistrum ZACHARIAM FLOTWEDELIUM Brunsuicensem Saxonem, Virum, ut multa magnaque paucis, sed ijs (si fides nobis) verissimis complectamur, solide doctum, neque in Philosophia modo per annos jam undecim totos, quos in Academia vixit, legendo, disputando, scribendoque exercitatum, sed et in Theologia ita versatum, ut summum in ea facultate si ambiat gradum, ausit illud non infeliciter. Quod diximus, res loquetur ipsa.

Vestram vero Illustrissimam Magnificentiam humiliter obsecramus, ut quem ad ipsam ex nostro Collegio mittimus, tanto commendatiorem sibi habeat, quanto doctiorem mittimus ac peritiorem. Atque utinam coetera quoque omnia sic ex voto nostro successissent! Utinamque nunc et esset annonae ratio, ut viliore sumptu ad Illustrissimam Vestram Magnificentiam expedire hunc nostrum potuissemus. Sed omnia (proh dolor!) sunt iniquissima. Quamquam mitissime videtur iste auriga nobiscum egisse, qui 80 taleris passus est se conduci coeteris partim 150 florenis, partim etiam 150 taleris postulantibus. Reliquo viatico in subsidium venit Academia, quae Domino Magistro Flotwedelio, cui Illustrissima Vestra Magnificentia sumptuum itinerariorum refusionem promiserat, viginti florenos suppeditavit, idque eo fine, ne uno illo impedimento Illustrissimae Vestrae Celsitudinis spes intercluderetur, aut Juvenis iste a proposito itinere deterreretur. Vectori nihil hic praesentis pecuniae exolutum est, sed ille totus ad Illustrissimam Vestram Magnificentiam remissus. Cui ut satisfieret istic, multis jam peteremus, nisi Illustrissima Vestra Magnificentia ipsa ad eam rem promptam se paratamque ultro obtulisset. De salario Rectoris novi Illa itidem videbit, quid se, quid viro docto dignum sit. Cuius rei ut rationem habeat, humiliter oramus.

Dominus JESUS, quod bonum opus in Ecclesia sua cepit, id promovere pergat, et ad nominis sui gloriam Ecclesiaeque salutem provehat! Servet Illustrissimam Vestram Magnificentiam coetui suo dilecto, et afflictae Reipublicae! Servet et benignum illum in nos humilimos et Thurzoniani nominis studiosissimos affectum!

Wittebergae, die 6./16. Julij Anno 1617.

Illustrissimae Vestrae Magnificentiae Addictissimi

Decanus, Senior et caeteri professores
Facultatis Philosophicae

Címzés: ILLUSTRISSIMO Comiti ac Domino, Domino EMERICO THURZO de Bethlemffalwa, Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus Supremo et perpetuo Comiti, domino in Lethawa, Tockai et Bitche etc. domino nostro Benignissimo.

OL E 196. 30. cs. Nro. 24. Eredeti.

173.

Jeremias Spiegel Thurzó Imrének
Wittenberg, 1617. szeptember 19.

Örömmel vette tudomásul, hogy Flottwedel megérkezett. A pénzt mind Spiegel, mind az egyetem rendben megkapta. Ha Illésházy úr küld egy kis útiköltséget, akkor megfelelő szekeret tudnak bérelni. Ő maga a nyáron szülővárosába, valamint Meissenbe és Drezdába utazott. Utazásának oka az volt, hogy kieszközölje a választófejedelemtől elbocsátását az egyetemről. Felajánlották neki, hogy Kembergben szuperintendens legyen. Kezdetben habozott, de végül elfogadta a meghívást, mivel annak évi jövedelme 1000 florenus, és emellet megtarthatja a professzoroknak kijáró előjogokat is. Az egyetem több tanára is betöltötte már ezt a tisztet. Ez alkalommal Fabricius, a héber nyelv, Franckenberger a történelem tanára és ő maga volt jelölve erre a posztra. Új tisztségébe már beiktatták, de csak egy-két hónap múlva foglalja el. Az egyetemen egy tudós férfi lesz az utódja, aki azonban nem jó szónok. Az intézmény állapota egyébként jó, még sohasem volt ennyi hallgatója. A jubileummal kapcsolatos teendőkről Thurzó az elküldött programokból tájékozódhat. Spiegel Drezdában hallott Klesl viselt dolgairól, és a katolikusok Magyarország elleni terveiről.

ILLUSTRISSIME Comes ac Domine, Domine benignissime, SALUTEM et felicitatem Illustrissimae Vestrae Magificentiae precatus, Eidem humilima mea servitia defero.

FLOTWEDELLUM advenisse et gratum esse servitorem animo accepi profecto laetissimo. Nec dubito, quin is semper futurus sit, qui hactenus semper fuit. Pecunia mihi, ac deinde Academiae recte est reddita, atque ego praeterea ingenti sum liberatus metu. Verebar enim, ne magno nimis conduxerimus aurigam. Sed intelligo ferri, quae mutari nequeunt. Si Illustrissimus dominus Comes Illieshazi aliquid saltem viatici miserit, mutemus, spero, qualem petijt. Exludimus enim quendam, sed fortuna reliqua et sumtu ad iter tantum necessario prorsus destitutum. De me meoque statu, si quid audire ingratum non est, varie hactenus sum non exercitatus, sed exercitus itineribus partim in patriam, partim etiam in Misniam et jam tandem Dresdam etiam suscipiendis.

Ultimi itineris caussa, quae celanda Illustrissimam Vestram Magnificentiam prorsus non est, ista fuit: Praepositura Kembergensis, quam nonnulli hactenus Professores Witebergenses (in quibus Bugenhagius, Gedickus, Wolfgangus Franzius noster, Theologiae doctores et novissime Gruberus) tenuerunt, <vacat> vacare jam ante semestre cepit. Eam Theologi quamplurimi, sed extra Academiam et inprimis Gilbertus Sacrosanctae Theologiae Licentiatus magno nisu ambiverunt provinciam quippe optimissimam et commodissimam, nec ab Academia longe remotam. Sed frustra, cum Academia jus suum tuita sit, operamque dederit, ut de Professorum numero potius aliquem illuc emitteret. Re itaque probe deliberata praeterito Magistro Fabricio, Hebreae Professore et Franckenbergero Historico, ego potissimum electus sum, qui, si modo vellem, Praepositus essem ac Superintendens Kembergensis. Etsi vero animus non fuit unquam, genus id vitae, quod in Academia semel feliciter ingressus eram, tam cito mutare.

Tamen cum viderem, nec indigne Philosophicam hanc cathedram cum sacra permutari, nec deteriorem esse Praeposituram Professura, quippe quae annuatim ad 1000 florenos metit, retinetque omnia jura ac privilegia professorum Witebergensium. Persuasus tandem sum, Spartamque lautissimam in se accepi. Eaque caussa Dresdam exinde profectus sum, et ab Electore Serenissimo dimissionem de Academia impetravi. Quamque difficulter hanc obtinui. Praeterlapsa itaque septimana a Domino Balduino et Capitaneo praesentibus Academiae tanque Patronae Delegatis domino Rhodio et Magistro Schmidio introductus sum in Praeposituram. Post mensem unum aut alterum plane hinc abiturus. DEUS bene vertat!

Successorem habiturus sum virum doctum, sed dubium, an oratorem. Academiae status salvus est inter medios morbos. Nec memini ego auditorium meum tam frequens unquam fuisse, atque nunc est.

Jubilaea solennitas, quae et qualis hic instituta sit, ex Programmatibus istis intelliget Illustrissima Vestra Magnificentia. Faxit DEUS ut feliciter rem agamus et cum salute nostra, pernicie et exitio Cacolycorum. Ego ad illud usque tempus hic subsisto, nec decedo ex Academia antequam debitum idoneo tempore persolvam. Clausit Illustrissimus etiam Palatinus centenarium Ecclesiae militantis, mox triumphum et Jubilaeum suum acturus.

Dresdae cum essem praesente etiam Caesare et Ferdinando et Maximiliano, et eo, qui <ad> Electoralem mensam turpissimo vomitu ebrius conspurcavit (Gleselium intelligo), Ibi tum inquam mira inaudivi de Catholicorum consilijs adversus Hungariam. Quae optima terra deque universa Christianitate meritissima, parum secura, imo parum etiam tuta erit abdicto forsan exercitu a Venetis. Quamquam nostra consilia non sunt consilia DEI. Is enim unus est, qui dat, qui aufert, qui conservat et destruit regna. IPSE FACIET. Atque ipse Illustrissimam etiam Vestram Magnificentiam cum universa Illustrissima familia Thurzoniana salvam diu et incolumem Ecclesijs scholisque Christianis praestet, Et mihi quidem semper benignissimum et faventissimum dominum.
Wittebergae, die 19./9. Septembris Anno 1617.

Illustrissimae Vestrae Magnificentiae Humilimus servitor

Magister Jeremias Spiegelius
Professor Wittebergensis
et Praepositus ac Superintendens Kembergensis

Címzés: ILLUSTRISSIMO COMITI ac DOMINO, DOMINO EMERICO THURZO, Comiti Perpetuo et Supremo de Arwa, domino in Lethawa, Bitchen et Tockaj, Domino meo Benignissimo.

OL E 196. 30. cs. Nro. 3. Autográf.

174.

Martin Sculteti Thurzó Imrének
Bécs, 1617. december 16.

A Biccsén kelt leveleket megkapta. Az elsőt a posta hozta, a második Veterosinuson keresztül jutott el hozzá. Örül, hogy a kutyaköltyköt megkapták, az oroszlánkölyök idomításával Henckel szolgája foglalkozik. A szobrász még nem kapta meg a márványt. A császár három négy napon belül Bécsújhelyre érkezik. Klesl a magyarok lecsitításán fáradozik. A pestis enyhülni látszik. Nem tudni, Ferdinánd Velence mellett telel-e csapataival. Gondoskodik arról, hogy Forster megkapja a neki küldött csomagot. Jeremias Spiegel levélben értesíti arról, hogy elhagyja a wittenbergi egyetemet. Paczoth októberben egy Magyarország dícséretének szentelt beszéddel búcsúzott el az egyetemtől. Az Ostrosithnak szóló Forster könyveket megküldi.

Illustrissime Comes ac Domine, Domine mihi semper gratiosissime, Salute et humiliorum seruitiorum meorum commendorum semper praemissa.

Binas hesterna die ab Illustrissima Dominatione Vestra accepi literas, die 4. unas alteras 10. hujus mensis Bychae exaratas, quarum priores per postam, posteriores Veterosinum directum erant. Catellum transmissum gratum et acceptum fuisse lubens intellexi, de leunculo adipiscendo diligentissime apud Seruitorem Generosi Domini Henkelij insto, qui etiam in se nihil desiderati patitur, sed accuratissime Augustam perscripsit, Ne autem de sua aliquid remittat industria, ad instandas ferias Natalitias duo ipsi indam aurea calcaria, ut per se currens, fortior eat equus. Eruet, scio, talem leunculum vel ex ipsa Libya.

Quotiescunque perquiro ex Sculptore, Nam Principale marmor allatum sit? Vox faucibus haeret, neque quid respondeat, habet. Interim asperius eum tractare non possum vel ipso domino Henkelio eum excusando. Anni et temporis iniquitatem praetendit, et tamen in horas se eum expectare dicit. Vix sermoni ejus fidem adhibuissem, nisi oculis meis vidissem literas, quibus scribitur die 23. novembris a terra movisse navem, cui superimpositus fuit lapis.

Sua Majestas Caesar cum sit in itinere constituta, speramus intra Natales ferias Neostadij futurus. Fama est crastino die in Wolkersdorff quarto ab hinc milliario ipsum pernoctaturum, et postmodum tridui vel quatridui itinere Neostadium profecturum. Illustrissimus Dominus Cardinalis Cleselius iam bis hic fuit, retro actis istis diebus, sed omnino occulte, neque cuiquam sui adeundi copiam fecit. Pronunc non adest, quodsi autem Illustrissimae Dominationis Vestrae nominis Suam Celsitudinem adire deberem, haut abs re foret, si Illustrissima Dominatio Vestra officiosas ad ipsum perscriberet literas, quas ego opportuno tempore ipsi praesentare et exquisita oratione Illustrissimae Dominationis Vestrae Suae Celsitudinis insinuare novero. Paria tamen literarum exarandarum mihi quoque transmitti humiliter peto.

Barones, quibuscum retroactis istis diebus conversatus sum, ita de Praesule hoc sentiunt, quodsi Vngarorum animos ita demulserit velut superioribus mensibus Boemorum, nam divinum et prorsus incomparabilem eum hominem esse oportere!

Pestis, Deo sit laus, nobis iam non ita sua fera tela intentat, fieri tamen nequit in tanta populi multitudine, quin unum vel alterum funus pestiferum efferatur.

De exercitu Ferdinandeo nihil certi aut explorati habemus in Confinijs ne Venetorum hybernabit, vel horsum ducetur. Haec talia arcana sunt Regum, in quae penetrare non fas. Oraculum est, quod scribit Euripides: Diffidentia moderata nihil utilius est hominibus. Cui confins[!] illud Graecum est lib. 1 ad Atticum: Vigila et memineris non credere: hi sunt nervi sapientiae.

Fasciculum ad Valentinum Guilhelmum Forsterum sonantem recte procurabo, ut in manus suae excellentiae perveniat suo enim Domino Henkelio (pronunc in praedio suo unius horae spatio hinc distanti existente) illum assignare servitor[?] illi mercatori, qui Forsterianos libellos mihi reddidit, utrinque recte curabitur.

Noster Jeremias Spiegelius Academicam professionem cum praepositura Kembergensi permutavit, id quod ex literis eiusdem hodie primum mihi innotuit. Bene sit optimo Capiti. Patzotus iam Octobri mense Witteberga discessit, cum prius orationem in laudem Hungariae Patriae habuisset, quam testatus Spiegelius proprio continuasse cerebro.

Ad Magnificum Dominum Ostrosith sonantem Forsteri libellum per Seruitores suos eodem tempore, quo Illustrissimam Dominationem Vestram transmisi. Plura hoc tempore non occurrunt, Deum precor, ut Illustrissima Dominatione Vestra felicissime valeat.
Viennae, 16. Decembris 1617.

Illustrissimae Dominationis Vestrae Humilimus seruitor

Martinus Sculteti

Post Scripto: Literas quoque ad Reverendissimum dominum Eliam Lany a filio Witteberga missas hodie accepi, quas huic epistolae adjunxi.

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Emerico Thurzo de Betthlemffalva, Comiti perpetuo de Arva eiusdemque Comitatus Arvensis Supremo ac perpetuo Comiti etc. Domino, Domino mihi semper gratiosissimo. Byttcham.
OL E 196. 30. fasc. Nro. 56. Autográf.

175.

Illésházy Gáspár Balthasar Meisnernek
Trencsén, 1618. március 14.

Bár még nem találkoztak, eddig kiadott írásaiból jól ismeri Meisnert. Elhatározta, hogy Isten dicsőségére az ifjakat az orthodox vallásban nevelteti. Ezért a két igen tehetséges ifjút, Daniel Hodikot és Zakariás Lánit elegendő pénzzel ellátva a wittenbergi akadémiára küldte. Meisner jóindulatába ajánlja a két alumnust.

Excellentissime Domine, amice nobis cum primis honorande, Salutem et officiorum nostrorum promptissimam oblationem.

Qvanquam de facie nulla nobis cum Excellentissima Dominatione Vestra noticia intercedat, ex scriptis tamen ipsius praeclaris hactenus in lucem editis celebrique fama, quae etiam huc sese diffudit, Excellentissimam Domnationem Vestram nobis optime notam esse non diffidemur. Unde oblata occasione non dubitauimus Excellentissimam Dominationem Vestram literis hisce nostris amice compellare.

Cogitantibus nobis, qua ratione nos quoque pro modulo facultatum nostrarum in gloriam nominis divini, Ecclesiae vel politiae commoda promovere et augere possimus, occurrit inter reliqua non postremum esse, imo plurimum in eo situm esse momenti, si Magistratus potissimum operam dent, ut Juventus recte et fideliter liberalibus disciplinis instruatur, inque orthodoxa religione educetur. Eam ob causam delegimus hosce ingenuos, et ingenio praestantes Juvenes duos, Danielem Hodikium et Zachariam Lanij Turocenos, eosque suppeditatis sumptibus necessarijs in Inclytam Vitebergensem Academiam ablegavimus, ut iactis hic iam studiorum fundamentis uberiorem isthic et solidiorem eruditionem consequi, eamque in usum et ornamentum Ecclesiae vel politiae temporis progressu favente DEO conferre possint. Quos duos alumnos nostros Excellentissimae Dominationi Vestrae de meliori (ut aiunt) nota commendamus, eandemque magnopere rogamus, ut ipsos benevolo favore suo complecti, utque in cursu studiorum felicius et facilius progredi queant, ipsis auxilio et consilio suo praesto adesse velit. Nos vice versa commitemur sedulo, ut officia et beneuolentiam nostram erga Excellentissimam Dominationem Vestram, cum usus poposcerit, declaremus. Quam in reliquo diuinae protectioni et tutelae commendans optime valere exoptamus.

Datum in arce nostra Trinchin, die 14. Martij Anno 1618.

Excellentissimae Dominationis Vestrae Servitor et amicus

Caspar Ilieshazj

manu propria

Címzés: Excellentissimo Domino Balthasari Meisnero Drezdensi, Sacrosanctae Theologiae Doctori et Professori publico in Inclyta Academia Vitebergensi. Domino amico nobis obseruandissimo.

Hamburg, Sup. ep. ff. 133. Eredeti.

176.

Ján Paludini Thurzó Imrének
Csütörtökhely, 1618.

Magasztalja egykori tanítványát, akit Biccsén hamarosan egy kéréssel fog megkeresni.

Illustrissime Domine Comes, Domine Fautor et Mecoenas mihi aeternum suspiciendum. Salutem perennem, gratiam et pacem in Christo Jesu Illustrissimae Celsitudini Vestrae animitus precor, meaque humilima Seruitia humilime commendo.

Quanquam Illustrissime Domine Comes, Discepule quondam optatissime, quanquam, inquam, eum me Deus et Natura effinxit, ut grauissima autoritate homines non tantum, non ex profundo humiliter suspicerem, venerarer colerem, sed etiam haud temere grauioribus quippe negotijs et oneribus publicis oneratos, intempestivis meis obruerem: Tamen cum pro diuturna animi mei επιθυμια litteras suauissimas, doctissimas, propensi amoris et beneuolentiae plenissimas ab Illustrissima Celsitudine Vestra habeam impius sane essem, si taciturnitate eas sequirem.

O ergo mihi tantae a tanto! Huc huc desiderabiles Literae ad os et pectus meum! O mellitae et doctae perpetua relectione dignissimae, o gratissimae mihi! Quoties uos suauissimas lego, relego, toties mihi videor cum magno illo verae Ecclesiae Nutritio Illustri EMERICO THURZONE suauiter loqui, colloqui refici. Utinam Aquila Diuina saepius tantas mihi a tanto! Id quod humiliter petitum atque impetratum ab Illustrissima Celsitudine Tua demisse cupio. Pro Illustrissimae Celsitudini Tuae Lucubrationibus in Alma Wittebergensi Academia habitis et proxime per fidelem suum Subditum Dolnik tum mihi tum Domino Parenti meo transmissis eas, quas possum ore et corde ago et habeo gratias, pro amore item honore et fauore pristino, quo me Eadem prosequutum pientissime voluit. Admiror certe Illustrissimae Celsitudinis Tuae singularem pietatem, admirabilem Eruditionem, et incredebilem humanitatem, quae non solum inter ornamenta alia fulgentissimum est, Sed ad conciliandos omnium animos, et quod maximum, absentum quoque compendium quoddam certissimum. Tantum enim mansuetudo atque benignitas Principum et Magnatum potest, ut non solum, cum sunt praesentes, verum etiam maximo intervallo disiuncti, quidam quasi fomites amoris et beniuolentiae erga se in pectoribus hominum relinquant. Haec omnia cum in Illustrissima Celsitudine Tua conspicua sint: Pietas in Deum, in Sacra, in Verbi Ministros. Eruditio, nec umbratilis ea et perfunctoria sed uera et solida, peregrinationibus usuque multo firmata: humanitas et clementia, non solum erga subditos, sed etiam exteros, eos cum maxime melior quos Phoebus amauit: non uenerationem modo maiestatemque Illustrissimae Celsitudinis quandam Tuae inter Hungaros: verum remotioribus etiam in locis praedicationem ac celebritatem conciliant maximam, cum non tam Ethnicorum Minerua, quam e Coelis promanans Sapientia, animum Tuum Illustrissimum politiori doctrina inaurarit. Proinde

cum humanitatis Tuae, Illustrissime comes, infinita propemodum alijs pateant argumenta: mihi recens illud ante oculos et animum uersatur quod mensa, quod vultu sereno juxta et benigno, quod sermone placido me nuper, suum simplicem quondam Praeceptorem exceperas, non molestam confido Epistolam hanc meam habitum iri, ab animo certe memori profectam; quam ubi fronte non caperata nec constricta admiseris: certe nouum humanitatis et fauoris Tui mihi innotescet documentum. Supremus ille Regum dominantiumque Rex et Dominus, Illustrissimam Celsitudinem Tuam affatim benedicat, cumque Magnifica Domina Matre et Inclyta Familia Thurzoniana in Ecclesiae militantis tutelam, in Reipublicae languescentis medelam, in omnium denique bonorum clientelam diutissime seruet et felicitet. Amen.
Deproperabam ex Oppido Quintoforensi pro festo Sacro Sanctorum Angelorum, quos Angelus ille magni consilij, Celsitudinem Tuam uigiles et σωματοφυλακας[?] jubeat esse perpetuos. Anno 1618.

Illustrissimae Celsitudinis Tuae subiectissimus
Johannes Paludinus
pro tempore oppidi Quintiforensis Pastor

Post Scriptum: Si Deus mihi huius lucis usuram concesserit, forsitan illa septimana circa festum Galli, in quodam certo negotio Illustrissimam Celsitudinem Tuam Bitschae conueniam. Iterum feliciter valeat.

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, Domino Emerico Thurzo de Bethlemfalwa, Comiti de Arwa Eiusdemque Comitatus Comiti perpetuo etc. Sacratissimae Regiae Majestatis Consiliario etc. Domino Fautori, Mecoenati et Discipulo olim aeternum suspiciendo. Bitscham
OL E 196. 30. cs. 8. fasc. Nro. 22. Autográf.

177.

Michal Sinapius és Daniel Dubravius Thurzó Imrének
Wittenberg, 1618. október 6.

Thurzó Imre első ösztöndíjasaiként kerültek ki Wittenbergbe. Igyekeznek méltóak lenni az ösztöndíjra, ami a levonások miatt – ugyanis a lietavai provizor 10 forintot vont le, a pénz átváltása pedig két forint volt – fejenként 68 magyar forintra csökkent. Ez megélhetésükhöz nem elég. Kérik, egészítse ki ezt az összeget. Dubravius megbetegedett, de állapota Sennert doktor kezelése nyomán jobbra fordult. Balthasar Meisner és a többi professzor is megígérték, hogy segítik őket a tanulásban.

Illustrissime Magnificeque Comes ac Domine, Domine nobis benignissime. Salutem jugem cum perenni Diuinae benedictionis fonte Illustrissimae Magnificentiae Vestrae ut et Illustrissimae Genetrici suae adeoque Vniversae domui Thurzoae precati studia nostra spondemus.

Quanquam non ignoremus, Comes Illustrissime, varijs et quidem grauioribus Illustrissimam Magnificentiam Vestram occupatam esse curis, confisi ta-

men fauori, quo suos complectitur, scidam hanc curauimus expediendam, tum ne suspicio sit nos penetrasse ad loca silenta, cum ne judicemur in rebus nostris, quam par est, negligentiores. Considerantibus autem nobis terminum, a quo egressi et ad quem digressi sumus, vtrinque moveri videmur ad referandas post Deum Illustrissimae Magnificentiae Vestrae grates, quippe quae nos ad locupletiorem honestarum disciplinarum mercaturam emissos vberiorique doctrinae restituendos voluit. Aeternus Deus, qui Illustrissimae Magnificentiae Vestrae consilia regit, instituta dirigit, et ad Divini nominis gloriam, veritatis propagationem et Ecclesiae commodum flectit, Spiritum illum non auferat ab Illustrissima Magnificentia Vestra, sed cor ejus in bono stabiliat, legem et justitiam suam ante eam ambulare faciat, et de torrente delitiarum praebeat illi, quo in mundo honorari, in coelo coronari et viuendo saturata gremio Abrahae excipi aeternaque jucunditate perfrui possit. Quod ut larga Altissimi bonitas facere velit, iterum atque iterum precamur. Porro ut nautas quandoque in portu, antequam in altum deueniant, perque vastissimos Oceani tractus currere atque recurrere incipiant, impingere, praesertim ubi nimia moles et aquarum βραχυτης accesserit, experientia loquitur. Ita non defuerunt, quae nobis peregrinantibus nonnihil aduersitatis pepererunt. Ac primum quidem postquam Illustrissima Magnificentia Vestra discedens nos literis, admonitione et benedictione sua instruxisset, deque promotione antehac ab Illustrissimo Genitore suo (qui nunc εν αγιοις) in Academicos collata nunc in nos etiam conferenda certiores reddidisset, en miseris misere 10 floreni a prouisore Letawiensi denegatur, post 2 floreni subtrahuntur, et tandem 138 exhibentur ejus monetae, cujus commutatio rursus 2 florenos absumsit, et sic summa totius quilibet nostrum 68 florenos Hungaricos accepit. Quod cum Illustrissimae Magnificentiae Vestrae promissioni et mandato vim inferat, nostrosque conatus et studia Academica (quae silent, dum res angusta domi, quod Illustrissima Magnificentia Vestra vel nobis tacentibus colligere poterit, tanquam eorum optime gnara) frangere incipiat, eandem majorem in modum rogatam esse volumus, dignetur nos tanquam primos suos alumnos gratia, liberalitate et fauore suo ornare, defectumque promotionis jam oblatae supplere, nec permittere studiorum nostrorum nidum semel sub tecto Illustrissimae Magnificentiae Vestrae erectum corrui, quin potius ramos ejus ad coelum usque erigere, quo olim DEO, Ecclesiae, Musis felicius prodesse possint. In hanc descendimus spem vota nostra non fore apud Illustrissimam Magnificentiam irrita tum propter Dei omnipotentis (in cujus via nunc sumus) retributionem, cum precum nostrarum indefessum studium.

Alterum: Daniel Dubravius Zolnensis morbo in itinere correptus, Wittebergam adiens grauiter decumbere caepit. Tandem curae Doctoris Sennerti commissus vires cum Deo resumere incipit. Studia nostra adhuc incerte vagantur sede, propter suspensus pro more lectiones, quorum vela promovere cum omnes Excellentes Professores literis Illustrissimae Magnificentiae Vestrae salutati, tum vel maxime Dominus Balthazar Meisnerus, promiserunt, summus quoque Musarum praeses CHRISTUS, quin sit ea directurus, nulli dubitamus. Quod reliquum est, benignissimum patrem luminum precamur, ut Illustrissimae Magnificentiae Vestrae in agnitione sui πληροφοριαν, in fide robur, in pietate incrementum, in officio constantiam, in tentatione solamen ac tandem in filio suo beatissimae salutis

sempiternam paterne concedat perfruitionem. AMEN, addat confirmetque is, in quo omnes promissiones sunt Ναι ναι αμεν.
Dabantur Wittebergae, pridie Nonas Octobris Anno του λογου ενσαρνου 1618.

Illustrissimae Magnificentiae Vestrae Alumni obsequentissimi
Michael Sinapius Beczkoviensis
Daniel Dubrauius Solnensis

Címzés: Illustrissimo Magnificoque Comiti ac Domino, Domino Emerico Thurzo de Betthlenffalwa, Comiti perpetuo de Arwa ejusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti. Sacrae Coesareae Regiaeque Majestatis Vtriusque Tabulae Iudiciariae Baroni et Assessori. Domino Fautori patrono, et Musagetae benignissimo.
OL E 196. 37. cs. Nro. 15. Eredeti.

178.

Zacharias Flottwedel Balthasar Meissnernek
Biccse, 1619. január 30.

Elküldte a 24 forint 10 dénárnyi összeget. Nagyon örül a photinianizmusról szóló műnek. A jezsuiták ármánykodtak ellene, de Isten büntetése patrónusaikkal együtt száműzetésbe kényszerítette őket. Bethlen Gábor hadai elérték, hogy az antikrisztus csapatai szégyenteljesen elhagyják Morvaországot. Jelenleg Bécsben vannak, s ha a tél nem jön, talán ott sem rejtőzködhettek volna el. Hunniusnak a photinianusok ellen készülő munkáját az első adandó alkalommal küldje meg neki. Sopomius ügyét elintézte, Thurzó Szaniszló alumnusaival kapcsolatban legyenek körültekintőbbek. Többen bevádolták őt Rosseliusnál, hogy tévtanokat hirdet és szakadást okoz az egyházban. Kéri, hogy küldjék meg neki a vádoló leveleket, mert bár rendkívül elfoglalt a jezsuiták és kálvinisták elleni küzdelemben, méltó választ kíván adni.

Salutem et observantiam offero, annumque hunc felicissimum a Deo vobis precor.

Excellentissime Domine Meisnere, Fautor et Patrone honorande, mitto jam Vestrae Excellentiae summam pecuniae restantis, nempe 24 florenos 10 denarios petens, ut partim remittat hac festinante occasione meam manum cum significatione acceptae pecuniae et adhuc, ut puto, subsistentis apud vos salvum supellectilis, an scilicet ea adhuc bene habeat, cum id pro tempore mihi satis esse debeat, utpote quae huc deferri commode nequeat. Oro autem, ne ob caussas notas tarditatem missionis aegre feratis, Deus compenset id, quod in me paterne factum est! Et ego dabo operam non segnem, ut circa festum Johannis alia ratione gratitudinem declarem. Dicique non potest, quam grata et utilis mihi sit Photinianismi adcuratissima consideratio. Satisfaciam pro hoc quoque, si Dominus Deus vitam reliquerit superstitem, jam enim, utpote per Postam, ut dicunt, scribenti non est commodum, optimum autem est in hac haeresi, quod persecutiones religionis non instituant, ut Jesuitae. Etenim hi effecerunt, ut ferme hactenus de vita et fortunis nostris desperaverimus, meique libelli et alia praestantiora ferme

ad integrum semestre fuerint in Lethava. Sed Deus, quod intentarent nostris cervicibus (nam dominus noster Illustrissimus cum praecipuis Evangelicis propediem debuissent et premi et adfligi et mactari, ubi autem tum pulvisculus ille Flotwedelius mansisset!) in ipsorum jugulum convertit, dum ejecti cum suis Patronis quibusdam magnatibus perpetuos agent posthac exules. Mirum est in oculis nostris, quod praeter omnium expectationem fecit Dominus, laudandus propterea in seculum seculi!

Princeps Transilvaniae Serenissimus Gabriel Bethlen cum quadraginta quinque millibus (hac transierunt ferme bis mille equites hastati et 40 currus, farinam, carnes et alia ad bellum et sustentationem necessaria portantes) tam Hungaris, quam siculis hominibus truculentissimis exque Dei benedictione id efficientibus, ut Antichristi cohors ex Moravia cum pudore egrederetur et Viennae demum vix tuto quiesceret. Nisi etiam hyems obstitisset, quis scit an jam Papae Angeli ibidem possent delitescere. Sed quis scit, quid serus vesper adhuc vehat? Quamvis Comitia sint indicta ab ultimo Maji futuri ad ultimam Junij. Deus respiciat Ecclesiam, eamque contra omnes etiam clancularios destructores clementer adferat!

Caeterum quia inaudio Excellentem Dominum Hunium plenario scripto articulum de trinitate Sacro Sancta contra Photinianos tractaturum, petam id proxima occasione, et satisfaciam. De Sopornii debito ingratum fero responsum, quod multo tamen labore a secretario Illustrissimi Domini Comitis obtinui. Cautius ergo posthac vobis agendum fuerit aut certe, si fas est, in alumnis Domini Stanislai Thurzo satisfactionem quaerere cogemini. Noster Dominus Illustrissimus liberalior est, apud quem citius impetrarem aliquid in tali casu. Apud illos autem, qui sunt aliquanto remotiores, vix tantillum impetrabimus. Verbum Dei volunt quidam, sed gratitudinem recusant, licet hic paulo commodius omnia habeantur, sicque ob favorem Domini Illustrissimi laudandum adhuc maneam, accedente praesertim Vestra nupera et amica et gravi ad manendum commonefactione. Forsan nil nocebit vidisse pericula et emersisse.

Crameri Magdaeburgensis, quem scribitis, similes hic quoque habuimus praecedentibus annis, qui dum adcuratum contra haereticos et pseudophilosophos disputandi ac procedendi modum ignorarent, nescio quas pressuras cervici impingere conabantur. Unde et eo res deveniebat, ut quidam ex illis, qui <me> apud Dominum Magistrum Rosselium graviter adcusasse scribitur meam personam eamque vobis omnibus invisam reddere voluisset, ut hic quidam inciperet dicere me Wittembergae vocari Schismaticum, esse relegatum, quod indicatum sit literis Rosselii clancularie ad quendam huc scriptis. Similiter referunt me apud alios adcusatum, nescio in et de quibus. Si autem Rosselius candidus esset, me convenire deberet literis, ut audiret, quid statuerem vel, non aut quonmodo explicarem id, quod quidam *αοοφο* non capiunt. Imo literae ad me adcusantium mitti deberent, ut scirem, quid esset vel secus. Si autem in controversiis philosophicis aut mixtis modeste huc et ibi dissentio, cur adcusor? Cum liberum id semper fuerit, esse debeat. Hoc tamen scio me ad nomen Dominorum praeceptorum Wittembergensium singulari cum reverentia etiam solenniter caput aperire etc., cum non posset probare, de quibus publice me adcusaverat, etiam desperante de hac

caussa suo patre adhuc vivo deberet publice coram toto auditorio, et secretario, domi literis meae, et voce coram Ecclesiasticis et politicis seu alulicis personis revocare. Hinc Hae lacrumae, ut scriptum sit pro auxilio ad Rosselium, qui quantum ipsum juveri tempus docuit. Repeto ergo, vellem Rosselium ad me mittere literas adcusantis, ut plene possem me apud vos excusare, cum non putem tantum virum, ex cujus aedibus faventer et honorifice promotus sum, adnuisse, ut toti Hungariae in caussa a Rosselio nunquam plene percepta suspectus redderer. Adversarios hic habui Calvinianos, quibus integra Apologia respondi, quam jam terunt ut et Jesuitas, qui itidem habent jam quatuor longinsculis Disputationibus responsum. Sed labor iste mihi tam difficilis non extitit, quam illae calumniae, quae ex occasione a Rosselio inique data mihi sunt enatae. Deus autem est, qui videt et judicat! Forsan tempus erit, ut et Rosselio hac in parte satisfaciam, si velit mallem tamen ipsum sua tractare, et candore uti erga eum, a quo unquam laesus est.

Ad haec de Trostio hoc possum scribere eum promississe animadversionem etiam publicam in ea, quae esset ad methodum Ratichianam editurus Dominus Helvicus, quem jam mortuum pie video in Vestrae Excellentiae consideratione. Sed utinam, si quae est, illa animadversio vel refutatio respiceret emolumentum Ecclesiae, ita enim diligenter contra Adversarios nostros eam evolverem!

Ad finem non possum, quin sincero et plane filiali animo hoc tangam, fuisse hisce diebus apud me studiosum, qui cognoverit quendam Halensem multis beneficiis a me adfectu hoc loco[?], qui pecunia et beneficiis mei tum (jam enim cogitur cum sui similibus mihi pacem restituere) Adversalioli, vel potius Calumniatoris corruptus, pessime apud omnes bonos <hic> me denigrarit. An ita sit, ignoro. Sed hoc dico, Judicet Deus et veritas nostraeque conscientiae, quid hic faciam (pro meo virili) pro veritate, quam Wittembergae potissimum hausi, aut non. In summa Nunquam ad quicquam respondebo, nisi literis vestris mihi id judicaveritis, alias enim tales nugae et mendicia me in officio possent reddere, et desidem, et nescio, quid de vobis cogitantem. Si quid est, iudicate paterne, sin minus, pro nugis habebo, quicquid tandem sit. Unde non addo, quod quidam de Gutkio et Weixelbergero dicunt eos ex mensa Domini Illustrissimi Magnificentissimi sparsisse, ignominiosam et meam et meae uxoris esse familiam. Si autem scirem veritatem, agerem apud Magdaeburgenses per quosdam senatores et Camerarios, ut et Ecclesiasticos adfines meos ipsis gratias, ut sentirent. Sed satis de hisce, quia tanta injuria mihi etiam absenti illata (nam familia nostra honestissima per totum Senatum Magdaeburgensem et Brunsvicensem, imo et alia loca etiam Magnorum Principum sparsa est, ut forsan suo tempore probari posset ex aula Lunaeburgensi et Vernensi) devorari nequit, antequam eam meo Patri et Promotori Meisnero iudicarem. Interim Deus conservet custodientes pacem et veritatem, inque his illos confirmet ad finem vitae suae! Amen.

Hisce Excellentia Vestra rectissime valeat, salveat cum sua carissima, Domino Balduino etc. et floreat in Dei gloriam et Ecclesiae aedificationem pergat.

Dabam 30. Januarii Anni 1619.

Vestrae Excellentiae observantissimus

Magister Zacharias Flotwedel

Címzése hiányzik.
Hamburg, sup. ep. ff: 148-149. Másolat.

179.

Thurzó Imre Balthasar Meisnernek
Biccse, 1619. július 17.

Megkapta Meisner pünkösd előtt írott levelét, amiből megértette, hogy Meisner megőrizte őt jóemlékezetében. Megköszöni a megküldött prédikációs kötetet és az antiphotinianus munkát. Flotwedel a biccsei gimnázium főrektora lett, beváltotta a hozzáfűzött reményeket. Ő eddig is támogatta és ezután sem feledkezik meg róla. Első évi fizetése 150 magyar forint, ezenfelül szorgalma miatt 210 forintot rendelt neki, és még az élelmezéséhez szükséges dolgokat is biztosítja. Mindent megtesz, hogy állásában megtartsa, kéri, hogy Meisner is intse maradásra. A Babilóniai falak magyarra fordíttatásán fáradozott, ennek egy példányát elküldi Meisnernek.

Reverendissime, Clarissime atque Excellentissime domine, Amice nobis plurimum obseruandissime. Salutem exoptatissimam cum desideratissimis rerum successibus precati, affectum sinceritatis plenum cum debita promptitudine officiose deferimus.

Quantumnam Vigorem et neruum vix unquam intermoriturum, olim auspicato inita, et non solum inita, sed etiam sat bene multo temporis articulo, bono cum DEO, In Alma hac ad Albim Leucorea continuata Amicitia et Necessitudo, distantium praesentissima fautrix, etiamnum retineat, Literae Reverendissimae Dominationis Vestrae feria tertia Pentecostes ad Nos data abunde testantur. Videre enim est ad oculum, quanta beneuolentia et fauore, quantave animi sinceri fiducia atque constantia sua Nobis consecret Reverendissimae Dominationis Vestrae studia, pietatis humanitatisque plena, dum nimirum praeter omnem expectationem, transmittit nobis Homilias Euangelicas et opusculum quoddam Antiphotianum, alioqui libellos in proprios, (vti insinuat) usus, ob angustiam temporis confectos: quae omnia vt gratissimo recognovimus animo, Ita daturi singularem operam, quo Reverenda Dominatio Vestra nostra rursus quouis loco et tempore probare possimus officia.

Et quia res ipsa postulat, vt a Nobis similiter laudatissimae gratitudinis aliqua monimenta reciproca in Vestram Reverendam Dominationem redundarent, affectusque Eiusdem ad majora tekmiria[!] erga nos in futurum declarandum magis magisque induceretur: Particulam vnam Auri et Croci Reverendae Dominationi Vestrae pro hac occasione lubentes meritoque offerimus, Eandem vehementer obsequioseque tanquam omnem Auricum Veteranum, et nobis mul-

tis nominibus commendatissimum, qua par est observantia atque honore rogantis, velit aequi bonique consulere, et non tam exiguum istud, quod defertur munusculum, quam animum ipsum, a quo proficiscitur, pensitare. Recipimus, imo ultro spondemus, divina annuente benignitate atque clementia, quod pronunc certis ijsque grauissimis de causis intermittit, Nos in posterum affulgente exoptatae pacis atque tranquillitatis tempore et opportunitate, quibus unquam fieri licuerit modis et rationibus, recompensaturos.

Coeterum, Reverendam Dominationem Vestram recenti tenere memoria nulli dubitamus, quam diu multumque laboratum per nos extiterit apud Inclytam Vniuersitatem celeberrimae istius Academiae, Annis superioribus, ratione Clarissimi domini Magistri Zachariae Flotwedelij, vt vtcunque[?] Is Gymnasij nostri Byttchensis, post pia fata Illustrissimi olim domini Comitis, Palatini Regni Hungariae, domini progenitorij nostri perpetim colendi, per nos in integrum restituti, et quo fieri potuit meliori modo, DEO duce et Auspice CHRISTO, adornati prouinciam Rectoratus primarij in se assumsisset, desideriumque tam nostrum quam fidei suae concredendorum expleuisset.

Hoc licet tum citra taedium ab Inclyta Academia obtinuerimus, suaque Claritas non exiguum progressum et accessionem, Fatis rem conatusque urgentibus, in [...] memorato Gymnasio nostro fecerit, adeoque nomen honestissimum et commendationem apud praestantissimos viros meruerit; Tamen eo non considerato, neque etiam grauissimorum sumtuum et expensarum in adductione sui suorumque per nos factarum, spartam hanc ex alto despiciens properio quodam, nec vsque adeo nobis satis probato, affectu ductus et incitatus in medio acri cursu desistere, Nosque et benefatum Gymnasium (persuasionibus nullis admissis) Penitus derelinquere apud animum conclusit. Vnde dissipationem juventutis, (per dej gratiam vt plurimum iamtum[!] florescentis) Jacturamque studiorum immutationem ejuscemodi plerumque subsequi solitam, sedulo et solicite praecavere studentes, Reverendam Dominationem Vestram etiam atque etiam enixe rogamus, velit pro ea, quam apud dictum dominum Flotwedelium semper plurimum valuisse, certo nobis pollicemur, existimatione et authoritate in id incumbere, positisque ob oculos ipsius omnibus beneficijs acceptis, Eundem serio per peculiares suas literas ad nos primitus dirigentem a proposito tali dehortari, vt in vocatione sibi semel oblata de reliquo perseuerare, functionemque honestissimam eo ardentius promovere alacris non intermittat.

Nos profecto, quantum in Nobis situm est, vti hactenus candidum nostrum erga suam Claritatem semper exhibere votis omnibus adnitebamur animum: Ita in posterum quoque paria incrementa, imo majora contestari sumus parati. Quod vel exinde manifesto liquet, ubi dum sub initium sui Regiminis scholastici, pro Anno primo habuisset florenos 150 Hungaros. postmodum Aduersa ipsius industria, ultro ordinauimus Eidem florenos 210: Adhaec Auctionem victualium pro culina necessariorum (excepto vino, et alijs extraordinarium beneficijs), quae etiam pro praesenti parati sumus optime disponere, et suae claritati gratificari modo in statione perseueret. Facturum hac in parte Reverendissimae Dominationi Vestrae rem cumprimis nobis asperrime gratam, studiosae juventuti perquam

utilem et sibi ipsi maxime proficuam. Quam de coetero diutissime viuere, valere et florere animitus percupimus.
In Arce nostra Byttchensi, die 17. Mensis Julij Anno 1619.

Ejusdem Reverendissimae Dominationis Vestrae Amicus in Christo quam benevolentissimus

Comes Emericus Thurzo de Arwa
manu propria.

Post Scriptum: In hungaricum sermonem demolitionem Murorum Babylonicorum transferri curavimus. Exemplar unum Vestrae Reverendissimae Dominationi transmittentes, vt sic videat, quanti aestimentur sui labores, etiam hic in hungaria; In posterum quoque in quibuscunque honori et aestimationi Vestrae Reverentiae promotione nostra prodesse poterimus, vltro et lubentissime id facturi sumus.

Címzés: Admodum Reuerendo et Clarissimo Viro Domino Balthasari MEISNERO, Sacrosanctae Theologiae Doctori, in celeberrima Academia Vitebergensi publico Professorj etc. Amico nobis multum honorando atque obseruando.

Hamburg, sup. ep. ff: 1115-1116. Az utóirat és az aláírás autográf.

180.

Zacharias Flottwedel Balthasar Meisnernek
Biccse, 1620 március 28.

Levelét örömmel vette, elkeseríti azonban, hogy Rosselius Gregor Lánihoz és másokhoz írott levelében rágalmazza őt. Ezekben rossz hírét kelti, s befeketíti azt a munkát, amit a jezsuiták és kálvinisták ellenében folytat. Kéri, hogy az ezzel kapcsolatos dokumentumokat küldje meg neki, hogy megfelelő választ adhasson. Azt beszélik, hogy Jacob Martini öt teológiai disputációt tartott ellene. Ezeket is meg fogja válaszolni. Érdeklődik, hogy akadna-e Wittenbergben olyan nyomdász, aki kinyomtatna egy jezsuitaellenes iratot.

Salutem et paratissima officia.

Magna cum exhilaratione animi accepi literas vestras postremas per praesentem tabellarium, ex quibus videre potui curam tamen adhuc aliquam mei apud vos superesse. Secum facit Rosselius; qui, nescio quo cestro[?] iracundo, furioso et in me plane Diabolico percitus, huc binas ad minimum contra me scripsit literas, directas quidem ad Gregorium Lany cujusdam filium, sed saepius descriptas, et cum contemtu Gymnasij, meae famae, omniumque laborum, quos feliciter, Deo sit laus adversus, Jesuitas et Calvinianos praesentes-absentes (hic tamen in Hungaria suam causam urgentes) expedio per totam Hungariam sparsae sunt suppressione. Cum homine amicitiam colere non potui, quia nondum adeo notus erat meo tempore. Jam autem contra ipsum me defendo, ut par est. Propediem videbitur totum negotium. Si tamen ad me mitteret literas istius Gregorij, ut viderem quomodo conductus et invitatus esset ad hoc opus: et copiam examinis

primi (Vult enim iste me examinare in istis generalibus Theologiae consideratio-nibus qua fortuna, suo tempore palam videbitur) seu literarum primarum, in quibus bene me tractat, et adhuc quidem[?] cursorie ipsi forsan forem mitior. Multa enim primis literis alijs addita sunt, quae nollem ipsi imputare. Copiam ab ipso pro sua auctoritate posset Vestra Excellentia <ab ipso> petere, et mihi exhibere; ut ita de veritate potior staret sententia. Alias mallet Dominus Comes, ut Responsum hoc Hungaricum, uno dictante bis terve describeretur, et partim patriae meae (forsan (ammanuo nostro) partim aula electorali communicaretur. Status meus dicetur a tabellario: saepe enim hactenus hic pressus eram ut nugis Rosselij non fuisset opus; cogor tamen in gratiam mei Domini Illustrissimi, Academiae Wittebergensis officij, personae et famae meae, laudes illius decantare. Si rectius cecinisset, elegantius jam saltaret. Scriptum insuper in Hungaria est, (de quo hinc inde mihi referunt amici) quod Dominus Jacobus Martini contra me habuerit quinque Disputationes de Theologia in genere. Quid faciendum? Invocabo ego nomen Domini negotium pie expendam, (nondum enim vidi quid sit) et quid responsurus sim dies dabit et Germania paulatim videbit. Sed aliter esse non potest, ni fallor, et ego Theologos et Philosophos audivi in Germania, antequam mihi Illustrissimus Magister[?] cognitus est. Amice tamen cum amicis erit agendum. Et peto propter Deum, ut tandem pace Vestrae Excellentiae (quam ego Patrem mihi eligo et exopto) jugum illud servitutis ab humeris meis excuti faventer patiatur. His Vestram Excellentiam Domino Deo commendo, et diu valere florereque recte jubeo.
Bytscha, 28. Martij 1620.

Vestrae Excellentiae observandissimus Magister
Zacharias Flotwedel.

Peto ut mihi scribatur, an possim invenire apud vos Typographum pro scripto quodam Antijesuitico, quod forsan sese extendet ad tria Alphabeta. Ero gratus. Et circa festum Johannis cum novis alumnis mitterem non tamen sine literis Domino ad Facultatem Theologiae.

Címzés: Excellentissimo Theologo, Domino Doctori Balthasari Meisnero, in alma Wittemberga Professori celeberrimo, Domini Fautori et amico praecipuo.
Hamburg, sup. ep. ff: 147-148. Másolat.

181.

Thurzó Imre Balthasar Meisnernek
Biccse, 1620. május 14.

Nádasdy Pál alumnusai Wittenbergbe készülvén hozzá fordultak támogatásért és ajánlásért, hogy megkezdett tanulmányaikat folytathassák. Ezt az alkalmat ragadja meg, hogy elküldje Meisnernek Pázmány traktátusát. Ez a mű az evangélikusok ellen irányul, magyar nyelvű és Hodegius címmel jelent meg. Thurzó a művet latinul

küldi. A fordítást a dunántúli egyházmegyék lelkészei végezték. Kéri, hogy a teológiai kar cáfolja meg Páznányt, hogy a magyar evangélikus hívek hitükön maradjanak és megerősödjenek abban.

Admodum Reverende, iuxtaque Clarissime domine in Christo Amice singulariter Nobis colende. Felicissimos rerum successus Reverendae et Clarissimae Dominationi Vestrae sincerissimo affectu precamur, nostraque studia et officia amicissime consecramus.

Praesentium Exhibitores Alumni alioquin Illustris, Spectabilis ac Magnifici domini Pauli a Nadassd, Fratris nostri sincere dilecti, studiorum continuandorum gratia in almam Academiam Wittebergensem profecturi, ad nos postquam divertissent, nostrisque literis Salvi Conductus, ad petitionem domini sui Principalis muniti, iter inceptum continuare voluissent: occasione hac satis commoda oblata transmittere voluimus Reverendae et Clarissimae Dominationi Vestrae Tractatum quendam satis venenatum, per sceleratissimum illum Patriae nostrae Proditorem publicum, Esauitam Pasmannum in perniciem Ecclesiarum Evangelicarum elaboratum, et sub Titulo Hodegij in lingua Hungarica conscriptum, passimque hic per Hungariam, cum summo derogamine et contemptu Confessionis Augustanae Librique adeo ipsius Concordiae, in vulgus sparsum, cuius conatus virulentos omni vi, via modoque reprimere satagentes.

(Nulli etiam dubitantes de Reverendae ac Clarissimae Dominationis Vestrae erga nos propensa sinceritate, et certo scientes Eandem nos eodem affectu et animo prosequi, quo Wittebergae cum ageremus, complecti et prosequi non fuit dedignata) illum ipsum Tractatum Reverendae ac Clarissimae Dominationi Vestrae prius in latinum sermonem, per Venerabile Contubernium Reverendorum Patrum Partium Hungariae Trans-Danubianarum fideliter translatum, transmittendum duximus, rogantes maiorem in modum pro eo affectu, quo erga sinceram Augustanam Confessionem, Libro Concordiae comprehensam fertur, velit eum in gratiam nostri et universarum Ecclesiarum Hungaricarum, per amplissimum Collegium Theologicum refutari facere, hac in parte etiam publicum Ecclesiae bonum promovere, et nos alioquin sibi devinctissimos devinctiores reddere, superbiamque eius Esauitae Pazmanni reprimere, et nobis in promotione negocij Religionis etiam cum summo vitae fortunarumque hactenus periculo, politice laborantibus (quod etiam usque ad ultimum vitae habitum, et sanguinis ipsius profusionem continuare, auxiliante DEO, intendimus) Theologicum suum succursum impertiri. Cui vicissim omni occasione amicitiam nostram et propensum gratificandi studium consecramus: Responsum optatum praestolaturj.
Dabantur ex Arce nostra Byttschensi, die 14. Mensis Maij Anno 1620.

Reuerendae ac Clarissimae Dominationis Vestrae In Christo
Amicus benevolentissimus

Comes Emericus Thurzo
manu propria

Címzés: Admodum Reverendo, iuxtaque Clarissimo Viro, domino BALTHASARI MEISNERO, Sacro-Sanctae Theologiae Doctori, ac in Illustri Academia Wittebergensi Professori dignissimo, domino in CHRISTO Amico singulariter Nobis colendo.
Hamburg, sup. ep. ff: 1011. Autográf.

182.

Friedrich Balduin Thurzó Imrének
Wittenberg, 1620. június 7.

Pázmány Kalauzának cáfolatát még nem tudták elkészíteni egyrészt a háború miatt, másrészt, mert a szász választófejedelem megbízásából más műveken dolgoznak. Ha nem talál erre a munkára mást, ő maga lát majd hozzá. Thurzó egyik alumnusa, Michal Sinapius Balduin kezessége mellett 16 forintért könyvet vásárolt Paul Helwigeusnél. Biztosra veszi, hogy Sinapius megadja a pénzt, csupán jelezni akarta ezt a dolgot a grófnak. Nádasdy gróf egyik alumnusával az előző évben elküldte válaszát a rakówi katekizmusra, nem tudja, megkapta-e ezt Thurzó.

Illustrissime et Magnifice Domine Comes, Domine gratiosissime. Felicitatem ac pacem a Domino DEO exercituum Illustrissimae Magnificentiae Vestrae cum devota officiolorum meorum oblatione ex animi sententia precor.

Desideratissimas Illustrissimae Magnificentiae Vestrae literas superiore septimana debita cum reverentia accepi, et inprimis pristinum illum erga veram religionem Zelum non sine gaudio intellexi. Nam dum in istic belli tumultibus Illustrissima Vestra Magnificentia Pazmaniani Hodegij refutationem a Collegio nostro adornari expetit, nihil aliud inde colligere possum, quam e votis optatisque Illustrissimae Vestrae Magnifiecntiae esse, quam ut vulnus illud per funestum, quod jam passim ardet bellum, ecclesiae inflictum, non publicativa aliqua cura, sed solide consolidetur, remotis nimirum ex animis piorum scrupulis illis, quos factio Jesuitica venerato isto scripto teneris cum scientijs iniecit. Utinam vero tantum nobis vel virium, vel otij esset ut pio illi Illustrissimae Vestrae Magnificentiae desiderio ex asse satisfacere possemus!

Novit enim Illustrissima Vestra Magnificentia, qui sint concatenati labores nostri ordinarij, a quibus sine singulari indultu Serenissimi nostri Domini Electorjs respirare nobis non licet et hoc praesertim tempore quidem nostrum refutandis Photinianis, quidam scriptis Anticalvinianis, quidam etiam scriptis exegeticis; quibus omnibus jam manum admovimus horis, si quae sunt, subsecivis, ita sunt occupati, ut alijs vix vacare valeamus.

Quia tamen scripti illius Pasmaniani refutationem omnino necessariam, et Ecclesiae utilem judico, autor ero Collegis mejs, ne curam illius omnem abijciant, et si maxime nemo, per labores alios, huic labori superesse velit, spondeo vel meam opellam depositis alijs extraordinarijs laboribus, quantum per virium mearum tenuitatem et valetudinis (quae subinde dubia est) infirmitatem fieri poterit; modo haec res qualemcunque moram ferre possit, donec me ex alijs, quae jam sub calamo fervent, expediero. Piaculo enim mihi duxerim Illustrissimae Vestrae Magnificentiae in retem pia et sancta, super qua Ea ad sangvinem usque decer-

tare parata est, opellam meam denegare: quam ad rem divinum auxilium mihi certo polliceor.

Caeterum, celare Illustrissimam Vestram Magnificentiam non possum, quod Illustrissimae Vestrae Magnificentiae alumnus Michael Sinapius, quem Ea mihi ante biennium commendavit, haud ita pridem a me petijt, ut fidem meam interponerem apud Bibliopolam nostrum Paulum Helwegeum, a quo pro 16 florenis libros accepit, quo in genere, in signum debitae reverentiae erga Illustrissimam Vestram Magnificentiam [...] gratificatus sum. Et quamquam non dubito, quin pecuniam istam occasione proxima huc missurus sit: significare tamen hoc Illustrissimae Vesrtrae Magnificentiae volui, ut, si forte ille in procurando hoc negotio remissior sit, Illustrimae Vestrae Magnificentiae autoritate compellatur: ne quid detrimenti mihi hoc in genere, quod non metuo, sit patiendum.

Quod restat, superiori anno per studiosum quendam Hungarum Illustris Domini Comitis Nadasdi alumnum ad Illustrissimam Vestram Magnificentiam misi aliquot exemplaria Responsionis meae latinae ad Catechesin Rachovianam, quam Illustrissimae Vestrae Magnificentiae pia devotione inscripsi. Ab eo vero tempore inditium[!] nullum habeo, quod libelli isti Illustrissimae Vestrae Magnificentiae fuerint oblati; neque ex nuperis Illustrissimae Vestrae Magnificentiae literis id colligere potui. Unde dubitare ferme caepi, num forte illae meae literae una cum libellis fuerint interceptae, quod in hisce motibus facile fieri posset, praesertim cum ab humanitate Illustrissimae Vestrae Magnificentiae alienum sit rem illam omni prorsus praeterire silentio. Quam ob caussam bono sane studio istius mei instituti mentionem facere iam volui, humiliter rogans, ut vel uno saltem verbulo innuere faciat an literae illae cum libellis Illustrissimae Vestrae Magnificentiae recte fuerint traditae, quod tanto confidentius ab Illustrissima Vestra Magnificentia peto, quanto certior sum Eam de pristino suo in me favore atque gratia nihil remisisse. Valeat Illustrissima Vestra Magnificentia in Domino una cum inclyta familia in emolumentum patriae et incolumitatem Ecclesiae.

Dabam Wittebergae, die 7. Junij Anno Christiano 1620.

Illustrissimae Vestrae Magnificentiae devotus

Fridericus Baldvinus Doctor
manu propria

Címzés: Illustrissimo et Magnifico Domino, Comiti EMERICO THURZO de Bethlemffalva, Comiti perpetuo de Arva eiusdemque Comitatus Supremo ac haereditario Comiti, Domino in Lethawa, Biyttche, Arwa et Thokaij, Serenissimi Hungariae et Transylvaniae Principis etc. Intimo Consiliario etc. Domjno suo gratiosissimo.

OL E 196. 30. cs. Nro. 5. Autográf.

183.

Wolfgang Franz Thurzó Imrének
Wittenberg, 1620. június 7.

Sokat gondolt az elmúlt két évben a grófra, és vágyott arra, hogy beszélhessen vele, hiszen mindig is szívesen fogadta javaslatait. Megkapta a gróf által küldött könyvet, már hozzáfogott véleményezéséhez, de még nem készült el vele. Időközben megjelent sokat vitatott traktátusa is. Művét igyekszik eljuttatni Thurzóhoz.

Pacem Perpetuam. Illustrissime Domine Comes, Domine benignissime,

Nulla hoc ipso biennio hora praeterijt, cum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae memoria mihi non incidat, et nihil mihi in terris in hac rerum confusione gratius contigerit, quam si coram de rebus maximis colloquium instituere possem. Cum autem hoc sit ex genere αδυνατων interim divinae clementiae supplicare nunquam desinam, ut Vestrae Celsitudini annos et cuncti donorum Spiritus Sancti augmenta multiplicet, nuncque pacem coelestem extendat super ditionem Vestram, et agmina angelica magno numero circumdisponat, et consilia suppeditet Reipublicae, Ecclesiae et posteritati salutaria, et tribuat ipsi, quem ad modum psalmus loquitur, omnes petitiones cordis sui. Amen, Amen, Amen, [...] etiam nunc toto pectore diuinitus compleri exopto. Amen, Amen.

Quos Celsitudo Vestra mihi nunc commendauit, aut posthac commendabit, illis feci et faciam liberrimam, quouis tempore de quibusuis consulendi potestatem. De libro quoque transmisso sententias nostras caepimus conferre, nondum absoluimus. Fiet autem[?] Celsitudinis Vestrae gratia, quicquid a nobis pietas exiget, et quantum nostrae vires sinent. Liber meus interim publicatus est, de quo inter nos certamina erant, cum adhuc nobiscum versaretur Celsitudo Vestra, Conspicillum, seu Tractatus de maximi legitima interpretandi scripturas ratione cum exemplis insignibus 192, de quorum tertia expositio ut convenij non poterat. In hac viarum difficultate in Hungariam portari non potest. Multis de caussis ipsum Celsitudinis Vestrae iudicio acerrimo subiectum esse percuperem, et si scirem, per quam occasionem tuto me expedire possem, illico transmitterem, sine dubio multis nominibus non ingratum futurum Celsitudinis Vestrae lectioni tractatum. Sicut autem hactenus, ita deinceps in perpetuum Celsitudinem Vestram depraedicabo inter illos, quos unquam Illustri genere prosatos admirata fuit Academia nostra, inter quos etiam Celsitudini Vestrae primus locus meo iudicio tribuitur meritissimo.

Dominus noster Jesus Christus misereatur Ecclesiarum Europicarum, et Vos earundem columnas dextera magnitudinis suae, tanquam pupillas oculorum suorum protegat, et magnificet salutem suam super Vos, Christus ipsius, ut inter nos maneat Sanctum semen usque ad Illustrem eius aduentum ad iudicandos uiuos et mortuos. Sit ille quoque cum Spiritu Vestro ab hoc usque et in perpetuum.

Witebergae, in ipsis ferijs Pentecostalibus anno Christi 1620.

Illustrissimam Celsitudinem Vestram subiectissimis studijs uenerans

Wolfgang Franzius
Theologiae Doctor

Címzés: Illustrissimo et Magnificentissimo Comiti ac Domino, Domino EMERICO THURZO de Bethlehemffalua, Comiti supremo ac perpetuo de Arua etc. Domino in Lethaua, Bitche et Tochei etc, Domino suo gratiosissimo.
OL E 196. 30. cs. Nro. 54. Autográf.

184.

Jacob Martini Thurzó Imrének
Wittenberg, 1620. június 7.[?]

Thurzó levelei mindennél kedvesebbek neki. Sokan elítélik a lutheránusokat, de neki, mint filozófusnak, csak a megfigyelés és nem a cselekvés jut osztályrészül. Egy dolgot tehet csak: elsiratja Germánia nagy veszedelmét. Szülővárosába készül, hogy meglátogassa nyolcvanéves szülőjét.

Salutem in Domino. Illustrissime celsissime et Magnifice Domine Comes, Domine benignissime.

Tuae Celsitudinis literae quovis auro et gemmis praetiosis pretiosiores et cariores mihi fuerunt. Utinam possem satisfacere optioni: Conabor: modo invidia[?] quorundam, vel etiam aliorum violentia non inpedimento sit. Multi quidem vident quam mali Lutheranos id genus hominum (modo homines censendi) tractet; sed videntes idem alij perpendere non videatur. Sed meum judicium hic nullum esse volo: quippe qui me (modo in pace vivere possim) beatum judico, et in ilia beatitudine mihi gratulor, quod Theoreticus sum Philosophus, proindeque contemplendo meo satisfacio officio. Nam agere ut mei officij non est, sic in eo neque possum peccare neque volo. Unicum tantum est, quod serio ago: deploro dulcissimae patriae Germaniae si non ruinam, calamitatem tantum maximam. Sed sperandum, non desperandum. Vestra Magnificentia felicissime agat. Plura enim addere non possum, quin accinctus sum ad iter in patriam visitatum parentem octogenarium.
Wittebergae, [...] pentecostes die anno 620.

Vestrae Magnificentiae et Celsitudinis subjectissimus

Jacobus Martini
manu propria

Címzés: Illustrissimo et Magnifico Comiti ac Domino, Domino Emerico Thurzo de Bethlehemffalva, Comiti supremo ac perpetuo de Arva etc. Domino in Lethava, Bitche, et Thockei etc. Domino suo benignissimo etc.
Árva, IV-M/3. fasc. Nro. 48. Autográf.

185.

Jeremias Spiegel Thurzó Imrének
Kemberg, 1620.[?] június 18.

Schmidtől hallotta, hogy Imre jól van. Sajnálja, hogy csak akkor érkezett meg Wittenbergbe, amikor Imre alumnusa már távozóban volt. A teológiai fakultás által a pápa ellenében kiadott traktátust mellékelten elküldi. Értesült Flottwedel haláláról.

ILLUSTRISSIME Comes ac Domine, domine Benig ıissime, Salutem Illustrissimae Vestrae Magnificentiae precatus, Eidem humilima mea servitia offero.

Quantum de Illustrissimae Vestrae Magnificentiae salute et Valetudine (de qua ut florente ex socero Magistro Erasmo Schmidt intellexi) gaudeo. Tantum nunc doleo, quod de occasione ista ad Illustrissimam Vestram Magnificentiam scribendi non citius constitit, quam nunc demum cum Wittebergam forte fortuna venio, abeunte jam jam Illustrissimae Vestrae Magnificentiae Alumno. Quantillum tamen per temporis angustiam prementesque occupationes licet scribendum censui. Res igitur nostrae de quarum statu Illustrissimam Vestram Magnificentiam sollicitam esse scio, eo sunt in loco, et inter saxum ut sacrum, quod dicitur, hactenus steterimus. Nunc spes aliqua affulget, fore ut Pontificijs non omnia ex consilio et sententia succedant. Quod Facultas nostra Theologica hac in parte Consilij dederit Principi Christiano, cognoscet Illustrissima Vestra Magnificentia ex Tractatu, quem hic mitto, ab ipsa Facultate editum, sed non omnibus placentem. Oramus Filium Dei, ut Ecclesiae suae <clemen> turbulenta ista tempestate assistat. Quod et fortiter facturum feliciter[?] speramus. Omnia ad ruinam papistri[?] spectare videntur. Omnia conspirant ad mutationem eam, quam [...] Prognosticon de Cometa indicavit. Videbimus intra paucos annos MIRACULA Dei nostri. Interim orabimus, Equidem ardenter oro:

Ostende nunc potentiam
O Christe Rex Regum tuam
defende parvulum gregem
Qui te fatetur principem.

Ipsi infantes nostri <utraque> omnibus viribus suis adversus Papam insurgunt suoque illo cantico (Erhalt vns Herr bei deinem Wort Vnd stevre des Pabstes vndt Twrken mordt.) plures papistas occidunt, quam omnis armatura Bohemorum ac Unum Vatel unsel im simmel Plus Papa et Hispano et Turca est Satanque vel ipso. Res meae sunt vetere in loco. De Illustrissimae Vestrae Magnificentiae Valetudine et salute expecto inposterum etiam laetum nuncium. Cum quae utinam atque utinam per semihorium saltem esse, et colloqui possem antequam ex vita hac excedam. Sed videor mihi non impossibilem optare. Flotwedelium audio vita abijsse. Deus largitur Illustrissimae Vestrae [M]agnificentiae [...] Scholascham, qui et [...]trina valet [...] sit aliquantum [...] et quietiore.

Nunc quando domi non sum [...] quae mittere animus [...] ad manum habeo, abrumpo litteras, et Illustrissima Vestra Magnificentia cum Illustrissima domina Matre et Conjuge Illustrissima certaque adeo inclita Familia deo optimo maximo commendo.
Scribam Kembergae, die 8 Junij Stilo veteri Anno 16[..]

Illustrissimae Vestrae Magnificentiae Humilimus Servitor
Magister Jeremias Spiegelius
Professor et Superintendens Kembergensis
manu propria.

Címzés: Illustrissimo Comiti ac Domino, DOMINO EMERICO THURZO Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus Supremo et Perpetuo Comiti, domino in Lethava, Bitshen et Tockai, Serenissimi Transsylvaniae Principis Consiliario Intimo etc. Domino meo benignissimo
Árva, IV-S/ 2. fasc. Nro. 40. Autográf.

186.

Friedrich Balduin Czobor Erzsébetnek
Wittenberg, 1624. augusztus 21.

Július 29-én kapta meg a grófnő levelét Drezdában. Tanácsot kért, hogy unokáját, Jakusith Györgyöt Wittenbergbe vagy Lipcsébe küldje tanulni. Inkább Wittenberget ajánlja, ahol 8-900 tanuló van, alacsonyabbak az árak, a háborús pusztítás veszélye is kisebb. Részletesen közli a várható kiadásokat. Tudni szeretne Pázmány művének magyar cáfolatáról. Saját latin nyelvű cáfolatának, melynek már nagyobb részével elkészült, sorsáról semmit nem tud. Szerinte megérné a kiadás költségeit, mivel nagyon hasznos lenne az egyház számára. Kéri Czobor Erzsébetet, áldozzon rá pénzt.

Gratiam et pacem a Deo Patre per Jesum Christum in Spiritu Sancto.
Illustris et Magnifica Domina, Domina gratiosissima, Illustris Vestrae Magnificentiae Literas 8. Maji datas, nunc nuper demum 29. Julij accepi Dresdae, ubi in conuentu Theologorum per septimanas aliquot subsistendum mihi erat: Proinde si responsio mea nonnihil serius aduenerit, spero me eo ipso nomine excusatum irj. Intelligo autem Illustrem Magnificentiam Vestram suum ex priuigna Nepotem Magnificum Dominum, Georgium Jakussith etc. studijs Academicis destinasse et an ad Lipsensem, an ad hanc nostram Vittebergensem eum tutius mittere possit, a me sciscitarj. Ego vero quemadmodum maternam istam curam Illustrissimae Vestrae Magnificentiae non possum non magnopere commendare, ita me ad servitia Vestra etiam in hoc genere non uno nomine adstrictum agnosco. Non autem est, ut Illustrissima Vestra Magnificentia quidquam de tranquillitate utriusque Academiae dubitet. Etsi enim superioribus annis commune incendium Germaniae, hisce quoque oris aliquid incommodi minitare videbatur. Deus tamen praepotentissimus pro paterno suo in nos amore, nos in hunc usque diem immunes adhuc praestitit. Et quanquam flos Academicus per monetae mutationem potissimum, ex parte imminutus fuerit: in hac nostra

tamen ad minimum octingenti vel nongenti studiosi adhuc reperiuntur. Lipsiae tantus numerus non est et praeterea major ibi annonae caritas: Quam ob causam, si quid judicare possum, generosum illum Adolescentem tutius et majori cum studiorum successu ad nos mitti existimo.

Intelligo autem ex literis Domini Praeceptoris, quas hoc ipso in negotio Wratislauiae ad me dedit, iter illud in integrum adhuc annum dilatum iri, idcirco de sumptibus qui requiruntur, tacere possem, siquidem in hac rerum omnium difficultate, quae jam ferme uniuersam cingit Germaniam, intra unius annj spacium rerum venalium mutatio facile incidere posset. Ut tamen aliquid scribam, pro uictu unius septimanae singulis personis ad MINIMUM Joachimicus cum dimidio numerandus est, pro quae pecunia singulis prandijs, <et Coenis> quatuor apponuntur cibi, in Coena tres, singulis prandijs et Coenis Cantharus bonae cereuisiae apponitur. Si quid extra illud demersum bibitur, seorsim pretium soluendum est. Musaeum quotannis pro 20 Joachimicis aut circiter haberi potest.

Pro lignis, candelis, lecto UNIUS personae, et similibus, quotannis ad minimum 50 Joachimici requiruntur. Si alio Paedagogo opus fuerit, ei ad minimum quotannis una cum victu 60 Joachimici numerandi erunt. Quae omnia ad uersum Magnificentiae Vestrae summatim ita consignare uolui.

Si ergo ipsi placet, ut Magnificus ille Dominus Baro ad nos mittatur, operae pretium foret, ut mature, et ad minimum sex aut octo septimanis, antequam huc veniret, significetur, ut de commoda habitatione et mensa (quae commoditas non semper praesto est) prospiciam. Nam quicquid hoc in genere praestare potero, in gratiam Vestrae Illustrissimae Magnificentiae lubens praestabo.

Quid de Refutatione Pasmani futurum, num ea jam in Hungaricum sermonem translata et num quid de publicatione Latinae refutationis mihi sperandum sit, auide scire desidero. Expediui jam rem fere omnem, et quae restant breui, si rem gratam facturus sum, mittam. Obsecro autem Magnificentiam Vestram, ne tantum pecuniae in publicationem Latinj scripti impendere grauetur. Non peribunt isti sumptus: Neque quidquam mihi hac in re metitur. Sudores et labores mei frustra impensi sunto, modo ad Ecclesiam Christi fructus etiam his in oris inde redundet, quod per publicationem scripti fieri potest, ad quod si Illustrissima Vestra Magnificentia ducatos forte ducentos impendere vellet, cum singulari commodo Ecclesiae, et immortali nominis sui fama futurum esset. Qua de re, nisi graue, tria duntaxat verba ad me perscribj curet. Ita Deus Illustrissimae Magnificentiae Vestrae cum omnibus suis benefaciat, tandemque immarcessibili gloriae coronae eandem exornet.

Vittebergae, die 21. Augusti 1624.

Illustrissimae Magnificentiae Vestrae observantissimus
Fridericus Balduinus Doctor
manu propria

Címzés: Illustrissimae et Magnificae Dominae ELIZABETH de Czobor, Illustrissimi Palatini Hungariae Domini Georgij Thurzo de Bethlemfalua, Comitis de Arua etc. relictae, Dominae suae gratiosissimae.

Más kézzel: Exhibitae in Arce Lethaua 26 Octobris Anno 1624.

OL E 196. 31. cs. Nro. 11. Autográf.

II. ALBUM, SZÁMADÁSOK

Thurzó Imre albuma 1616.*

E. Hettenbach (f. 69.)

Da mihj Domine Jesu Christe, vt te diligam ex toto corde meo: quia tu me dilexistj et saluastj.

Illustrissimj Principis ac Dominj, Dominj GEORGII THURZO, Regnj Hungariae Palatinj etc. Filio Unico, Perillustri et Magnificentissimo Domino, Domino Comitj EMERICO THURZO de Bethlemffalua, Comitj de Arwa ejusdemque Comitatus supremo ac Perpetuo Comitj etc. Academiae Vuittebergensis pro tempore RECTORI Magnificentissimo hanc humillimae obseruantiae tesseram ponebam.

Ernestus Hettenbachius
Philosophiae et Medicinae Doctor et Professor publicus
ac Collegij Medicj Senior,
pro tempore Pro-rector

Die 4. Aprilis Anno 1616. Vuittebergae anno aetatis LXIVto.
Idegen kézzel: Uitam cum morte commutavit eodem anno.

L. Hutter (f. 70.)

Sanctus Aurelius Victor in vita Ulpii Trajani.

Duo sunt, quae ab egregijs Principibus expectari solent: Sanctitas domi, in armis fortitudo utrobique prudentia.

* *Lelőhelye:* OSZK. Kt. Quart. Hung. 1559. Kötés: bordázott bőr, dombor címernyomással. Felirat: C(omes) E(mericus) T(hurzo) D(e) A(rva). Ff. 69-89.-en találhatók a bejegyzések.

Illustrissimi Principis ac Domini, Domini GEORGII THURZO, Regni Hungariae Palatini etc. Filio unico, perillustri ac Magnificentissimo Domino, Domino Comiti EMERICO THURZO de Bethlemffalva, Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti etc. Academiae Witebergensis pro tempore Rectori splendidissimo etc. hoc submissae Observantiae Symbolum posuit.

Leonhardus Hutterus
Sanctae Theologiae Doctor et professor publicus
ac Collegij Theologici Senior

Die 4. Aprilis Anno 1616. Witebergae.
Idegen kézzel: Mortuus est Anno eodem.

F. Balduin (f. 71.)

FIDE et PATIENTIA
Namque Fides vidua est, quam non Patientia firmat.
Illustrissimi Principis ac Domini, Domini GEORGII THURZO Regni Hungariae Palatini etc. Filio unico, Perillustri et Magnifico Domino, Domino Comiti EMERICO THURZO de Bethlemffalva, Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti etc. Academiae Wittebergensis pro tempore RECTORI magnificentissimo etc. observantiae ergo hoc suum symbolum opponebas

Fridericus Baldvinus
Sacrosanctae Theologiae Doctor,
Professor, Pastor et Superintendens

Wittebergae a. die 4. Aprilis 1616.

W. Franz (f. 72.)

Sirac 7.
μη ολιγοξυχησης εν προσευχη σου.
μη δευτερωσης λογον εν προσευχη σου.
Illustrissimi Principis ac Domini, Domini GEORGII THVRZO, totius Regni Hungariae Palatini, Filio unico, Perillustri et Magnifico Domino, domino Comiti EMERICO THVRZO de Bethlemffalua, Comiti de Aruua eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti etc., celeberrimae Academiae Witebergensis nunc RECTORI iure merito Magnificentissimo humilis observantiae ergo haec ascribebam

Wolfgangus Franzius
Theologiae Doctor.
4. Aprilis 1616.

B. Meisner (f. 73.)

Josuae 1. 6. 8.

Non recedat volumen legis ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias ac facias omnia, quae scripta sunt in eo; quia tunc prosperam facies viam tuam et prudenter ages. Confortare et esto robustus, noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus, ad quaecunque perrexeris.

Beati Mites.

Illustrissimi Celsissimique Principis ac Domini, Domini GEORGII THURZO, Regni Hungariae Palatini etc. Filio unico, Perillustri ac Magnificentissimo Domino, Domino COMITI EMERICO THURZO de Bethlemffalva, Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti etc. Academiae Wittebergensis pro tempore Rectori eminentissimo, Domino suo admodum clementi hanc submissionis et humilimae observantiae tesseram ponebat.
Wittebergae die IV. Aprilis MDCXVI.

Balthasar Meisnerus
Theologiae Doctor
et Professor Publicus

B. Reusner (f. 74.)

Post veram DEI agnitionem nil est praestantius, quam bona conscientia cum mediocri eruditione.

Illustrissimi Principis ac Domini, Domini GEORGII THVRZO etc. Regni Hungariae Palatini etc. Filio unico, Perillustri et Generosissimo Domino, Domino Comiti EMERICO THVRZO de Bethlemffalva, libero ac haereditario Comiti de Arva eiusdemque Comitatus Arvensis supremo et perpetuo Comiti etc. Academiae Witebergensis pro tempore Rectori magnificentissimom, Domino suo benignissimo humilis et submissae observantiae ergo adscribebat

Bartholomeus Reusnerus
Doctor Utriusque Iuris

L. Beckmann (f. 75.)

Qui per uirtutem perit, non post interit.

Illustrissimi Principis ac Domini, Domini GEORGII THVRZO, Regni Ungariae Palatini etc. Filio unico, Perillustri et Magnificentissimo Domino, Domino Comiti EMERICO THVRZO de Bethlemffalua, Comiti de Arwa Eius-

demque Comitatus Supremo ac perpetuo Comitj etc. Academiae Wittebergensis pro tempore RECTORI Magnificentissimo hoc submissae observantiae Symbolum apposui

Lucas Beckmann
Juris Utriusque Doctor
Regni Bohemiae ac Electoris Saxoniae
nec non Ducis Br[unsvigiae]?
et Lunaeburgis Consiliarius
ac Professor Academiae Wittebergensis

W. Hirschbach (f. 76.)

Orbis quisque sibi, ne te quaesiveris extra.

Illustrissimi principis ac domini, domini Georgii Thurzo Regni Hungariae Palatini Filio Vnico, perillustri et Generosissimo Domino, Domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlemffalva libero ac haereditario Comiti de Arva eiusdemque Comitatus Arvensis supremo ac perpetuo Comiti, Academiae Electoralis Witebergae pro tempore Rectori magnificentissimo, domino suo benignissimo submissae observantiae causa scribebat.

11. Aprilis Anno 1616.

Salutiferi partus

Wolfgangus Hirschbachius
Vtriusque Iuris Doctor
et professor Codicis[?]

E. Unruh (f. 77.)

In manu Domini dies nostri.

Illustrissimi Principis ac Domini, Domini Georgii Thurzo Regni Hungariae Palatini etc. Filio Vnico Perillustri ac Generosissimo Domino, Domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlemffalua, libero ac haereditario Comiti de Arua ejusdemque Comitatus Aruensis supremo ac perpetuo Comiti Academiae Witebergensis pro tempore Rectori Magnificentissimo, Domino suo benignissimo subjectionis et humilis observantiae ergo scribebat.

11. Aprilis Anno 1616.

Erasmus Vnruhe
Iuris Vtriusque Doctor
et Professor

V. G. Forster (f. 78.)

Non minor est virtus quam quaerere, parta tueri: Casus inest illic, hic erit artis opus. VIRTUS UNITA VINCIT. Nil dissociabile firmum.

Illustrissimi Celsissimique Principis ac Domini, Domini Georgij Thurzo Regni Hungariae Palatini, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Consiliarij etc. filio ùnico, Perillustri generosissimoque Domino, Domino Comiti Emerico Thurzo de Bethleemfalva, libero ac hereditario Comiti de Arva ejusdemque Comitatus Arvensis supremo ac perpetuo Comiti, Academiae Witebergensis Rectori Magnificentissimo, Domino suo clementissimo subjectionis observantissimae causa scribebam.

Wittebergae 12. Aprilis 1616.

Valentinus Guilhelmus Forsterus
Utriusque Iuris Doctor et Professor

A. Scifard (f. 80.)

Non est mortale, quod opto.

Perillustri ac Generoissimo Domino Comiti, Domino Emerico Thurzo de Bethlemffalua, libero ac haereditario Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti etc. Academiae Witebergensis pro tempore Rectori magnificentissimo, domino suo admodum clementi ex debita animi subiectione hoc quodcumque[?] apposuit.
14. die Aprilis anno 1616.

Andreas Sciefardus[?]
Iuris Vtriusque Doctor
[...] Saxoniae cum voto Viuae
Illustrissima ipsius Magnificentia

D. Sennert (f. 81.)

Dominus providebit.

Illustrissimi Principis ac domini Domini, GEORGII THURZO et Regni Hungariae Palatini filio unico, Perillustri ac Magnificentissimo Domino, Domino Comiti EMERICO THURZO de Bethlemffalva, Comiti de Arva ejusdemque Comitatus Arvensis supremo et perpetuo Comiti et Academiae Witebergensis pro tempore Rectori, Domino suo clementi hoc submissae observantiae μνημοσυνον apponebat.

Daniel Sennertus
Doctor et Medicinae
Professor Publicus

T. Tandler (f. 82.)

Invidiam virtute, malum bonitate, favore Osores[?] vnicas, spe precibusque Deum.

Illustrissimi Celsissimique principis ac domini, domini Georgii THURZO etc. regni Hungariae Palatini etc. filio desideratissimo perillustri et Magnificen tissimo Domino, Domino EMERICO THURZO Comiti de Bethleemfalva, Comiti de Arva eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo etc. Academiae Witebergensis Rectori magnificentissimo, domino suo gratiosissimo subiectionis humilimae gratia deproperabam Witebergae

Tobias Tandler
Doctor Medicinae Chirurgiae
Botanicae et Anatomiae
Professor publicus

Die 20. Aprilis anno Christi MDCXVI.

G. Wecker (f. 83.)

Vince teipsum.

Illustrissimi Principis ac Domini, Domini GEORGII THVRZO, totius Regni Hungariae Palatini Filio unico, Perillustri et Magnificentissimo Domino, Domino Comiti EMERICO THVRZO de Bethlemffalua libero et haereditario Comiti de Arua eiusdemque Comitatus Aruensis supremo et perpetuo Comiti etc. Academiae Witebergensis pro tempore Rectori, Domino suo clementi humilis et submissae obseruantiae ergo scribebat.
Witebergae 20. Aprilis Anno 1616.

Doctor Georgius Weckerus
Medicus et Physicus
Professor Publicus

L. Fabricius (f. 83.)

Beatas tum fore respublicas quando vel philosophi imperarent, vel qui philosophantur[?]

Suo Magnificentissimo Domino Rectori, Domino, Domino Emerico Thurzo Comiti de Bethlemffalva etc. Illustrissimi Principis ac Domini, Domini

Georgij Thurzo regni Ungariae Palatini etc. filio unico submissae observantiae causa scribebat.

Magister
Laurentius Fabricius
Hebreae linguae Professor

Anno 1616. die 22. Aprilis Witembergae.

T. Rüchelius (f. 85.)

Deut. 17.

Juste qvod justum est perseqvaris, ut vivas et possideas terram, qvam Dominus DEVS tuus dederit tibi.

Illustrissimi Regni Hungariae Palatini Filio unico, perillustri ac Magnificentissimo Domino, Domino Comiti EMERICO THVRZO de Betthlemffalva; Comiti de Arwa ejusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti etc. Academiae Witebergensis pro tempore Rectori Splendidissimo, Domino suo clementi hoc submissae observantiae symbolum posuit

Tiberius Rühelius
Iuris Vtriusque Doctor
Curiae Electoralis advocatus
et Collegij Juridici adjunctus

Die 20. Aprilis Anno 1616. Witebergae.

A. Rhode (f. 86.)

Si DEVS pro nobis, quis contra nos ?

Illustrissimi principis ac Domini, Domini Georgii Thurzo, Regni Hungariae Palatini etc. filio unico, perillustri ac magnificentissimo Domino, Domino Comiti Emerico Thurzo de Bethlemffalva, Comiti de Arwa eiusdemque Comitatus supremo ac perpetuo Comiti etc. Academiae Vuitebergensis pro tempore Rectori magnificentissimo etc., Domino suo benignissimo submissae observantiae ergo adscribebat

Ambrosius Rhodius
Medicinae Doctor
et Mathematum Superiorum
professor publicus
22. Aprilis 1616.

E. Schmidt (f. 87.)

Generationi rectorum benedicetur

Est in Iuvencis, est in Eqvis, patrum Virtus; nec imbellem feroces Progenerant Aqvilae Columbam.

Illustrissimi Principis ac Domini, Domini Georgij Thurzo, Regni Hungariae Palatinj etc. Filio ευγενειαζω[?], perillustri Domino, Comiti Emerico Thurzo de Betthlemffalva, Comiti de Arwa etc., Academiae Wittebergensis pro tempore Rectori magnificentissimo etc. Domino suo gratiosissimo submissae observantiae ergo scribebam

Magister
Erasmus Schmidt
Graecae et Mathematicum inferiorum Professor
et Alumnorum Saxoniae Electoris Inspector

Wittebergae die 22. Aprilis Anno 1616.

J. Martini (f. 88.)

Philo

Bonis DEUS bona suppeditat et inserit consilia, quibus cum alijs prosint, ipsi maxime juvantur.

D.L.M.[!]

Illustrissimi celsissimique Principis ac Domini, Domini GEORGII THURZO etc. Regni Hungariae Palatini, Sacrissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Consiliarij etc. filio unico, Perillustri et Generosissimo Domino, Domino Comiti EMERICO THURZO de Bethlemffalva, comiti de Arwa ejusdemque comitatus supremo ac perpetuo comiti etc. Academiae Wittebergensis pro tempore Rectori Magnificentissimo submissae observantiae symbolum posuit

Jacobus Martini
Logicae et philosophiae practicae
professor publicus

Wittebergae 22. Aprilis anno 1616.

J. Wanckel (f. 89.)

Augustinus in Johannem tractat XI.

Si non commoverentur potestates Christianae adversus detestandos dis-

pensatores Ecclesiae; quomodo redderent rationem de imperio suo DEO? Quia pertinet hoc ad REGES seculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam, unde spiritualiter nati sunt.

Illustris Comes Emerice Thurzo,
Rector Leucorei inclytus Lycei,
Cultor Aonii chori et Patrone;
Quae dat WANCKELII manus Johannis,
Boni symbola consule, illiusque
Fautor perpetuo et Patronus esto.

Perscriptum Wittebergae IX. Calendae Majas, anno VIgILate, MVLtae InsIDIae bonIs.
Idegen kézzel: Concessit naturae Fatisque Anno 1616.

Számlák

Des Hoch vndt Wohlgebohrnen Graven vndt Herrn, Herrn Emerisch Thurzo zu Bethlehemsdorf, Erbgraven zu Arva vndt Erb Ober Gespan daselbsten, Zehrung ist.

Als

28	thll.	Vor die Kost de 27. 28. 29. 30. 31. Julij. Item den 2 vnd 3 Augusti 1615. Styli veteris beneben 5 personen.
7	thll.	Vor Wein teglich 4 Kannen uber die taffell.
21	g.	Vor Zerbster.
7	g.	Vor Wittenbergischen Bier.
4	thll.	Vor Wein extra.
1	thll.	Vor Zerbster Bier extra.
5	g.	Vor 4 pffefferkuchen.
18	g.	Vor liecht.
12	g.	Vor Kuchen.
9	g.	Vor gleser.

Summa 43 thll. zue 24 g.

Ist richtig zahlett.

Caspar Fluth
manu propria.

Item

28	thll.	Vor die Kost den 19. 20. 21. 22. 23. 24. vndt 25. Augusti. 615.
7	thll.	Vor Wein uber der taffel.
21	g.	Vor zerbster bier uber der taffel.
7	g.	Vor Wittenbergischen bier.
2	thll.	Vor Wein extra.
2	thll.	Vor bier extra.
7	g.	Vor liecht.

Summa 40 thll. 11 g.

Ist richtig bezalett

Caspar Fluth
manu propria.

Item

28	thll.	Vor die Kost den 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Septembris 1615.
7	thll.	Vor Wein uber der taffel.
21	g.	Vor zerbster bier uber der taffel.
18	g.	extra Vor Wein.
18	g.	Vor zerbster bier extra.
7	g.	Vor Wittenbergischen bier.
8	g.	Vor liecht.

Summa 38 thll.

Ist richtig zahlett.

Caspar Flueth
manu propria.

28	thll.	Vor die Kost den 11. 12. 13. 14. 15. 16. vndt 17. Martij.
7	thll.	Vor Wein uber die taffel.
7	thll.	Vor Wein extra.
2	thll.	Vor Zerbster bier.
16	g.	Vor Wittenbergischen bier.
10	g.	6 den. Vor liecht.

Summa 45 thll. 2 g. 6 den.

Ist richtigk zalett.

Caspar Fluth.

Auff dass Conuiuium, Alss der Hoch- vnd wolgeborne Graf vnd herr, Herr Emerich Thurso von Betthlemssdorff, Erbgraff zu Arva Eine Löbliche Uniuersitet alhie zu Wittemberg zu gast gehabt, den 1 Maij Anno 1616. ist ergangen, wie volgt.

	fl.	gr.	d.
Erstlich für Fish	4	6	-
Item für 4 valsche hanen[?]	5	15	-
Item für Ain Haasen	-	9	-
Item für 8 Hüner	1	15	-
Item für Lambfleisch	2	-	-
Item für Kalbfleisch	5	-	-
Item für Schopssenflaisch	2	-	-
Item für Schweinenfleisch	1	-	-
Item für Rindtfleisch in die Pastetten	-	16	-
Item für Tauben	-	10	-

Item für Krebse	-	6	-
Item für Brott vnd Semmel	1	20	-
Item für 24 ff. geschmelczte Buetter	4	-	-
Item für Speckhes	1	3	-
Iten für Wein in die Kuchel	2	6	-
Latus	33	1	-
Item für gewürcz vnd zuckher laut zedulss auss der Apoteggen	13	15	-
Item für 4 Schocks Eyr	1	11	-
Item für weiczen vnd Roechen meel in die Kuchel vnd zuen Pastetten	1	6	-
Item für Käss vndt Butter	1	7	-
Item für Holtz vnd Kolen	4	-	-
Item für Confect	14	-	-
Item für 247 Kannen Reinwein	70	12	-
Item für 245 Kannen zerbster Bier	6	16	7
Item für Gläser, so zubrochen	2	6	-
Item dem Koch	2	18	-
Item dem Kucheljungen	-	8	-
Item der Frauen so dem Koch geholffen	-	12	-
Item der Schüsselwascherin	-	9	-
Item der Uniuersitet Zinss von Irem Zimmer	-	7	5
Item für Licht	-	4	-
Item wascherlohn	-	12	-
Item für Töpffe	-	12	-
Item für Holtzerne Kannen	-	10	-
Item für die Pastetten vnd Tortten zubachen	-	6	-
Item für 4 Teller Tücher, so verlohren worden	-	10	-
Summa lateris	122	14	-
Summa Summarum	155	15	-

Ist richtig bezahlt

Caspar Fluetth

III. BICCSEI INSTRUKCIÓ, ORÁCIÓK

JEREMIAS SPIEGEL INSTRUKCIÓJA THURZÓ IMRE TANULMÁNYAIHOZ

Hat pontban foglalja össze tanrendjét, ezek a következők: teológia, retorika, logika, történelem, aritmetika, szintaxis. Leírja módszereit, a felhasználandó könyveket. Várja a nádor kiegészítését, és tanácsait.

MAGNIFICO Domino COMITI EMERICO, suadeo imprimis ista EXERCITIA:

1. PIETATIS: quippe fulcri ac baseos Rerumpublicarum Exercere hanc poterit, tum ante et post somnum captum pijs precibus lectioneque Biblica, tum etiam certis per septimanam horis alijs; quibus domini doctoris Hutterj Compendium locorum Theologicorum non inutiliter volvetur atque explicabitur. Idque ea ratione, ut non tantum θεου ipsam ac summam Religionis Christianae Comes percipiat: sed et obiter αξτιθεου, sive unam et alteram adversariorum objectionem audiat, seque adversus istiusmodi technas munire discat. Tela praevisa minus nocent.

2. RHETORICAE sive Oratoriae, disciplinae illius gravissimae. Hanc partim Natura et ingenium praestat, partim etiam Artis praecepta cum usu conjuncta. De priore DEUS benigne satis Magnifico domini Comiti prospexit; nec dubium est quin et in reliquis duobus occupato sit benedicturus. Artem veri quod attinet, varij varijs eam praeceptis hactenus tradiderunt. Inter quae Philippica sive Lossiana passim recepta, dominata sunt <est> Sed magno profecto juventutis impedimento detrimentoque. Ut mirer, qua fronte ac conscientia, in tanta seculi nostri felicitate, auctorumque optimorum copia et luce, ausi tamen nonnulli sint, confusas illas et imperfectas praeceptiones discipulis obtrudere. Credo vero, stulte admodum ambages quaeri, aut per invia penetrari, cum via commodior non desit. Certe non desunt, qui scriptis suis eruditissimis, longe accuratiore methodo, majore perspicuitate <atque> adeoque magis ad usum, Rhetoricam docuerunt. Praecipue vero dominus Keckermannus idipsum praestitisse, non mihi tantum, sed et doctis videtur. <ideo> Ut jam consultissimum sit, eius viri systema in brevem aliquam epitomen contractum et deinde ab Illustrissima Domini Palatini

ACADEMIÆ VVittebergensis

RECTORE

VALENTINO GUIL. FORSTERO I.U.D. & Profess. publico,

NOmen suum legitime professus, numero discentium doctrinam cœlestem & artes Ecclesiæ vitæque humanæ necessarias, postquam obedientia 1 legibus Academiæ sancte præstandam promisisset, adscriptus est *Comes Emericus Thurzo de Arva ejusdem Comitatus Comes perpetuus Illmi Comitis Regni Hungar. Palatini filius*

Id quod literis hisce Academiæ sigillo publico munitis testamur, quæ dabantur Wittebergæ die 27 mensis *Julij*: Anno à nato Christo M. DC. XV.



Celsitudine <...> approbatum, Magnifico Domino Commilitonj proponere atque explicare. Quod si fiat, nullus dubito, quin Dominus Comes majore cum utilitate, minore cum taedio et labore, totum istum tractatulum percepturus sit, quam vel tres aut quatuor pagellas Lossianas, obscuritate inexplicabili laborantes. Praeceptis porro usus accedat oportet: quod cum alijs, tum his potissimum modis futurum est.

1. Si Canonum et regularum Exempla in Cicerone aut alijs classicis probaeque notae autoribus continuo ostendantur.

2. Si integrae Epistolae aut Orationes Ciceronianae ita resolvantur, ut in ijs artificium Rhetoricum appareat.

3. Si eloquentiae studiosus ad imitationem, oratiunculaeque efformationem ipse sese accingat. Quod tamdiu faciendum donec se confirmatum intellexerit.

4. Si interdum Ciceronis, aut Mureti (cuius stylus ad hodiernum forum propius accedit, nec multum a similitudine sermonis Tulliani recedit) sive etiam alius moderni <oratoris> autoris Orationes, adhibita conveniente actione et vocis gestuumque decore, legantur. Ita enim futurum est, ut praeter sermonis Latini puritatem, etiam orationum artificia, occulta quadam ratione, sese insinuent. Quid quod et articulata hac pronunciatione, illa linguae volubilitas, in Hungaris quibusdam tam vitiosa, quam frequens, inhibebitur ac dediscetur, paulatimque ad decoram gravitatem reducetur.

3. LOGICAE. Non tamen sublimem et accuratam huius cognitionem suaserim, sed superficialem et ad alia potissimumque ad Rhetorica festinantem. Quo fine brevem dumtaxat eorum Terminorum quae in dicta Arte occurrunt, Explicationem conscribam, conscriptam Illustrissimi Domini Palatini, domini mei Clementissimi judicio subijciam: Sique probatam intellexero, Magnifico Illius Celsitudinis Filio proponare.

4. HISTORIARUM. Has enim tanquam perpetuos consiliarios mature ipsi comites dederim. Et initio quidem GENERALES, quas Chronica appellant praemittendas singulisque diebus, maxime vero a prandio et coena (vellem et prandenti coenantique) legantur. Quibus deinde SPECIALES, id est certarum aetatum et locorum succenturiari, certoque judicio subjuncti poterunt. Historijs adhaerent <aphoph> Apophthegmata illustrium Virorum, sententia et Apologi et aut alia monita Rempublicam administraturis salutaria. Inprimis hic vellem ad manus esse posset Horologium-Principum domini Magistri Johannis Wanckelij, Praeceptoris mei optimi <...> opus profecto auro contra non carum, et Principe lectore dignissimum. Nec inutiliter adhiberetur Theatrum illud Zwingeri <Theatrum> admirandum: aut si eo destituamur, Apophthegmata Erasmi Roterdamj.

6.[!] ARITHMETICAE. Cui docendae quivis autor commodus esto, et quotidianae exercitationi inserviat.

7. SYNTAXIN adhuc urgendam cur magnopere suadeam, caussae fere nihil est. Pueriliter enim ac paene serviliter regulis astringitur cui posthac legitima consuetudo pro lege esse poterit.

Quid tamen hic faciendum sit, Illustrissimo Domino Palatino, Domino meo Clementissimo, pro sua prudentia disponendum reliquo. Cui nihil hic aliud praescriptum volo, quam humillima mea servitia, studia fidem et industriam; et quacunque tandem opera Thesaurum illum pretiosissimum servare atque ornare possum.

Instructio vero Magnifico Iuveni Emerico Thurzo qvaliter vitam suam ducere debet.
Árva, II-S/24. fasc. Nro. 2.

THURZÓ IMRE RETORIKAI DOLGOZATAI

In silentio et spe

Auxiliante Deo, Duce Fortuna, Comite Sapientia. Nihil intentatum est reliqendum Juvenilia. In Rhetoricis Exercitia Chriarum et Declamationum a me Comes Emericus Thurzo etc. sub Magistro Jeremia Spiegelio etc. elaboratarum. Ab Anno 1614, usque Anni 1615 ferias Johanneas

Praeexercititamentum Rhetoricum.

CHRIA I.

De dicto Isocratis. Eruditionis radices amarae: fructus uero dulces.

Isocratis uiri illius celeberrimi laudem immortalem nemo ignorat, quippe qui non occultauit quas studiose didicit artes uerum ut testatur Cicero, pater ille eloquentiae: in Chio publice docuit et quidem tanta cum felicitate ut ipsius Orationes plurimi Principum, auri pondere coemebant. Sapientia enim illius quomodo non laudem mereatur cum omnibus in rebus perquam utilissima existat cuius excellentia uel ex hoc unico mirio[?] lapillo notando dicto, sat abunde elucet. Ita enim scripsit. Eruditionis radices amarae sunt fructus uero dulces. Quasi dicat sudore laboreue nos adipisci eruditionem; quae tamen Nectare ipso dulciores fructus proferre solet. Labore namque quid, quaeso, amarius? qui ipsum sudorem etiam extorquet e uiribus humanis; Idque uel ipsa pueritia in acquirenda Eruditione occupata sat abunde ostend[at]. At uoluptates, honores et dignitates e studijs manantes, quam dulces quamue delectabiles, quae senectutem alunt; Juuentutem oblectant, tristitijs solamen adducunt. Ipsa quidem inchoatio Eruditionis, quanto, tum debilitate ingenij, tum inanitate insapij[?], tum etiam asperitate disciplinae, acerbiores reddit radices. Tanto majorem suauitatem voluptatemque, et iucunditatem afferet illius consecutio. Senserunt hoc quotquot unquam eruditi, honoratique euaserunt. DEMOSTHENES satis certe expertus est, radicis huius amaritudinem, qui literarum causa tot et tantos labores exantlauit, ut diebus

etiam noctes assumeret, deque seipso gloriari postea potuerit, quod plus olei in lucubrationibus, quam vini consumisset. (unde et orationes eius lucernam alere dictae sunt) Sed quantos ille labor Fructus habuerit cum ei immortalis honoris flores peperit, palam est. Non enim Rosae ex formosa aliqua arbore decerpi solent, uerum inter spinas nascuntur. Sic et verba Molij cuius flores non prorumpunt ex candidissima aliqua radice, uerum nigridine obducta; cuius tamen odor suauitati Mambrae assimilari potest. Vnde etiam veteres, non uoluptati atribuebant Eruditionis donum, verum labori dictitantes, Deum dona sua labore uendere: Imo sudorem ante Virtutis et Honoris palatia collocare consueuisse. Cum itaque tanta utilitas, tantus honos eueniat e studijs[?], quid exempla, tum ueterum tum recentium sat abunde testantur, cur non humeros nostros supponimus ei? Cur quaeso non amplectimur? Proinde incitemur fructu huius laboris, eumque libenter subeamus, sic deinde Honoris illiŭs lauro immortalitatis contextam coronam habere poterimus. DIXI.

DIETUM HIERONIMI DE JEJUNIO uero:
Sint tibi quotidiana Jejunia et Refectio, satietatem fugiens.

TRACTATUM PER CHRIAM 2.

Hieronymi illius sanctissimi Patris laudem plusquam ineffabilem neminem ignorare certus sum, qui sua doctrina et sanctitate ad id adductus, aduitusque nobis ex Hebreo, in Latinum Biblia Sacra transtulit, ut etiam illius sermonis ignari, ex hoc possint Oracula Diuina percipere. Sed et admonitiones plusquam Paternas nobis tradidit. Inter alia uero uel saltem hoc dictum, id ipsum sat abunde testatur. In quo nobis quasi Pharmacum quoddam adhibet ad curandos languores, pariter Animae et corporis quod ita sonat. Sint tibi quotidiana Jeiunia, et Refectio satietatem fugiens. Quasi dicat. Adhibe emplastrum ad curandas tuas ingurgitationes, Jeiunium nempe quod tum anime, tum etiam corpori tuo praesentissime medebitur, quod etiam omnino ita sese habet. Nam iuxta illud Augustini purgat mentem, subleuat sensum, carnem Spiritui subjicit. Nec quidquam est, quod Ardentes Diaboli sagittas magis restringat concupiscentiae nebulas vehementius disperdat, libidinum ardores facilius extinguat castitatis vero lumen clarius accendat. Quid quod corporis etiam sanitas, hac ratione maxime deffenditur, multique magni morbi euitantur, quod ipsum quotidiana experientia satis experimur. Vt contra videmus quod varijs escis refectus uenter, semiaria[?] luxuriae pariat, nec praeualet mens, discretionum gubernacula moderari ciborum pondere prefocata. Non enim sola crapula vini mentem inebriare consueuit, verum etiam cunctarum escarum minietas, uacillantem eam, ac nutabundam reddit, omnique integritatis ac puritatis contemplatione despoliat. Quae res non solum minuit aetatem hominum sed etiam aufert. Ita ut quidam exeruditis non vetitus fuere affirmare. Gula plures quam gladio perijsse. Quod recte mihi uidetur intellexisse. Galenus, qui per totum uitae suae curriculum nunquam satur a mensa discessit, ideoque etiam ad annos 140 uitam suam eandem produxit. Recte etiam Ampha-

ratus summus ille uates iussit sacerdotes, qui responsa clara accipere, et sincere reddere vellent, integrum diem a cibo a vino autem per triduum abstinere. Quemadmodum enim uermes qui in puerorum intestinis germinant pharmacis quibusdam vehementer acribus et amaris excutiuntur. Ita etiam peccatum, et rebus diuinis adversa cupiditas, intimis[?] secessibus corporis habitans, jeiunio tanquam pharmaco enecatur expelliturque. Vnde etiam illud a Scripturis Sacris commendatur incingiturque. Judith 4. Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jeiunijs et orationibus, in conspectu Domini et Tobiae 12. Bona est oratio cum ieiunio, et Elemosijna, magis quam thesauros auri recondere. Itaque, si non admonitio Diui Hieronymi nos mouet, uel ipsa utilitas ieiunij nos mouere necessario debet, quod non solum virtus perfecta, ut quidam dicit. Sed et caeterarum uirtutum fundamentum est. Amplectamur igitur hanc uirtutem, illudque persequi studere enitamur. DIXI.

DEDICATIO AD Illustrissimum Patrem Regni Hungariae Palatinum Chriae sequentis cuius Thema, Eloquentiam esse Principi necessariam.

Illustrissime et Magnifice Domine Pater, Omnes quidem disciplinae liberales plurimum hominibus conciliarit ornamenti et commodi: Sed inprimis hoc praestat Eloquentia quae caeterarum artium tanquam Regina accipienda. Nam neque quicquam praestabilius est, quam posse dicendo tenere hominum extus[?] mentes allicere voluntates impellere quo uelit, unde autem velit deducere. Haec una res in omni libero populo maximeque in pacatis tanquillisque ciuitatibus praecipue semper floruit, semperque dominata est. Quo autem praestantior ars ista iudicatur, eo magis cumulatiores gratiae Illustrissimae Dominationi Vestrae agendae, qui me Filium suum a teneris educauit, curamque mei maximam habuit. Jam vero cum ex Ephebo excessi, me ad hanc praestantissimae artis doctrinam adhibuit, in eaque ut eo magis possim proficere, omnia necessaria suppeditare non dedignata est. Pro hac uero Illustrissimae Dominationis. Vestrae erga me benevolentia, et cura sane paterna gratias ago eas quas debeo. Vt autem specimen quoddam exiguum meorum profectuum, et filialis subjectionis meae erga Illustrissimam Dominationem Vestram ostendam hocce quantulumcumque sic eidem dedicare constitui. Orans humilime ut a me Tyrone horum studiorum grato animo accipere velit. Si Deus Optimus Maximus uitam meam prolongauerit et benedictionem suam porro largitus fuerit maiora posthac Illustrissimae Dominationi Vestrae offerre polliceor.

Seqvitvae Tractatio

CHRIAE 3.

Cum multa praeclare diuinitusque sunt ab optimo illo uiuendi egendique Magistro Plutarcho dicta, tum haud scio an quicquam sit praestantius illo, quod

Politicum futurum ab Eloquentia instructum esse uult. Nam si populi mores et conditiones perpendimus, is est modo contumax, modo languens, modo delicatus, modo insolens. Igitur si occurrere enitimur eundem iam refrenare et reprimere, iam excitare et impellere, imo oratione et verborum copia multa fingere ac conformare, ac uelut abscestus[!] in ferro, mollire et laeuigare, necesse habemus; Quae caeterum est, haud quaquam alia ratione ineffectum deduci posse quam eloquentia. Num enim epulis et uisceationibus populus trahetur? Equidem noui aliquos Eloquentia destitutos, id ipsum conatos fuisse, ut pote legimus, Togatum, Xerxem, Lucullum, Tiberum, Galbam, et Aeliogabalum. De Sylla memorabile est, Quod conuiuio populum exceperit sumtuosissimo, in eoque ut Magnificentiam suam ostenderet, reliquias in flumen conjici iusserit. Eundem in finem duo millia lectissimorum piscium, et 7000 Auium a Vitellino Imperatore apposita, seu potius profusa sunt. Sed qua differentia, possunt differre haec a rusticorum conciliatione? Qui ut erga alterum, suam beneuolentiam ostendant in taberna ingurgitant, se pariter et alterum. Jmo animalia seu bestias, ut ea propensiora redda mus nobis, solo cibo cicurare solemus. Cani latranti offa una possumus silentium imponere. Quae ratio deuinciendi animos, cum plebeis potius, quam principe sit digna, oratione, non epulis illi sunt capiendi. Haec enim sola, languentem populum incitat, effrenatum agit, seditiones anteuertit, exortas tollit, et vere Poeta Dixit.

Nil tam difficile est, quod non persuadeat et non
Efficiat docti lingua diserta senis
Ancipiti eloquium longe penetrantius ense
Hoc rabiem motam sedat, et arma mouet.

Vnde rectam regendi populi uiam ingressus est Pericles, in Antheniensium rempublicam sola uoce egit ac uersauit, recte etiam Demosthenes, quo loquente pacem, et bello suscepit Atheniensis populus; suscepta deposuit Jn hunc modum et Philippus Rex Macedoniae, qui non minores res oratione, quam praelio confecit. Magisque gloriabatur si oratione, quam bello aliquem deuincere voluit. Quia uictoriae gloria, non in eum solum redundabat, ut pote qui non solus illam pepererat, sed et in milites, quorum ui idipsum efficere potuit, orationis uero victoria ab ipso solo et ad solum proficiscebatur. Quod si quis obiciat, Aeque per consiliarios fieri posse, quemadmodum per Principem. Respondemus multum hic a veritate aberrari. Cum turpissimum sit aliena lingua loqui Principem, et haud minus turpe laborem alienum ad sui laudem pertrahere. Etsi enim gubernator nauis officium remigis, alij committere potest, tamen non in hunc modum Princeps. Ipse enim hoc habet peculiare, ut solus et ipsemet clauum Jmperij teneat. Si vero quis dicat, magnum abusum interdum occurrere in Eloquentia, quippe per quam multa mala Reipublicae contingunt. Quemadmodum Pilistratus Athenis Eloquentia sua tyrannidem occupauit et Teremenes eandem rempublicam dicto modo turbauit: Haec nos minime mouere debent. Abusum enim in omnibus bonis rebus, (praeterquam virtute) reperiri quis non uidet? ergo omnes res bonas abijciemus? Sic tollamus Principatum, quippe qui per abusum deuenit in

tyrannidem et fastum. Sic militiam quoque tollamus, quia nonnulli Arma contra patriam sumsere. Vinum pariter et Sapientiam, Vino namque multi ingurgitantur, sapientia plerique seducuntur. En quoque solem ipsum Coelo tollamus, quo si ulla re abutimur, maxime abutimur. Sed absit ut usus per abusum, res bona, per malam abrogetur.

Hoc igitur cum ita se habeat, persuasum habere Prinpem[!] uolo ut Plutarchi istius celeberrimi viri admonitionem non aspernetur, sed omnibus studijs illam bene dicendi facultatem, tanquam ornamentum totius gubernationis singulare, acquirat. DIXI.

CHRIA 4.

DE DICTO CICERONIS:
Amicus certus in re incerta cernitur.

Jllius nunquam satis laudati Ciceronis Eloquentissimi, qui totius Romae Lumen instar erat, oratoriae facultatis caput, et pater; Jllius nempe laudem, quid plus extollere necesse? cum ipsum satis celebret uel saltem[!] illa caeterarum artium Regina Eloquentia cuius auxilio hancce odoriferam rosam nobis praebet, inqua[!] nos de Amicitia satis instructos esse uult cum inquit

Amicus certus, in re incerta, cernitur.

Quo significatum est amici fidem, in rebus aduersis explicari, et veram amicitiam tum demum discerni posse ab amicitia ollae, cum periculo ingruente, magis magisque probatur. Cum enim Amicitia aut uirtus sit, aut cum virtute coniuncta, et illi demum sint habendi amici, ubi viri boni, pari uirtute praediti, inter se coniuncti sunt, et copulati, igitur quamdiu uirtus durat, tam diu etiam amicitia uera manet immobilis. Sed amicitia olla non uirtute contracta, deficientibus interioribus ollae, exterior ficta beneuolentia labitur, iuxta illud Ouidij: Donec eris felix multos numerabis amicos. Tempora si fuerint nubil<i>a solus eris. Quemadmodum enim hirundines aestiuo tempore praesto sunt, frigorae pulsae recedunt: Jta amici falsi, sereno uitae tempore praesto sunt, simulatque fortunae hyemem uiderint deuolant omnes. Tranquinius[!] supebus, iam exul factus dixisse fertur. Se tum denique cognouisse quos habuisset amicos fidos, quos infidos, cum neutris gratiam referre posset; Qui commodi gratia sunt amici, sublata commodi spe deserunt amicitiam, sed amicos secundae res parant, aduersae probant. Alphonsus etiam Rex, ex Sicilia nauigans, uidens aues marinas circumuolantes trirem[!] et expectantes cibum a nauigantibus, escam in mare proiecit. Verum cum uideret a uolatilibus certatim rabi quae deinde cum praeda auolabant, ad suos conversus ait. Persimiles sunt his garrijs purpurati, et curiales aliquot mei. Simulat enim aliquod officium aut beneficium hiantes et demicantes[!] inuicem, a me acceperunt, aufugiunt nec reuertuntur, donec necessitate premuntur plura petentes. Et certe laudatissime meo iudicet hoc ipsum, ab eodem perlatum. Quemadmodum enim equi uirtutem in bello exploramus. Sic amicum in calamitate et infortunio. Et sicut Asini usum arguit asperitas uiae. Sic amicum [...] cala-

mitates ostendunt. Hoc perpendens Maximus, non sine ingenij acumine inquit. Amicos probabis ex calamitate in uita, eti comminentione periculorum. Amicum enim igne probamus, amicos in aduersa fortuna cognoscimus. Satis itaque instructi iam de amicitia, tum dicto Ciceronis illius, tum etiam exemplis Jllustrium virorum, tum quoque non contemendo dicto Maximij studeamus. Amicitiam veram amplecti falsam iacere[?] et euitare. DIXI.

TRACTATIO Dicti Psalmi 54.

PER CHRIAM 5.

Jacta super Dominum curas tuas et ipse sustentabit te.

Recte Scriptura Sacra enucleat nobis anxietates et dolores nostros, quibus circumdati et inuoluti sumus, cum inquit. Homo natus de Muliere, breui uiuens tempore repletur multis miserijs. Cunctique dies eius doloribus, et aerumnis pleni sunt. Partus enim noster dolorosus, infantia lachrimosa, pueritia laboriosa aetas iuuenilis periculis mille exposita, senectus per se morbus; et quod maximum mors acerbissima. Quid itaque faciamus? quo nos uertamus? Quidue agere debemus? tot et tantis proh dolor curis expositi. Dauid Psaltes qui uir secundum cor Dei erat, ille inquam nostro adhibet cordi leuamen et remedium inquiens: Jacta super Dominum curas tuas. Quo quaeso quid tutius et certius? quid delectabilius? quid suauius? quid iucundius? Nam si quis habeat Dominum beneuolum sibi propitium, qui se omnibus curis liberare promittit, nonne inter fatuos reputaretur, si vocanti non compareret, oblata non acciperet, promittenti non crederet? etsi Dominus tam clemens est. Quanto magis dum simul et Pater et Dominus, Paternamque num petenti filio panem, porrigit lapidem? petenti piscem tribuit serpentem? si haec mundam parentes nostri faciunt, qui si dant, ex quo dederunt minuitur. Quare non ille facerit[!], qui dando non consumitur; tribuendo non in pauperiem[!] redigi potest. Cur itaque non faceremus curas nostras in Patrem et Dominum? Si enim vitam dedit, cur haec uiliora, ut pote libum vestitum, potum, et alia circa quae tam solliciti sumus deneget. Et cum auicularum abiectissimarum quarumcunque de uictu sollicitus sit, cur non hominis curam (quem ad sui imaginem condidit) gerat? Perpendamus saltem lilia agri quae neque metunt neque rent[!], et ecce quali vestitu adornantur annuatim, ita ut ipse Christus, gloriae Salamonis praeferre ausus sit. Praeterea obsecro, quid nobis prodesset si etiam nescit quantis curis nos abrueremus, vanae solliciti de rebus vanis. Num enim manus ad staturam suam, uel saltem spitamam addere potest? si haec in minoribus non possumus, quid si maiora nostris viribus tentemus? Et est etiam Ethnicum nos confidere proprijs viribus, quem titulum priusquam subeamus, omnem notam potius iniquitatis sustineamus. Quaeramus igitur primum regnum Dej, et hoc maxime nobis sit commendatum, caetera omnia procul omni dubio adjicientur nobis.

Sequuntur declamationes et Orationes pleniores.

DECLAMATIO PRIMA

Thema: Philosophiam esse colendam.

Jsocrates cum intelligeret quantum sibi animi abesset timiditas saepe numero dicere solitus est se suos quidem discipulos docere decem minis: verum qui ipsum docuisset extra omnem timiditatem in concione loqui, mercedis loco daturum decem millia. Si haec talis tantusque uir auditores dicere ausus est, quid quaeso ego, qua fronte, qua audacia, perorare agredior, qui ne umbram quidem Eruditionis illius assecutus sum; verum tamen fretus vestrae singulari erga me susceptae beneuolentiae, haec qualitercunque balbuciendo edissere conor, inprimis cum etiam illorum autoritas, quorum ego potesti[?] subiectus sum, id facere suadet. Cogitanti autem mihi, de qua materia agam, quae et digna esset auribus vestris, captumque meum non excederet, obtulit sese mihi, dignitas lausque Philosophiae, quam merito per nos, quotquot liberalibus studijs incumbimus, collendam ostendemus. Quare rogo ut uerba mea vaciuis auribus audire, omneque tedium eruere velint. Cum autem omnis rei dignitas ex Autore maxime estimatur. Ita ut uillissimum quodque datum a syncero, nobisque charissimo pluris habeamus, quam nescio, quantum donarium oblatum per inimicum, cuiusque non tam donum, quam donantem perminus. Certe si contingat nos ab amico, uel amica minimum quid accipere, illud ipsum, tanti ferimus, ut ne locum quidem inuenire ad reponendum ualeamus verum sinui imponimus, nunc huc nunc illuc deponimus, et tantum non exosculamur, sicque donum reuerentia donantis magni habemus: Si haec facimus hominibus mortalibus, qui si dant, quod est corruptibile dant quorum amicitiam temporalis, quorum uita umbra. Si haec inquam facimus, cur non illius, illius inquam, qui nos ab inicio fouit, ex utero Matris sanos illaesosque eduxit, quotidie pascit, protegit, regit, gubernat, dona, non auro, Argento adamante carbunculo, constantia accipiamus illaque summa reuerentia colamus, cum non sint temporalia, sed aeterna, non corruptibilia, verum incorruptibilia, quae nunquam sat superque laudare possumus. Philosophiam autem an non constat omnibus a Deo ipso nobis concessam, clementerque impertitam, cum sapientia sit, nemo autem vere, perfecteque sapiens, nisi Deus ipse, a quo illa sapientia in nos delapsa, uereque digna, ut quae caelo delapsa est eam caelum usque laudibus euehamus, omnibus ingenij neruis colamus et excolamus. Neque sterile donum est Philosophia, haec enim nos primum ad Dei cultum, deinde ad ius hominum quod situm est generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi aerudit, eademque ab animo tanquam ab oculis caliginem dispellit, ut omnia supera, Jnfera prima, ultima media, videamus. Prorsus haec diuina mihi uidetur quis, quae tot res efficit, et tantas. Vt merito cum Cicerone exclamare possim. O uitae Philosophia Dux? uirtutis indagatrix expultrixque uitiorum, quid

non modo nos sed omnino hominum uita sine te esse potuisset? Tu Urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem uitae conuocasti, tu eos primo inter se domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum, et vocum communione iunxisti: tu inuentrix legum, tu magistra meorum[?] et disciplinae fuisti: ad te confugimus, a te opem petimus, utosque tradimus. Felicia igitur antiquorum tempora? in quibus ipsi Jmperatores, mundum regentes seipsos Philosophiae dederunt, ut potuit de Alexandro Macedone, de Julio Caesare, de Ptolomeo Rege, cuiuslibet enim regni gloria creuit in immensum, quamdiu artium liberalium studia in ipso floruerunt. Et merito, quia Philosophia vera docet, iuste et recte regnare. Per me enim Reges regnant ait Sapientia. Recte igitur Philippus Macedo, Alexandro filio iussit, ut audiret Aristotelem, et Philosophiae uocaret, cuius deinde ope, tot gentes in suam potestatem feliciter redegit. Contra ubi Philosophiae ignorantia suum fixit solium, quam quaeso ibi, de uera cognitione Dei altum manet silentium, et Pseudo Christorum buccina clangit, ut lucide patet, ex antiquorum aeuo, ubi proh dolor, loco beatissimae illius sapientiae, nescio quae non barbara monstra regnarunt, et in potissima pietatis parte fuerunt Cordula nodosa, capa dolosa, penes nudus, (quae tamen precipites duxerunt ad tartara fratres) Item traditiones Patrum inuentiones Paparum fabulae (monasticae, et his similes nuge nugarum. Quid dicam, de statu politico qui penitus erat pessundatus, ita ut omne imperium, Meretrix illa babilonica, in suam reddiderit potestatem. O tempora infelicia, o ignorantia perdita, quae es virtutum expultrix, indagatrix uitiorum, quomodo non modo nos sed omnino hominum uita, in tuo Imperio subsistere potuisset. Tu urbes perdis, congregatos homines in societatem uitae dissipas, tu coniugia rumpis, tu literarum florem marcescere facis, te fugimus, a te nos, ut antea ex parte, sic nunc penitus totosque abstrahimus.

Conta vero te Diuina Philosophia, ex intimis penetralibus cordis, una cum administratione Politica, dispositioneque Economica, quae etiam a te promanant, amplectimur, in quae tui nos cultum penitus tradimus. DIXI.

DECLAMATIO SECVNDA

Thema: Clementiam principi esse conuenientissimam.

Aesopus in fabulis suis inter alia refert; Quodam tempore vulpeculam conspexisse Leonem, quem antea non uiderat, ita conspectum eius expauisse, ut parum abfuerit, quin extingueretur. Quod cum postea iterum accidisset, ad conspectum quidem Leonis exterritam esse; sed non ita ut prius. Tertio cum Leonem eundem vidisset, non modo non exterritam, sed confidenter adijsse, colloucutam esse, et confabulatam. Jn hunc modum auditores humanissimi mihi accidisse uideo, qui cum primum studium Eloquentiae agressus fui, uidebar me caucasei montis onus sufferre debere, verum cum saepius idem studium tractarem, equidem molestum videbatur, tamen non adeo ut prius; Jam uero cum ex Dei Optimi Maximi benedictione et praeceptoris mej industria studij huius suauitatem aliquantisper degustaui; non solum modo domi studium hoc Eloquentiae studiosius

tractare, uerum etiam etsi satis tenuiter instructus tamen in conspectum tantorum virorum progredi ausus sum. Obnixe tamen oro, ut haec mea uerba, (satis quidem tenuia) beneuolo animo audire uelitis. Praesertim cum non de aliqua materia uili tractare constituerim sed Virtutum Reginam Clementiam, Principibus esse conuenientissimam sim ostensurus. Quid enim quaeso Principibus, et summatibus magis est enitendum? quam ut subditorum affectus sibi deuinctos habere possint, cum: Non possint stipendia, satellitumque agmina tueri Principem, nisi eorum, quibus imperat, prius adsit beneuolentia; Probe profecto intellexit clementiam ad subditorum beneuolentiam esse Principibus necessariam. Antigonus Rex Macedonum, qui amicis suadentibus, ut si Athenas caperet, validis illam praesidijs communiret, ne quando deficerent, respondit, se semper in ea fuisse sententia, ut crederet, clementiam plus posse quam uiolentiam. Digna certe Principe uerba, quid enim prodest homini, si omnes eum timeant, nemo autem diligat? quis autem non diligat clementem, quis non expauescat Tyrannum? necesse autem est multos timeat, quem multi timent. Rectissime enim et elegantissime Naso: Quem metuit quisque perire cupit. Testantur autem etiam Historiae, quam durabilia scilicet sint Regna Tyrannide occupata. Et uel una Tyberij, et Cai Gracchorum nobilitas, id testatum facere posset; quae quidem aliquandiu amplissima: sed quia a clementia alienor, in rem publicam grassata est, insepulta cadauera jacuerunt; Quin et familiares eorum de robore praecipitati sunt. Quam breui tempore regnauit Nouus Pharao? quam breui Aman? Anthiochus Hostes Dauidis et Ecclesiae, quorum longa esset series (quia Nullum uiolentum diuturnum) idque saltem ea ex causa, quia animos subditorum non clementia demulcebant, verum Tyrannide occupabant. Vnde apparet nullam esse ipsorum, aut etiam regni talium securitatem. Vt enim ex amore, securitas, ita contra ex odio, periculum paritur. Quem clementia fauorque subditorum tuetur nihil timeat. Non sic excubiae, nec circumstantia tela quam tutatur amor. Haec arx inameessa est, hoc inexpugnabile munimentum muniento non egere. Firmissimum enim id Imperium est, quo obedientes gaudent, Excute Historias, videbis qui benignitate ac clementia Imperium temperauere, his candida, et laeta omnia fuisse etiam hostes aequiores, quam alijs ciues. Dauid, qui uix secundum cor Dej erat, quomodo quaeso fasces Imperij per 40 Annos in flore retinere potuit? quam quod clementiam, tum priuatim, exercebat, tum etiam publice. Certe horrendum est auditu, qua ratione filius Absolon, ipsum non modo e Regia deturbauerit, uerum etiam (quousque nequam ultimum vitae halitum clausit) uitae parentis insidiatus fuerit; illius tamen ferocitatem, quanta clementia Dauid prosecutus fuerit, patet ex mandato illius, ad Joabum Praefectum dato: cui puerum Absolonem (suum persecutorem) sibi seruari iubet. Publice autem, quali non est clementia usus erga Simeum? qui illum hominem sanguinarium apellando lapidibus jaciebat. Facillime profecto hunc perdere potuisset, praesertim cum etiam seruitores operam suam in hoc negocio ipsi pollicebantur, non ignauam. Ille tamen prohibuit, et non modo eum interficere, non permisit, uerum etiam ne uno verbo malo reuerberauit. Haec inquam uirtus ipsius regnum non parum firmauit, haec Imperium nihil minus, quam aliae[!] stabiliuit. Sub Alexandri vero potentiam, plures ego existimo clementia adactos, pellectosque. Quam armorum ui redactos. Illud inter alia

memorabile est, cum Poro Indorum regi ricto obtulisset, se daturum quicquid peteret, et Porus ut Regaliter tractaretur petijsset, subridens Alexander: Faciam hoc ait, non tua, sed mea causa. Non ignorauit enim Rex bellicosissimus, nil adeo decere ac ornare Principem nihilque magis munire Principatum, quam si clementia utatur, erga eos etiam, quos nouit hostes fuisse atrocissimos. Vnde etiam Darius praecabatur a Dijs, ut aut superare posset clementia Alexandrum, aut si is Regno spoliaretur solus Alexander, in Persarum Regno imperaret. Sed neque hoc solum consecuti sunt, ut Regna sua firmarent, quotquot hac virtute claruerunt; verum etiam famam immortalem, gloriamque aeternam. Quantum enim quaeso Encomium decantatur, per Historicos, Julij Caesaris quod clemens fuerit? Quomodo non laudatur Octavianus Caesar, illius adoptione filius sanguine nepos propter eandem uirtutem? Jntantum, ut quoties eorum mentio sit, toties exclametur, aut exclamandum sit, illud quod Augusto dicebatur in Theatro. O Dominum Aequum et Bonum? Vos itaque quotquot amari quam odio habere mauultis, quot quot Regnum securum, tutumque potius quam turbulentum, et seditiosum expectus, qui denique Imperia firma, Gloriam amplam, et immortalem concupiscitis; Enitimini virtutem hanc consequi, idque efficere, ut timeant subditi non vos, sed pro uobis. DIXI.

DEDICATIO ETHOPOEIA sequentis
Ad Illustrissimum Patrem Regni Hungariae Palatinum.

Cum omnes agricolae hocce aestiuo tempore suorum laborum, fructum demetant sementemque in terram adiectam, in horrea sua colligare. Motus etiam ego illorum exemplo Illustrissimum Patrem praetermittere nolui, quin Illustrissima Dominatio Vestra fructum aliquem ex ingenij mei cultura exhiberem sperans Illustrissimam Dominationem Vestram sereno uultu accepturam. Cum enim rusticorum serta, e spicis contexta nuper non modo laeto accepit, animo verum conuiuio eos excepit pro eorum conditione sat lauto. Multo magis meam quoque coronam phrasibus latinis contextam, aequi bonique consulet. Si tamen aliqua occurrerint, quae minime accurata uidebuntur; veniam peto. Neque enim illa huius anni messis pluuijs vatijsque aeris perturbationibus caruit. Haec itaque Illustrissimo Patri Illustrissimae Dominationi Vestrae dedico imo me ipsum una offero, filialiter orans, ut nec qualiacunque grato accipiat animo, promitto in posterum me, non spiceam ueram rosmaniream coronam, (si Deus benedicerit) exhibiturum esse.

SEQVITVR IPSA ETHOPOEIA SEV
Oratio Josephi in carcere ad Astantes, exprimens affectus illius, in tali fortuna constituti.

O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, et manes nostras contentiones, quae in medio spatio saepe franguntur, et corruunt, et ante ipso portu

obtuuntur, quam portum conspicere potuerunt. Quae mihi etiam accidisse uideo, qui ex splendidissima fortuna, in miserimam detrusus, et dulcissimi parentis conspectu subductus suum. Ab quanto ille me amore prosequabatur, adeo quidem, ut et uerbis semper blandioribus quam fratres caeteros alloqueretur et uestitu multo elegantiore, prae alijs ornaret: quae res etiam huc inter alia huc me detrusit. Cor meum pene dissilit, cum recordor quomodo, ab ipsis cunabulis, post usum dulcissimorum melliferorumque uberum maternorum, semper in sinu materno fauebar; tantumque custodiebar, ut ne uestibulum quidem infortunij adire permitteretur. Nihil jam dicam de locuplete haereditate, etiam post mortem patris mihi speranda, nihil de felicitate per vatidica somnia mihi significata, nihil de ipsa terra Chananea per Deum mihi promissa. Quae proh dolor utinam atque utinam nunquam praesciuiscem[!]? fortassis enim nunc aduersa facilius essent perlatu. Grauis enim est casus e Regno in seruitium, e libera seruitute in carcerem, e carcere uero, in ipsum metum mortis detrudi, quae mihi omnia instare uideo. Ecce enim loco charissimi Parentis mei suauissimi, horrendus minisque plenus aspectus Lictoris ferendus; loco conuersationis cum hominibus, confabulationisque per quam gratissimae; inter viperarum sibilos bufonum ululatus culicum cantilenas et his similia impedimenta, territa mentaque est uiuendum. Quae omnia si culpa mea meritus essem leuiori animo ferrem sed ob fidelitatem erga herum, obque pietatem erga Deum prestitam haec patior. Si enim annuissem verbis Dominae meae, inter jucundissimos fortunae prospere lucos delitescerem, neque calumnia in me ullam habuisset potestatem, quae me in haec mala, aduersaque detrusit. O terram igitur pestiferamque calumniam? quae haec et talia in bonis etiam exercere potest. Quae si iam tandem esset contenta tot malis propter ipsam perlatis, esset dolor aliquanto leuior: sed ecce indies inquam peiora pollicetur, ipsamque mihi mortem minitari videtur. Quis scit qualibus animantibus haec caro, tam delicate educata, esca futura sit? si enim capite plectar canes sanguinem lambent; si ex ligno suspendar, edulium coruis praebebo, sin lapidabor, extra murumque eiciar, infarcinabo bestias terrae, uolatiliaque Caeli. Quae omnia mihi instare uideo, ex illa instigatione herae meae ex conceptaque ira Domini mei. O beatam matrem meam suauissimam cui praematura mors uel id beneficij praestitit, ut clam dira de filio non experiretis. O Pater Pater, quanto luctu duces canos tuos in infernum, haec de filio tuo semper tibi charissimo auditurus. O miserum me et infortunatissimum omnium qui viuunt hominum? Sed tamen o Deus Deus meus, in te confido, tibi me trado penitusque uoueo, tu dedisti mihi uitam tu me enutrijsti, conseruasti, custodijsti, ab infantia mea, in diem usque hodiernum. Quibus non periculis ego potuissem subjici si non tua dextra me protexisses? In te sperauerunt Patres mei nec confusi sunt. Tu es Deus Abraham, tu Deus Isac, et Jacob, tu dixisti, Domine, ad Abraham Patrem nostrum: in semine tuo benedicentur omnes gentes, et multiplicabo semen tuum, sicut stellas Caeli, et sicut arenam maris. Ex lumbis eius processi sum ex semine benedicto, ex populo, qui tibi conplacuit, et ex gente tua. Verus es Domine et justum iudicium tuum in te confidam non frustrabor in aeternum hic urae[?] hic seca saltem in aeternum miserere. Fac secundum uoluntatem tuam cum vermiculo tuo; spero spero et confido quia et facies.

Magnus enim et misericors es Domine, multae et ineffabiles potentiae tuae. Si enim Lotum excaptiuitate[!] dira una cum tota familia per Abrahamum liberare potuisti; si denique alios misericordia, alios vi eripuisti, si alios innocentia sua, alios custodum negligentia liberauit, si alius praecio, alius ingenio, et uel subterraneis cuniculis vel per tenebras amicae noctis elapsus est; etiam mihi ex carcere per te ostendetur uia; Ad postremum quos nihil emisit, mors absoluit. Quae omnia a te, et per te facta cum sciam, in te confidam, nec me a te auelli patiar. Et etiam si occideris me, tamen in te sperabo.

DECLAMATIO TERTIA

Thema: Vanitas uanitatum et omnia Vanitas

Si quis unquam hominum meritu[!] est, aut meretur titulum sapientiae certe uel inprimis Salamon sibi uendicare, prope suo iure potest. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spacium praeteriti temporis, nunquam de ullo aliquo dictum scriptum auditumue animaduerto, quod de Salamone legitur. Hunc enim ipsa Scriptura Sacra cunctis hominibus sapientiorem fuisse affirmat. Quod certe ex ipsius scriptis quae posteritati reliquit, ut Cantico Canticorum, prouerbijs libroque sapientiae luculenter patet. Et uel eo unico dicto in quo vanitatem et nihilitudinem mundi huius ostendit, caeteris in sapientia palmam meo iudicio praeripere uidetur, cum inquit: Wanitas uanitatum et omnia uanitas. O Rege dignum et niueo lapillo notandum dictum, o dignus ipse Salamon laude immortali, qui nobis tam perspicue, uereque vanitates huius mundi commonstrat, vere enim cuncta uanitas cuncta similia umbrae, aut fumo, quae nimio quoque uento dissipantur, corruunt, pereunt. Quid enim quaeso sub sole, sub Luna, imo sub Caelo ipso toto adinueniri potest, quod vanitati non subjiceretur? Perpendamus saltem illa quibus plurimum adheremus, et in quibus delectationem nostram maxime figimus uidebimus profecto illis omnibus aeque euenturum quemadmodum spongie quae plurimum aquae attrahit tandem conpressa omnem liquorem reddere debet, ita etiam bona illa quantumcunque in se continere uideantur, si tamen penitius intueantur, in nihilum abitura. Ecce diuitiae in quibus congregandis omnem mouemus lapidem, per saxa, per ignes, per maria, per loca quaeque periculosa uagamur, saltem illa ut adipisci possemus, nihili uitam, saepe etiam nihili honestatem ducimus in illorum gratiam. Et tamen illae quid sunt quam uanitas. Si enim ex aedificijs constant domus ueterescent pluuia parietes paulatim demolietur, uentus validus superueniens diruet, imo uel ipsae guttulae, ex pluuia cadentes, eius pulchritudinem eluent, demormabuntque? Si uero in praedijs, agrisque ponuntur, hic praeter labores etiam curas rixas controuersias cum vicinio et alijs pati debemus; quae nihili duceremus, si tantum in his bonis esset aliqua stabilitas, quam tamen assequi non ualemus. Quod si omnem substantiam tuam in unum ut ita dicam cumulum colliges in terram abscondes uel in penum depones. Neque sic euitabunt diuitiae uanitatis titulum, super ueniet fur, praedo, et uel ipsa aerugo, in nihilumque reddent. Wolue reuolue, quot quot unquam Historici fuerunt

nunquam tamen inuenies aliquem qui in diuitijs beatitudinem inuenerit stabilem. Considera saltem Alexandri Magni, Darij, Salamonis, Craesi, aliorumue facultates, et uide quorsum uel opes, uel earum possessores deuenerint. Vnde liquide patet, diuitiarum gloriam fluxam esse et fragilem. Idem dici potest de pulchritudine, quae adeo delectat, adeoque attrahit homines, ut uix tantam vim in attrahendo ferro magnes habere possit. Et tamen si consideretur accuratius, quid est quam vanitas? formae enim dignitas aut morbo deflorescit, aut uetustate extinguitur, unde Poeta:

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos
Fit minor, et spacio, carpitur ipsa suo.
Nec semper uiolae, nec semper lilia florent
Et riget amissa, spina relicta rosa.
Et ubi iam uenient cani, formose capilli,
Jam uenient rugae, quae tibi corpus arent.

Recte itaque Wirgilius in Bucolica:

O formose puer nimimum ne crede colori,
Alba ligustra cadunt, vacinia nigra leguntur.

Taceo de uoluptatibus, quibus proh dolor adeo mundus hic inmersus, peruersus est, ut satis efferre non queam, quae quidem uidentur esse alicuius pretij, delectant enim oculos, uegetant corpus, et sic se in gratiam hominum insinuant; sed certe earum appetentia quidem plena est anxietatis: satietas vero paenitentiae, quarum motus quid habeat iucunditatis ignoro nulla profecto capitalior pestis, quam corporis uoluptas hominibus a natura data est. Neque etiam pura ulla aut constans sub sole inuenitur. Nam amores et delitiae maturae et celeriter deflorescunt, in nihilumque rediguntur. Neque extra huius fortunae aleam positi sunt honores, qui etsi a generosissimis maximisque animis expetuntur, et opinione nostra chari sunt, pretio tamen uiles, nihil enim habent in se magnificum, praeter hoc quod mirari illos et omnibus modis ambire consueuimus. Nam et hic dominatur, illa rerum mundanarum Vanitas. Non minori uoto expetimus longaeuitatem quae etiam si nullum aliud bonum consequatur, per se tamen amatur: et merito etiam in praecio habetur quippe quam Deus, praecij, praemijque loco filijs obedientibus promisit. Sed quid quaeso est diu uiuere nisi ad finem currere? Vita haec est, uita dubia, uita caeca, uita aerumnosa, quam humores tumidant dolores extenuant; ardores exiccant, aer morbidat, escae inflant, jeiunia macerant, joci dissoluunt, tristitiae consumunt, solicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiae iactitant, paupertas dejicit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, moeror deprimit, et post haec omnia mors interimit, vniuersis gaudijs finem inponit, ita cum esse defierit, nec fuisse putetur: Haec perpendens Jacob Patriarcha interrogatus per Pharaonem, quot esset annorum inquit: Dies peregrinationis meae 130 pauci et mali, neque peruenerunt ad dies patrum meorum, qui hic peregrinati sunt. Adeo nihil est fugacius uita, rebusque seculi, quas dum tene-

mus amittimus. Scilicet ubique regnat illud uanitas vanitatum et omnia uanitas. Cum itaque Diuitiae, Pulcritudo, Voluptates, honores, imo uita ipsa, sint tam nihili, sint umbrae et instar palearum, quae nimio uento dissipantur, auertamus, animum ab his VANIS, conuertamusque ad illa aeterna quorum uoluptates in tantum extolluntur in Scripturis, ut aures non audiuisse, oculos non uidisse, imo ne in mentem quidem hominum venisse affirmare ausint. DIXI.

DECLAMATIO QVARTA

Thema: Mulieres ad Magistratum gerendum non sunt admitendae

Amplissimum et Illustrissimum munus Principum et megistanum est, et quo Illustrius eo grauius. Quid enim inter homines grauius, quam unum praeesse pluribus, leges et iussa ponere, maria terras, pacem, bella moderari. Diuinitas quaedam uidetur haec dignitas, et est profecto, si bene administretur. Jpsa namque Scriptura Sacra testatur magistratum esse Diuinum quiddam cum inquit: Wos dij estis, et filij altissimi vocabimini. Cum itaque hoc munus habeat tantum dignitatis tantumque oneris, nemini quam tali est concredendum qui ferre ualeat: ubi sat multumque hactenus disceptatum inter politicos, an etiam foemineus sexus sit ad imperium admitendus? Id quod meo quidem iudicio minime concedendum uidetur. Hoc namque Sacra ipsa Scriptura uult cum sexui Masculino committit munus imperandi, foemineum uero subjicit inquiens: Sub uiri potestate eris, et ipse dominabitur tibi. Quid quod lex ipsa naturae, quae uitae dux ostendit, et quasi digito demonstrat qui sint Imperio praeficiendi nempe constantes et prudentes viri hos enim fortitudine et prudentia instruxit foeminis contra nudis relictis. Quippe quae nec animi magnitudine valeant, nec altera, et praecipua quae ad rempublicam gubernandam requiritur uirtute. Vnde Aristippus inquit: Mulierem habere os exornatum, animum sew prudentiam deformem, sine hac autem quis dubitet esse pessimam gubernationem? Quid enim abiectius stultitia dici potest? haec est res sordida seruilis multis affectibus et saeuissimis subdita. Neque solum uirtutibus destituta uerum etiam uitijs repleta est Mulier; ut enim linguam tantum initio uideamus, non discernit, tempus tacendi et tempus loquendi, nec modum potest garrulitati suae ponere, leuis quidem sermo uidetur, quia leuiter uolat, sed grauiter uulnerat, leuiter transit, sed grauiter urit, leuiter penetrat animum, sed grauiter exit, leuiter profertur, sed grauiter reuocatur, facile volat, ideo amorem subditorum facile uiolat, si autem hic deest quomodo recta gubernatio adhibebitur? cum non sic excubiae, nec circumstantia tela quam tutatur amor, nec possunt stipendia satellitum agmina tueri Principem, nisi eorum quibus imperat prius adsit beneuolentia. Eas porro singularis quaedam insolentia et ferocia comitatur, ita ut ego credam nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem Mulieri malae. Quid inter quadrupedia animalia Leone saeuius? sed nihil haec ferocius, quid in serpentibus Dracone acrius? nec hic quidem cum muliere mala conferre potest. Nam Leo et Draco in malo inferiores sunt. Danielem Leones in lacu ueriti sunt: iustum uero illum Naboth Jezabel interfecit. Coetus Jo-

nam in uentre custodit. Dalila Samsonem circumuentum, illecebris raso etiam capite deformatum alienigenis tradidit. Joannem Babtistam in deserto uiuentem Dracones, et aspides subdita feritate tremuerunt. Herodias uero eidem caput abscidit et tanti viri mortem in praecium saltationis accersiuit. O malum summum, et acutissimum Diaboli telum Mulier mala! Per Mulierem Adam ab initio in Paradiso cecidit, mulier ipsum exterminauit. Per Mulierem munitissimus ille Dauid, suum militem innocentem Wriam, Epistolae dolo occidendum hostibus praesentauit. Mulier sapientissimum Salamonem in praeuaricationis Sacrilegium praecipitauit. Mulier fortissimum Samsonem rasit, rasumque excaecauit. Mulier castissimum Joseph vinculis alligatum in carcerem trusit. Mulier Joannem totius mundi caput capite truncauit. Quid dicam de hominibus? cum mulier Angelos, de Coelo deposuerit mulier malitia omnes prostrauit, omnes iugulat, omnes interficit, omnes elidit mulier impudens, nemini parcit, non Leuitam honorat, non sacerdotem reueretur, non Prophetae defert honorem. O malum omni malo peius mulier mala! Siue illa pauper sit, siue diues, si facultates cooperatrices sunt malitiae suae. O malum intolerabile, uipera irremediabilis, uenenum insanabile mulier mala! Si iniuriam patitur, insanit: si honorem accipit extollitur. Si potentis uxor sit, non cessat nocte ac die callidis stimulare sermonibus, blanditur nequiter, et quod uult importuna rapit uiolenter. Si pauperem habet uirum ipsum ad iracundias et rixas incitare non desinit: Si uidua sit omnes passim despicit, et ad omnem audaciam superbia inflatur. Timor Dei non refrenat linguam suam nec irata futurum iudicium prospicit, nec ad Deum attendit. En tibi bellum illud animal graphicis plane depictum coloribus: et uelles tamen ei munus diuinum committere? demens profecto iudicareris ipsoque Nabale stultior. Sed ne forte aliquis me ira, aut inuidia, uel odio laborare erga hunc sexum existimet; proferam in medium aliqua exempla de uirtutibus (scilicet) mulierum. Et prima quidem offert se illa sordida, fas sit tali uerbo uti cloaca, Messalina Claudij Imperatoris Uxor, omnis impuditiae, auaritiae, omniumue flagitiorum ut ita dicam altrix et cultrix, et nomine quidem Vxor illius, sed reuera domini domina. Haec namque praeter alia immania facinora et acta cruenta, edidit etiam hoc horrendum; uiuente namque Marito, uiuente principe; principe ipso. Caelio Silio, Romanae iuuentutis pulcerrimo nupsit, et eius consuetudine fruita est: Horreo caeteram historiam contexere, ne pias aures offendam. Consortem liceat adire FAUSTINAM, et hanc etiam Romani Principis coniugem? Agebat in matrimonio Marci Antonij Philosophi cognomento, optimi non Principum solum, sed uirorum. Infelicem tantum hac foeda labe! quia et haec libidinum sic promiscua, et vilis erat, ut uulgo se uulgaret, in balneis, in arenis, et Xystis, ubi homines nudabantur, legere conditiones solita, et bene vasatos adnotare. Atqui non imperauit inquies. Dedit qui imperaret commodum, non falsa opinione, gladiatore genitum: et hic rem Romanam perdidit ab illa matre. Nec illa melior Laodice Ariarathis Cappadocum regis, cum marito mortuo, in regni administratione esset, quas clades in media pace dedit? Saeuijt passim in proceres, et in uulgus: parum est. Saeuijt in liberos, et suum sanguinem et (o sancta pietas) sex ex se natos ueneno omnes sustulit: qu<i>a caussa? tantum, ut diuturnior in imperio esset. Vnus paruulus fato euasit Medeam illam: quem populus mox ad regnum sustulit, illa prius communibus uo-

tis et suffragijs exstincta: sed quid? una et simplici morte exstincta, quae toties paricida, tot culleos meruisset. His itaque omnibus bene perpensis, quis quaeso praeficere censebit, stultum prudentibus, Scortum pudicis, mollem fortibus, inermemque armatis. DIXI.

DECLAMATIO QVINTA

Thema: Mulieres ad Magistratum gerendum sunt admitendae.

Quod uulgo dicitur, currum nescio quam multis rebus oneratum, nihilo secius tamen suscipere posse, unus furcellae foeminus: Id ego etiam pro tempore usurpo, qui uestras aures ab aduersario oneratas esse, et mentes captas rationibus prioribus animaduerto. Sed neque dubito quin paucula, quae ego adiecturus sum laturi quoque patienti attentoque animo sitis nec auribus vaciuis mea quoque Argumenta audire dedignaturi. Nec enim ita iniqui estis iudices, ut una parte contendentium audita, excludatis alteram. Itaque ut ego autoritatem illarum ex quibus nascimur, per quas alimur, et per quarum industriam educamur, tueri possim, Deus alme quaeso annue ceptis meis. Ne uero meo sensu, meisque affectibus rem egisse uidear, totum hoc negotium aliorum autoritate et sententia tractabo. Primum igitur adesto uiresque tuas, coniunge meis Seneca qui non veritus es dicere. Nulli praeclusam esse uiam virtutis, omnes amittere nec censum, nec sexum eligere, et recte quidem dixisti, imo et rectissime. Nec enim semper masculum quicquid gignitur, perfectius est eo quod foemineum nascitur; sunt enim inuentae et adhuc inueniuntur tum ingenio et prudentia, tum etiam animi magnitudine praeclare instructae. Certe PHILO Uxor Demetrij Regis, filia Antipatri illius, qui Macedoniam et Graeciam uiuo mortuoque Alexandro gubernauit, uel una hoc luculenter ostendit. Haec iam tunc puella, et in annis teneris natiua quadam prudentia sic uisa excellere, ut ipse pater consilia ab ea pateret et audiret. Pater ille senex, ille usu et tractatione rerum sic peritus. Quid Demetrius, cum iam Uxor eius esset? erat ipse uario ingenio, et uitijs proprior: sed mira temperie haec maritum flectebat, ne dicam regebat: calumnias supprimebat iras mitigabat, iusta et honesta inserebat. Jam populi uere mater, tenuiorum filias dotibus datis elocabat; afflictos a fortuna releuabat, bonos prouehebat: quid apud ipsos milites? Saluo pudore foemineo, et ijs se miscebat: alloquebatur, erigebat, tanta autoritate uel gratia, ut sola tumultuantes represserit et in seditionem lapsos reuocarit. Quae fides deinde, et amor ipsum maritum? cum uictus a Pyrrho Rege esset, castris ac regno exutus: uiuere non ultra sustinuit, et morte spontanea invidiam fortunae fecit, Auo non animo inferior Zenobia Palmyrenorum Regina. Haec stripem et sanguinem a Ptolomeis, et ipsa Cleopatra, sed non mores (dij boni quam aberat?) ducebat. Vxor erat Odenati, fortissimi uiri, et qui ad imperium Romanum ausus aspirare. Illo uiuo ijsdem cum eo exercitijs, in venatu, in montibus, in siluis, in ipsa militia uti. In alijs uirtutibus scientiae etiam auida; et historiae Orientalis ita perita ut ipsa eam stilo suo in compendium redegerit, usui posterorum. Nec Graeci Latinique sermonis aut rerum ignara fuit. Forma autem

posterorum. Nec Graeci Latinique sermonis aut rerum ignara fuit. Forma autem corporis egregia, oculis supra modum uigentibus (uerba Pollionis dabo) et nigris; tanto candore in dentibus, ut margaritas eam plerique habere putarent, non dentes. Vox praeterea clara et uirilis. Cum his dotibus, ut dixi, nupta, et forti quidem uiro, etsi haud felici. Nam Gallieno illo ignauo Imperatore, cum decus omne imperij labaret, aut rueret ipse Persidem et Orientem inuasit, quasi Valerianum captum, et Romanam ignominiam uindicaturus. Res magnas geret: adeo ut ipse Gallienus consortem imperij sumsperit[!], et ultro Augustum declararit. Nec diu in hoc honore, insidijs Meoni consobrini sui uitam et potestatem amisit, aut hanc potius transmisit. Nam Zenobia illa Uxor, laborum et uictoriarum ante particeps (assidue enim comitari maritum ipsa etiam sub armis solita) imperium suscepit fortiter et gessit. Bella cum Romanis Aureliano Principe habuit. Aegyptum inuasit, et uicto ac caeso eius praeside probo, occupauit. Denique Aurelianus, sed aegre fregit, non enim profecto uicit: imo uelut tacito pacto, passa in triumpho se duci, sed ut uitam, et dignitatem in parte seruaret, atque adeo sunt, qui filiam eius Imperatori dicant nuptijs iunctam: imo et stirpem eius diu post Romae, inter illustres familias floruisse. Haec militaris foemina, pacatius exemplum PVLCHERIA dabit. Ea Theodosij iunioris soror uitam et uirginitatem Christo deuouit: paullo maiore natu, quam ille: qui septuennis fere a patre Arcadio relictus hanc habuit morum et institionis magistram. Atque adeo iam grandiore illo, adhaesit, et curas imperij participauit salubriter omnia, et pie, modesteque disponens. Et uero quamdiu habenas tenuit, felix imperij et rectus cursus: postquam inuidia aliorum et calumnijs Eunuchorum, (Chrysaphij praesertim) submota est, et loco pulsa contulit ea se in Hebdomon, locum Bizantio suburbanum, atque ibi summa pietate et quiete uictitabat. Donec post annos septem, fraude calumniatorum agnita, et imperio undique concusso, fulcrum iterum rebus labentibus adsumitur aut reparatio iam lapsis. Fit utrumque et restituit pleraque omnia, aut tuetur. Specimen animi eius et prudentiae hoc esto. Fratrem Theodosium uidebat et dolebat, temere Libellis saepe subscribere, et nec lectis: aliena commendatione aut fide, ut fit nixum. Dolum bonum hunc repperit ad emendandum concepit enim et ipsa libellum, atque obtulit quo Eudociam eius coniugem petebat mancipari sibi in seruitutem. Capit, et subscribit statim, quidni in sororis petitione? atque illa, caenae instruendae caussa, Eudociam apud se aliquandiu habet. Miranti, et euocanti, negat missuram, et suam eam, uti quae OPTIMO MAXIMOQVE iure esse. Profert manum et subscriptionem, confuso iam illi, nescio an emendando. Reuera enim secors ingenium fuit, et alter Claudius, in faeminarum aut effaeminatorum (Eunuchus intelligo) potestate. Mortuo autem illo, et sine liberis, re celata, Marcia num euocat, uita et bello bonum et ad imperium producit. Quoque magis commendaret, nuptias suas ei donat, sed titulo tenus, stipulata, neque Sacrata DEO uirginitas libaretur. Rexit cum illo annos aliquot, mirifice a suae religionis apicibus, Leone Pontife[!], Hilario Episcopo alijsque laudata. Similem non enim parem undique ei iungo JSABELLAM Ferdinandi coniugem, Hispaniarum Reginam. Parem[?] in quibusdam superiorem, et sola fortasse uirginitate cedamus. Haec si pietatem spectas, in sacrorum cultu mirifica, et assidua; nulla occupatione aut delectatione demoueri. Jam reliquae uirtutes instructae huic fundamento.

Casta, sic ut nec rumor de ea mentiretur; et maritum pariter eo ducens, pellices, amicas, et id genus callide serutata, et ab Aula amolita. Frugalis adeo, ut in omni uita nec uinum libarit: quae uirtus fomes, ut scimus est castitatis, et modestae grauitatis. Quam sane habuit, exosa mimos scaenicos, ludiones, totum hoc leuitatis, instrumentum, et nec priuatim, aut publice audire sustinens, uel spectare. Eorum uicem uiros graues, matronas serias apud se habere: item pueros aut puellas nobiles, et utrosque pro sexu, artibus studijsque informare. Aula illa, nil nisi palaestra honoris et uirtutis erat. Jtaque insignes uiri etiam militia et ea prodierunt: et magnum illum Consaluum, cui regnum Neapolitanum Hispania debet, haec refert expensum Matrona ipsa ciuilium rerum gnara, bellicarum nec ignara. Quid magni in regno sine illa, imo nisi per illam fere, gestum est? Rex maritus et consiliarij usu edocti peritiam eius et felicitatem in sententijs, quae edicebat pro oraculis (nec id per adulationem) amplecti. Jlla factionibus, latrocinijs infestum regnum purgauit et pacauit, illa Justitiam restituit, potentiorum iniurijs exsulantem. Et quid alia commemorem? quam in grauia animaduerterit, argumentum esto quod nec aleae, aut tesserae ludum tolerauit, et edicto uetitum sic repressit (etsi prona eo gens est) ut nec furtim et in angulis luderent, soliti in cauponis, uijs, angiportis. Jam uero et militiae non consilio tantum sed opera interuenit: modesta quaedam Lenobia: et bellum Lusitanicum, absente marito confecit, et Maurico siue Granatensi, quod plures annos traxit, pluries interfuit, et summam manum praesens cum marito imposuit. Magni ad omnia animi, et res spesque magnas complexa. Jtaque Nauarrae regnum consilijs eius iunctum; Canariae insulae occupatae, et insessae; ipse Nouus orbis naturae occultior pars, per eam retectus, et subiectus. Nam maritus, cetera uir egregius, restrictior aut timidior erat retinere sua melior, quam augere. Haec dilatabat. Et cum Christophorum Columbum diu Rex duxisset, et ad extremum destituisset: bono Genio stimulante ad ipsam Reginam uenit, conatus suos et perficiendi uias esposuit et instrumenta idest naues, Viros, arma ab hac impetrauit. Salve, salue heroina, priscis par aut maior: et in qua iure claudam exempla foeminei boni imperij. Quid enim tale addam? Nihil itaque iam dicam de Egeria, nihil de Aspasia, nihil de alijs quarum uel 600 numerare possem. Recte itaque fecerunt Lacedemonij, qui ipsas ad publica adhibuerunt consilia. Non minus recte Britanni qui non modo ad consilia, uerum etiam ad auxilia adhibebant. Longe melius Angli. Optime Germani. Non male Hungari. Nec infeliciter hodieque Galli. Qui omnes uno quasi consensu hunc sexum ad imperium admittebant. Friuola itaque argumenta mihi uidentur esse, quae pars contraria protulit, ubi quaedam exempla male administrate[!] Reipublicae, per foeminas refert. Nonne nos plura, imo multo plura, reposuimus, et monstrauimus, quae bene fortiter, prudenterque administrabant. Ah quam multa exempla, inueniremus in uiris qui non modo male, sed pessime Rempublicam gubernabant, totamque pessundabant. Sufficiant haec. Quorum omnium censuram praestantissimorum auditorum iudicio committo. DIXI.

DECLAMATIO SEXTA

Thema: Christiano licere iudicio experiri, causas in foro agere.

Quemadmodum nulla ora sunt tam deformia, tam rugosa, tam distorta, tamque tetrae turpitudinis labe obnoxia, quin inueniant suos basiatores. Ita et nulla est opinio tam falsa tam uana, adeoque futilis, quin inueniat suos assectatores approbatores fautoresque. Quod si antea nunquam uidissetis, cerneretis hodie atque in hoc ipso loco. Audistis enim quod scelus, quam turpitudinem quantum scandalum, sine omni uerecondia eructauerit iste: qui non ueretur, a uerae religionis uia sciens, uolensque discedere, ac utroque (ut aiunt) pede in Anabaptistarum heresin deflectere, dum e Christiana Republica iudicia omnia cumque ipsis iustitiam eliminat. Justitiam illam quae omnibus rebus anteferenda, et sine qua nihil sunt regna, nisi magna latrocinia. Quae res omnino nec toleranda, nec probanda, sed cuilibet pro uiribus retundenda pessundandaque mihi uidetur, ex nimia namque scintillula flamma saepe surgit qua tota urbs conburetur. Itaque ne taciturnitate mea illis persuasionibus consentiri uidear, neue patiar Regnum et Reginam uirtutum sic affici calumnijs, in eamque infamiam duci, quasi parum Christianos decerent. Ausus sum meam aut potius ipsius Scripturae Sacrae rationisque rectae sententiam aperire, et quantum in me est, iudicia Christianae Reipublicae, suoque honore restituere atque uindicare. Rogo itaque Illustrissimam Vestram Dominationem reliquamque auditorum coronam ut me in hoc negocio de rebus difficilibus balbutientem patienti animo ferant, et quam, iniquae caussae non negarunt audientiam, eam potius ueritati indulgere uelint. Jnitio igitur considerandum hoc uenit: Cum Deius[!] huius uniuerse[!] conditor sapientissimus, peculiarem politiam inter Judeos constiturus esset, nonne tunc potuisset, cum sit potentissimus alio medio uti in gubernatione populi sui unice dilecti? quam iudiciorum introductione, quam iudicibus constituendis? Sed ut ostenderet, se esse autorem fautoremque iustitiae, initio ipsi Moisi iudicandi munus commisit, tandem 10 alios ei adiunxit, ut sic reos punirent, inuiria affectos iuri uindicarent. Erga rebelles gladio erga fideles clementia uterentur. Hoc inter Judeos factum, in populo DEI quasi haereditario. Neque tamen contaminarunt, illius sanctitatem, aut religionem iudicia. Et quomodo Sanctos dedeceat, quod sanctus Sanctorum ipsemet ordinauit, suaque autoritate Sacro Sancta muniuit, Videns itaque tu bone vir, contra quem uerba effutiueris DEJ ipsius DEJ ordinationem ausus es blaterando infingere et conatus extirpare. Id impium dixisti, id parum Christianum, quod Sanctissimus ille filijs suis dilectissimis summi beneficij loco concessit. Quod si serio sentis quod dicis, ut uix credam metuas. Sin ludis profecto turpiter atque impie iocaris. Durum crede mihi est contra hunc stimulum calcitrare. Ipse Salvator, redemptorque mundi, ut ostenderet sibi placere iustitiam, illamque nulli esse fugiendam, uerum audacter cuilibet subeundam ipsemet in persona sua sese statuit, et ut de se sententiam dicerent permisit. Paulus uero ille qui in tertium Coelum raptus? ille qui inde doctrinam caelestem in terras attulit, ille inquam etiam ad Caesarem appellauit ut iudicium ipsius de innocentia sua experiretur.

Quod uero Christus cuius omnis actio nostra est institutio, nobis suo exemplo praeiuit cur id Christianum non sit? Cur impium quod Paulus Spiritu Sancto instigante fecit. Equidem non uideo cur enorme dicendum sit, quod ad hanc rectitudinis normam conformatur. Caeterum hoc tecum agam: Certo scio leges te ex Republica tollere non uelle, nisi eadem opera solem e mundo et animam esse leges, dicebat Demosthenes. Vt enim corpus anima carens cadit, sic ciuitas nullis administrata legibus euertitur. Si leges abrogentur et cuiuis licentia faciendi quicquid uoluerit data sit, non solum Respublica pessum ibit sed nec quicquam intererit, inter nostram et ferarum uitam. Solon existimabat, argentum quidem numisma esse priuatarum commutationum causa inter priuatos repertum; Leges autem putat ciuitatis numisma esse: itaque homines oportet multo magis, si quis istud quod ciuitatis sit numisma corrumpat, et adulterinam inducat odisse et punire, quam si quis illud quod priuatum. Quod si uero leges pateris, nec tollendas esse censes, quomodo iudicia poterunt abrogari, sine harum interitu? Quaeso te enim quomodo leges stabunt, sine iudicibus qui seueritate has custodiant, autoritate sua muniant? Quid lex sine executore, quam campana sine pistillo? Adeo certe ut ausim affirmare plus situm esse in iudicibus quam legibus ipsis. Aiunt Phedonem ut a Spartanis bonas leges acciperet, inque patriam suam afferret, Lacedaemonem missum: postea reuersum, cum concurreret undiquaque populus, quidque ferret noui audire exoptaret, in medio foro posuisse crucem, forcipem, gladium, flagellum, conpedes, et manicas, et in hanc sententiam uerba fecisse: Scitote Thebani hoc me responsum ex legatione refferre, quod scilicet Lacedaemonij, huic cruci affigant fures, hoc gladio, proditores feriant; hac forcipe torqueant blasphemos et mendaces, blaterones, hoc flagro cedant errones vagos; his conpedibus uinciant seditiosos, his manicis ligent aleatores. Igitur non me scriptas leges uobis afferre sed legum conseruandarum instrumenta apportare dico. Non enim tam uirtute excellunt Lacedaemonij propter leges quas mortui tulerunt, quam ob conseruandi illas quam viui munere rationem. Legum enim autoritas, in exequendis potius et conseruandis illis, quam in condendis et constituendis consistit. At quis leges exequetur, quam Jude? ubi quaeso alibi quam in Judicijs? Ut uero leges sunt profanis pariter atque Christianis latae, ita etiam, forum utreque[!] comune aperitur. Non igitur frustra instituta potestas Regis, et cognitoris ius, ungulae carnificis, arma militis, disciplina dominantis. Habent omnia ista modos, suas causas, rationes, utilitates, haec cum timentur, et mali coercentur, et boni quiete inter malos uiuunt. Quae enim Deum immortalem esset peruersitas? quae inordinatio, quae confusio rerum omnium, hominumque, si ista repagula, si uenerandi hi limites non essent constituti. Sed Age nunc accedam ad reuisionem argumentorum tuorum, quibus non secus ac arietibus olim muti sic modo tu diuinum hoc institutum peruertere satagis. Vbi primum omnium illud Dictum Matthiae 5. adducis inquiens: Christus ait, qui te uolet ad ius trahere, et tunicam tuam tollere permitte ei pallium, si quis te percusserit in dextram maxillam, praebe illi et alteram. Hinc iudicia prohibita, nec nisi uiolato Christi mandato, ex amore proximi extincto, subiri posse, plusquam Sophistice concludes. Imitatus in huius dicti deprauatione Julianum Apostatam. Ad quem cum Christiani conquestum uenirent de miseria sua et paupertate. Respondit: Recte inquam uobis fit,

quos ex professo inferos esse et iniurias perferre decet, si quidem Magistri uestri uestigijs, atque institutis insistere uultis. Non absimiliter hic quoque per te hoc dictum torquetur, et in sensum peruersum rapitur. Non enim uetat Christus innocentiam suam defendere, famam ac possessionem legum autoritate tueri. Sed a litigandi morbo, animique uirulentia, nos debere esse alienos docet, ut praeoptemus, iniuriam ferre, quam alteri injuriam facere, aut malum malo rependere, uel nimis stricte, et cum dispendio mutuae dilectionis, urgere ius nostrum. Sin uero inuiria sine insigni damno ferri nequeat, aut fama ledatur nostra, et doctrina hinc deformetur, nomen DEJ male audiat; nisi fama nostra uindicetur a criminationibus obtrectatorum: ibi uero integrum est petere coram ordinario magistratu restitutionem famae, restitutionem etiam opum quibus sine grandi incommodo eorum, quorum cura nobis commissa est carere non possumus. Qui enim suis non prouidet finem abnegauit, et est infidelj deterior: Ita nec Apostolus Corinthijs actiones coram Magistratu exprobat sed quod contentiosi sunt, suaque morum uitiositate ansam praebeant Ethnicis Magistratibus contemnendi nomen Christianum. Hoc uult Apostolus, atqui hoc alibi inculcat ut omnis anima obediat; et subiecta sit diuine illi ordinationi. At inquis DEUS per improbos iniuriosos, nos exercet, igitur diuinae uoluntati resistere uidentur, qui his iudicio occurrere conantur; Sed quid audio te uelle nobis labem hanc affingere, quasi nos DEO resistamus, cum malos punire solemus, quippe per quos Deus, suos exercet. Age quaeso nonne etiam, per morbos, nos Deus ipse exercere solet, non tamen prohibet medicinam, qua, huic malo possimus obuiare. Non enim, quia per improbos Deus exercere solet probos impietas est laudanda, nec punienda. Caeterum ubi iudices mihi obiectas, quippe qui saepe deflectant, et nunquam stabilem inoffesumque uitae morumque cursum perpetuo retinent: Miseret me hercle tui qui ne hoc quidem intelligere potest. In iudicio non hominem sed Magistratum spectari, nonne scis eum esse Dej vicarium, quippe qui Deus uocatur, et non quoad homo iudicia exercere solet, sed quoad Dej officium gerit? Cum uero geminam hic personam uides geminum etiam afferre respectum debebas. Neque uel his iudicibus, uel iudicijs, uel diuinae iuris prudentiae, hic abusus, qui hodie in forum irrepsit, imputari debet. Vel per abusum usus tollendus, sic enim et panem, et vinum, imo ipsum solem Coelo tollamus, quippe quo abutuntur plerique. Si tamen aliquis transactionem amicam inire uult, absit ut hoc repudiem, modo ne etiam iudicia damnentur, sed ut hoc donum Dej, praestantissimum, ab omnibus honoretur colaturque. DIXI.

DECLAMATIO SEPTIMA

Thema: Laudatio Belli

Foelix nimiumque foelix ciuitas Auditores ornatissimi, quae tempore belli Pacem et uice uersa pacis de bello cogitat. Cum itaque in his Patriae meae locis Pax taediosa adeo floreat, adeoque uigeat colaturque ut uix aliquis, uel unius quadrantis horae spatium de bello cogitandi curam habeat idque non nisi magna Reipublicae incommodo uidemus namque qualiter uilescant milites aerugine consumantur arma, instrumentaque bellica omnia, ruina pene concidunt arces confiniorum celeberrimae, imo nec miles honoretur, nec iuuentus in armis exerceatur: adeo plane ut uno uerbo ausim affirmare Pacem hanc plus obesse quam prodesse, ut itaque pro uiribus meis ex hac somnolentia, aliquantulum uiros cordatos et prudentes, ad hos namque solum pertinet haec oratio, iam tandem aliquando ad uirtutem bellicam, etiam in pace cogitandandam[!] excitare constitui. Orans obnixe, ut me in hoc graui genere dicendi patienti animo ferant, patulasque aures mihi praebeant, simul et si expectationi suae minus respondero, benigne condonent. Jnitio uero et ante omnia, Bellum ipsum, eiusque dignitatem a calumnijs ignauorum mihi uindicandum esse animaduerto. Vbi in ipso orationis meae limine obuiam uenit ipsius denominationis consideratio, illud igitur Bellum bellum inquam idest pulcellum, bonum iucundum, suaue appellatur, cur enim bellum pulcellumque non sit, cum sit plena iustitia? neminem inficias iturum arbitror ita namque innuit Ambrosius inquiens Fortitudo quae per bella tuetur a barbaris patriam, uel defendit infirmos, uel a latronibus socios plena iustitia est. Et quid culpatur in bello? quidue traducitur, quasi minus bellum pulcrumue? An quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace uicturi? hoc reprehendisse timidorum est non religiosorum. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus feritas rebellandi, libido dominandi, etsi qua similia, haec sunt quae in bellis iure culpantur alia minime culpari possunt. non enim est delictum militare, sed propter praedam militare peccatum est. Nec Rempublicam regere criminiosum est, sed ideo regere Rempublicam, ut diuitias augeas uidetur esse damnabile. Propterea enim quadam prouidentia militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quaeritur praedo grassetur. Certe summa est Belli necessitas, summa etiam utilitas. Quae enim esset confusio Reipublicae, quae depraedatio rei familiaris, quaeue perditio rerum omnium ingrueret, si non Diuinum Martis uexillum prohiberet, hostiumque conatus infringeret. Vnde deinde fit, ut PAX instar famulae herroinae Bellonae succedat. Ideo enim suscipienda sunt bella et ob hanc causam, ut sine iniuria in pace uiuatur. Itaque in Republica, maxime conseruanda eius sunt iura, minimeque omnium contemnenda, uiolanda. Neque id ultimo loco habendum, uilique pendendum est, quod fortunae, cum alias alibique difficilime acquirantur, hic facilime breuissimoque conpendio, sine omni discordia, inuidia damnoque proximi conparentur. Videre enim licet in bellis, quanta unanimitate, charitate, uno inpetu, in hostem irrumpatur, ruatur, pulsoque illo, praeda fideliter, sine longa processuum productione

distribuatur. Quid contra in pace fieri dicemus? Proh Deum hominumque fidem? ex illa ficta iustitia, quae uere plena iniustitia, quot et quales seditiones controuersiae, odia oriuntur? Filio contra Patrem, Fratri contra Sororem, Sorori contra fratrem, Amico contra amicum sub praetexta iuris dissensionis contentionisque latus, et liber campus aperitur, donec tandem litigantium marsupia exhauriuntur. En tibi fructus Pacis egregios, qui profecto minime in Bellis inueniuntur: Sed haec fortassis adhuc pauca, puera dabo, ut Pacis incommoda ita commoda belli. Jllic enim Magistratus abiecta omni cura paterna, Luocurijs inhiant, locculorumque suorum infarcinationi, et sibi potius reique priuatae quam publicae student. Quae nulla, nulla profecto, in bello reperiuntur, quin per illud et Domini a luxuria et subditi ab insolentia, uniuersi uero et singuli, ab ignauia et seditione abducuntur abstinenturque. Habet enim Bellum certos quosdam stimulos quibus degeneres excitat generosos animos honoris cupiditate inflammat. Nam si uspiam ad dignitates, uia aperitur, hic certe patet. Ubi saepe ex statu minimo et quasi ex puluere terrae facilime abiectissimus, in sublimiorem statum euehitur, ex lixa fit miles, ex milite decurio, decurione centurio, centurione Capitaneus superior, ex capitaneatu Princeps, principe Rex, Rege Caesar, et si quid maius Dari potest bello daretur. Inde comparatur nominis laus et gloria nunquam intermoritura. Quaeso enim unde Alexander totius mundi Monarcha factus tantumque nomen apud posteros nactus quam Marte? Quid dicam de Attila primo Hungarorum rege? Quid de ipsis Hungaris? quos nullis plane literis fuisse instructos certo constat. Erant namque gens effera Scitarum e progenie unde quaeso isti, quam marte tantam gloriam et celebritatem per totius orbis partes, sparsam adepti sunt? Ita etiam hodie nulla, nulla paene alia, aut certe non commodior uia, sub Caelo dari potest, ad capessandos assequendosque honores, gloriamque aeternam, quam Mars Diuinus, Bellonaque Heroina suppeditat. Sed age iam uideamus, per utrum Pacem ne ad Martem Reipublicae salus sarta tectaque seruetur, uidebimus profecto Egregios Martis, delicatos uero Pacis propugnatores. Hi enim uel plane, inepti ad arma, uel certe ualde parum apti, cum nullum aliud uitae genus, inuenire possint, cuius sub tutela reliquum uitae genus, honestae transigere quaeant[!], inuenerunt titulo ficto, pictoque tantum, liberalia studia, uel potius vere liberalia desidia. Quid enim aliud hi agant, qui artes has, ut aiunt liberales, sequuntur, quam desidijs student, totiusque diei horas in cominesationibus[?], inuentionibus prauis, alijsque mundi uanitatibus ac delitijs consumunt. Ne autem uideantur, saltem uentrem pascere, interdum disputant, de rebus adeo friuolis adeoque inanibus, ut nisi obscuritate sua, tegere futilitatem possent, etiam stultis sese risui exponerent. Disputant saepe an laligae sint annexae thoraci, an thorax caligis? Caelum si ruat in quam partem ruiturum sit. Et quae me etiam meminisse tedet ne dum referre innumera alia. Quae etiam est amentia quae insania Caeli abscondita seruare, quae stultitia causas iniustas ornare iustitiae pallio. Haec autem omnia quod fiant in Cacademijs uolui dicere Academijs, quis negabit, nisi plane omnium rerum ignarus. Apparet itaque dilucide, nostros hos Literatos, nihil aliud curare, quam ut uitam sine difficultatibus tantum in recreatione sui, in perdendaque sudore aliorum parta pecunia, adeoque ut uno uerbo dicam, sine lege et sine DEO transigere queant. Atque isto quidem modo Rempublicam or-

nant, muniunt, custodiunt et si Dijs placet conseruant. Quid autem Martis fideles sectatores quid hi similiane faciunt? Similia? Toto Caelo erras quisquis haec dicis. Imo diuersissima, perque totum dissimilia. Hi enim noctes diesque sub dio, in laboribus et periculis uitae ob conseruandam Patriam agunt. Panem uix quotidianum sudore laboreue, iuxta Dej mandatum comparant. Contenti sunt stipendijs [i]is secundum illud Johannis Baptistae neque prauis actionibus, alijsue rebus inhonestis indulgent. Hi, hi sunt inquam illi, qui nos ab hostibus nostris custodiunt proteguntque? Non otiosi illi et collatiui uentres. Cedo enim quid hic Grammaticus? ut unum atque alterum stramineorum illorum militum adducam posset? Hic fortassis declinationibus, coniungationibus, constructionibus timorem incuteret hosti, eiusue arma suis deponentibus deponeret? uel si non hic fortassis Rhetor cum sua uersutia fucoque aut Logicus aliquid posset cum suis Sillogismis? aut certe Astrologus, Matematicus, Philosophus? hi inquam depellerent hostem patriamque liberarent, suis circinis spheris, orbibus, globis, alijsve nugamentis. Frustra frustra inaniterque omnes hi suam operam locabunt. Prouoco uenite Chartacei milites ad certamen non fictum aut pictum sed uerum, non ludicrum, sed serium et cruentum. experimini quid vestra literaria instrumenta contra nostra bellica possint. Vbi latitatis? postque correcta uos tenetis. Prodite prodite quoties ad nauseam ad usque ratum cogor uociferarier! Videamus uter nostrum erit felicior. Sed nemo prodit, nemo prodit, nemo prodibit, donec quibus ora blanda praebebunt lupi aut mula pariet. Videtis igitur quam uana sit eorum iactantia, qui plus in literis, quam armis roboris esse, penes se doctos, Reipublicae constituendae, ornandae, tuendaeque rationem positam nugaciter gloriantur. Quantum contra dignitatis iurium atque utilitatis in bello reuera collocatum esse, et rationibus euincatur, et experientia demonstretur. DIXI.

DECLAMATIO OCTAVA

Thema: HOMINIS MISERIA

Socrates Alcibiadem intuitus ob diuitias inflatum et superbientem opibus praedijsque in quendam ciuitatis locum duxit eum, in quo suspensa erat tabula, terrae circuitum complexa. Jussit igitur Alcibiadem Atticam in ea requirere, quam ut inuenit sua etiam praedia inspicere praecipit: Quae cum Alcibiades nusquam esse picta diceret. Cur igitur Socrates inquit: ob illa superbis quae circa nullam terrae partem existunt? Non absimiliter ego etiam homines superbos, personam hanc Alcibiadis induentes in hacque mundi Attica degentes interrogare possem. Cur tantopere superbirent? Cur cristas adeo in altum tollerent, cum suam beatitudinem non minus quam ille in Globo terreno sic hi in suo corpore uitaque ostendere possint. Quo quo oculos uerto nihil aliud, quam anxietates, miserias, dolores, et aerumnas, in homine mihi uidere licet: quae nullam profecto occasionem, superbiendi hominibus, sed potius dolendi, et perpetuo lacrimandi, suppeditant. Quae ut plenius, tum explicare, tum etiam superbiam turgentem confundere possim. Statui de hominum miserrimo statu aliquid agere: Non quod

uos haec ignorare existimem. quilibet enim uestrum ex seipso, id ipsum cognoscere potest. Sed ut eius facultatis in qua uersor, aliquod specimen demonstrem: Et quemadmodum febricitantes, aut alio morbo afflicti, cum astantibus de nulla paene alia re, quam de morbo suo colloquuntur, conquaerunturque: non quod eos delectare aut iuuare ea uoce ualeant; sed quod praesente morbo nullus sit praesentior sermo: Jta etiam ego de obuijs magis quam de ijs quae quenquam delectare possent, uerba facturus sum. Quod ut eo meliorem progressum habeat requiritur, ut studium meum attentione uestra excitetis, attentionem silentio indicetis. Primum itaque omnium considerantibus nobis humanam conditionem nihil aliud sese offert quam miseria. Secundo loco miseria, tertio item miseria: Labor et dolor ubique uidemus. Jngressum uilem, Progressum debilem Egressum flebilem. Haec ipsa ueto nobis altiusculae speculanda sunt. Qui enim quaeso? Qui et quales sumus [...]? Nihil aliud profecto, quem uel nihil, quo nihil tenuius ad massa quam nihil foetidius. Quemadmodum enim lateres, ex luto primam originem ducunt. Sic ex globa terrae nos homines. Ex qua ignobili materia, ut aliquid boni natura procreet longissimam adhibet moram, pericula etiam non contemnenda. Singulari cum attentione considerandum est, nullum animal, uel Siluestre uel domesticum, tam tarde formari, perfici, nasci, quam miserum hominem. Jdque tanta cum matrum gestantium et parentium cruce, tanto fastido, onere, labore, ut ad eorum enumerationem nec tempus, nec uerba sufficiant. Equam si intuearis, ea dum utero grauis est; si opus est iter facit, onera gestat, molu uersat, arat, currit, pugnat, omnique agriculturae officio fungitur. Cum contra hominum matres,onere et labore suo paene opprimantur. Adeo ut ausim affirmare, Equam multo esse beatiorem hoc sexu foemineo.

Hanc uero miseriam quis imponit matri, quam infans in utero existens. Cum autem matribus praegnationis tempore, fastido dolorique sumus, tantum abest ut partum securum vis concedamus, ut non parum ipsis attrahamus periculi; O infamem, o laboriosam, o periculosam hominum conditionem? Animantes enim brutae sine periculo nascuntur? homo uero miser, ipso partus tempore, et sibi, et matri periculum creat. Post[?] tot uero tantaque naturae molimina, et quasi minas prodit eandem abiectissimus terrae filius. Jta ut quis hic dicere possit:

> Parturiunt montes nascetur homuncio Nudus
> Jmbellis flagilis[!] solis uagitibus horrens.

Singulis namque animantibus, tegumenta natura dedit; Ouibus enim lanam Auibus plumas, porcis seta, equis pilos, Vrsis uillos, piscibus squammas, testudini conchas, et inuolucra dedit. Quid multis opus est, nullum animal necessitate astringitur, uel uestem sibi conficiendi, uel alienis se uelandi opibus. Haec uero omnia homo desiderat, qui nascens ne uni eam quidem uestem secum adfert, et si uitae progressu, ueste aliqua uti uult, ab animantibus pelles lanamque petat, in ijsque operam et industriam exerceat, necesse est. Siccine ergo homo animalibus miserior, quem dominum esse decebat, mutuo accipere cogitur, qui dare debebat? O miseram hominum conditionem? Animalia caetera quam primum nas-

cuntur ambulant? homo non modo, non ambulare potest, sed ne sedere quidem, Asinus ruditu, Leo rugitu, Equus hinnitu uoluntatem et necessitatem suam, parentibus declarans. Homo nisi prius magno cum labore loqui didicerit, ne panem quidem et potum nominare potest; Omnia sunt nobis discenda, praeter artem flendi siquidem flentes et nascimur et uiuimus. Si uero iam aetate aliquantulum grandeuusculi[!], morbi cateruatim irruunt, pericula undiquaque instant. Vbi in uniuerso animae suae thesauro, tantum homo non inuenit, ut uel morbis se liberare uel auertere tot pericula possit. Quam in re plurimis bestijs longe inferior mihi uidetur. Legimus auem quandam nemine ibine reperiti ad Nylum, quae morbo obnoxia, rostro aqua hausta aluum purgare solet. Sed quid peregrina cito? nonne ocularis experientia quotidie demonstrat. Canem, Vrsum, Catum, uulnus lingva curare. Solus, solus homo aliorum opera indiget, in curandis languoribus. Pericula uero tantum abest ut effugere sciat, ut eadem potius sciens uolensque temeritate quadam generi suo innata sibi ipsi attrahat. Cum contra caeterae animantes longe sint cautiores, et ad euitanda aduersa ingeniosiores: Non enim uidemus, sponte canem in ignem intrare, non passerem iusto insidere non nisum natare, sciunt namque sibi haec noxia; Jpse manet homo, qui per loca quaeque periculosa, ob adipiscendas diuitias, cum uitae imo et animae periculo summo discurrit. Fit itaque ut homo totam hanc uitam, si modo uita dicenda est, in laboribus, calamitatibus, miserijs, transigere debeat. Quis enim uixit, aut uiuit. Qui non fortunae uices, uariosque casus expertus sit? Nam ut Plato in Phedone ait: Jn hoc mortalium orbe contraria, (et per consequens bonum atque malum) ita sunt iuncta, ut nequeat homo, accipere unum sine altero. Nunquam ait Bernardus, in Honore sine labore, nunquam in sublimitate sine varitate, quis esse potest. Hinc Aristolteles, referente stobaeo interrogatus quid esset homo recte respondit. Jmbecillitatis exemplum, temporis spolium fortunae ludribrium; Jacturae imago, inuidie erutina, reliquum pictata[?] et bilis. Nec male Augustinus, de hac uita, inquiens. Vita haec est uita caeca, uita erumnosa, quam homores[!] tudimant, dolores extuant, ardores exiccant, aera morbidant, escae inflant, jejunia macerant, ioci discoluoluunt, tristitiae consumunt, solicitudo coarctat, securitas habetat, diuitiae iactitant, paupertas deicit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, moeror deprimit: Nihil itaque fugacius seculo rebusque seculi, quam dum tenemus amittimus. Quid igitur est diu uiuere nisi diu torqueri. Omnia sunt umbra, somnia cursus, cursor est uita. Jta ut huc etiam Salamonis exclamatio quadret; Uanitas uanitatum, et omnia uanitas. Sed dicet aliquis haec saltem pertinere ad corpus, non uero animam, quae cum praecipua pars hominis, hisce calamitatibus non sit exposita. Age uideamus etiam eam, utrum nimirum extra aleam miseriae collocari censerique possit. Summa certe prudentia , et mentis sapientia opus est, si uirtus semper exercenda, in nulloque peccandum, aut paucis, raro etiam a uero aberrandum sit. Requiritur omnium rerum causarum circumstantiarum cognitio, acurata circumspectio, futurorum euentuum prouisio, et similia? Sed quis est, qui tantam perfectionem sibi polliceri queat. Jn multis labimur omnes, obscurata est mens nostra, et in spissis uersamur tenebris. Maximum eorum quae scimus, est minimum totum quae ignoramus. Quam varijs erroribus irretimur,

quam saepe in iudicandi aberramus in deliberando pigrescimus. Quis casus omnes memoria tenere? quis euentus quos ius praeuidere potest.

Recte Poeta
O miseri quantum mortalia pectora ecce
Noctis habent?

Quantum est in rebus mane? Jnter caetera mortalitatis incommoda certe maximum est caligo mentium. At uero haec se inuicem tollunt, mens caeca et beatitudo summa. Vt nihil iam sit necesse dicere de uoluntatis corruptione. Quae sic naturaliter corrupta est, ut pronior sit ad uitia, quam uirtutem, et non nisi ex corde id est uoluntate exeunt cogitationes malae Mattheus 15. Hew dolor uix uix me temperare a lacrimis possum, cum id ipsum quod perfectum, et nulla labe coinquinatum esse decebat, sic corruptum, adeoque deprauatum reperio. Homo natus ad laborem et infortunium. Cuncti dies eius doloribus et aerumnis pleni sunt: Jta ut nunquam essequi possimus hac in uita beatitudinem certam. Ut tuteam[!] quod ea quam misera est tam sit breuis atque fugax unde. Theophrastus moriturus accusasse naturam dicitur, quod ceruis cornicibus, uitam diuturnam dedisset; homini uero denegasset; qui si uitam longinquam haberet, futurum esset, ut omnibus perfectis artibus, omnique doctrina, hominum vita erudiretur. O mors quam amara est memoria tui, quam iniqua es, cum nobis hanc horam, sic praeripis intellectum nostrum claudis, et extinguis pro rerum memoria obliuionem inducis. Nihil te est terribilius, nihil crudelius, nimirum quae ad respiciendas hominum caeca ad audiendas praeces surda. Ad omnes mortales, citra ullius exceptionem per mundos inmisericors, atrox, effrons, insana neque bonorum, neque malorum habens rationem aliquam, imo bonos, non raro et uirtute praeditos prius rapiens, quam sceleratissimos et terrae indignissimos. Jdque tam subdole, et insidiose tamque inopinato et miro saepe modo, ut omnium superstitum animi obstupescant. Drussi Pompei, Claudij Caesaris filius, adhuc puer piro ludens iactum in sublime ore excepit, idque alte in guttur descendit, huiusque sceleratissime mortis opera ultimum clausit, miserrime diem. Triste spectalum est cernere quomodo anima e domicilio suo carissimo emigret. Neque sicco ore atque oculis credo quenquam, audire potuisse Hadrianum, animam a se abituram sic alloquentem:

Animula uagula, blandula
Hospes comesque corporis,
Quae nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, undula,
Nec ut soles dabis iocos.

Ex quibus omnibus intelligitur. Hominem nihil aliud esse, quam massam foetidam, saccum stercorum, cibum uermium. Post hominem uermis, post uermem foetor et horror, sic et in hanc speciem uertitur omnis homo. Non itaque adeo superbiendum, cum nulla nobis, ansa superbiendi, sed potius dies noctesque

lugendi, lacrimandique suppeditetur. Equidem quo longius in altum euehor, auditores Ornatissimi, eo mihi amplior et patentior orationis quasi cursus offenditur. Sed et temporis me ratio et uestra singularis sapientia, ut uela contraham, portumque tandem aliquando respiciam monet. Neque enim credibile est, posse aut me, aut quenquam, de humana miseria, melius, aut copiosius quam unumquemque uestrum secum loqui et mihi non tam orationis conquirenda copia est, quam uestra satietas refugienda. Jtaque finem dicendi faciam, si uos prius etiam atque etiam rogauero, ut si forte minus a me ornate ac copiose dictum est, quam et huius loci amplitudo, et summa audientium dignitas postulabat: meum tamen idcirco placendi uobis studium ne improbetis. Ego quidem si non indignus a uobis, qui saepius audiar, iudicer, erit quod mihi magnopere gratuler, sin forte sed reprimam me, neque committam, ut meis ipse uotis uidear male ominari: qui tamen a tot, tam praeclaris uiris, tanta benignitate auditus fuerim, magnum mihi non huius modo laboris, sed totius anteactae uitae fructum, hodierno die uestro singulari beneficio uidear consecutus. DIXI.

DECLAMATIO NONA

Thema: DE PEREGRINATIONIS NECESSITATE

Quemadmodum cohleae semper domum suam circumferunt. Jta quidam horrent peregrinas regiones, maluntque causas natales quotidie incolere, quam aulas Principum, moresque peregrinos perlustrare. Vnde etiam semper post fornaces uentres illi collatiui iacere solent, ibique uix non conputrescunt, et quasi uero esset egregium, lepidum, bellumque factum, sibi de hac uita unice gratulantur.

Felix qui patrijs aeuum transegit in agris
Jpsa domus puerum, quem uidet ipsa senem
Qui baculo nitens, in qua raptauit arena
Vnius numerat secula longa casae

Quam longe uero isti homines a ueritate, adeoque felicitate absint, paucis aperite, et contra de peregrinationis fructibus, iucunditatibus, alijsue commoditatibus, quae non secus ac riuuli, e scaturigine, originem incrementumque ducunt, breuiter disserere constitui. Quod dum facio etiam atque etiam rogo auditores, ut me de re iucunda, balbutientem, patulis auribus audire, et si expectationi minus digna grataque attulero, ueniam aetati, iuuentuti et inexercitationi dare uelint. Nullum profecto credo inficias iturum, si cum Cicerone dicam: Homines ad Deos nulla re proprius accedere, quam salute hominibus danda nihil enim tam Regium, tam liberale, tamque munificum, quam opem ferre supplicibus, iuuare afflictos, et calamitosos; liberare periculis pressos. Nihil hac uirtute est laudabilius, ni-

hil magno et praeclaro uiro dignius. Omnibus enim est odio crudelitas, et amori pietas, ac humanitas. Hanc uero quis' acquiret, quis induet nisi miserias, multas pertullerit[!], orasque peregrinas peragrauit. Quemadmodum enim apud matercula, semper haerentes; sunt inhumane atque morosi, ita qui peregrinati sunt aliquando, quia non ignari mali miseris succurrere didicerunt et dum recordantur suorum aduersitatum, facilius etiam aliorum calamitate monentur, ijsque laborantibus succurrunt. Neque haec solum uirtus, sed omnes reliquae in peregrinatione tanquam ambulatoria schola discuntur. Alienis enim moribus et institutis perspectis, meliores redduntur homines. Et qui peregrinantur, alijs sese accomodare coguntur et cauere, ne quorum opera indigent, eos offendant. Moderatio ibi discitur et frugalitas, quia itineribus saepe offa, et torus herbacens[!], famis ac laboris medelae sunt: ut Democritus cuidam percontanti, quid prodesset peregrinatio respondit. Quin his omissis: Nonne est certum nullam mille aliam uiam, uel certe non commodiorem inueniri ad capessandam rempublicam, legumque lationem quam per gentium morumque uariorum perlustrationem. Ibi enim uidere licet, quaenam reipublicae forma, quibus hominibus conueniat, quae sint consilia, consuetudines, ingeniaque hominum. Neque usum solum magnum, sed etiam delectationem habet hoc incredibilem idque tum durante profectionis cursu, tum etiam absoluto. Ah quanta quanta est illa iucunditas, cum quis, annum, duos, tres etiam absens Patria, uariarum ciuitatum constitutiones, ritus fortalitia, miras inuentiones, quae uix in mentem alicui uenire possunt perscrutatus, his omnibus perspectis in patriam deinde redit, haec talia Parentibus, amicis, consanguineis reffert[!]. Ibi uideres audiresque ridentes, exclamantes prae gaudio, reuersum esse iam tandem dudum expectatum, idque cum fructu, non contemnendo. Pendetur ab ore illius et ristissimae etiam aduersitates, auidissima laetitia, percipiuntur, repetunturque. Omnia enim etiam ardua atque aspera expertu sunt delectabilia et iucunda cognitu. Cum uero illi, ex auditu saltem percipiant laetitiam quid existimas illum facturum, qui non audit saltem , sed iam uidit, tantaque pericula superauit.

Recte Poeta

Segnius irritant animos demissa per aurem
Quam quae sunt oculis, commissa fidelibus

Jucunda certe et grata, quae propter sensum, aut presentia sunt, aut propter recordationem praeterita, aut propter spem futura, quae omnia in peregrinationibus inueniuntur. Jmo etiam certiora existunt, quae uidentur, quam quae audiuntur, quia non ex aliorum fide et autoritate, sed inspectione propria pendet. Omnium uero maxima utilitas peregrinationis, est eruditio, quae ex conuersatione cum doctis, contingere solet, quod enim alij labore maximo, lectionibus plurimis alijsue cum difficultatibus essequuntur. Jd omne breui tempore cum summa iucunditate quasi lusu et ioco peregrinans adipiscitur. Et quam iucunda est tam etiam est utilis conuersatio cum doctis. Nulla enim res est, quae magis animos honestos imbuit, dubios et in praua declinantes, ad rectam reuocat uiam, quam

honorum et doctorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, et uim praecepti obtinet, frequenter audiri et aspici. Non paruum etiam iuuat, uel solus occursus sapientum et est aliquid quod ex magno uiro, uel tacente proficias. Quibus etiam perpensis, non absque causa plurimi doctissimi uiri. Peregrinationi studuerunt, ex uarijsque ingenijs, non secus ac apes, ex uarijs floribus mella eruditionem et prudentiam tam celebrem collegerunt. Quid enim existimas, hos cum doctissimi fuerint, si animaduertissent, minus esse necessariam, aut utilem peregrinationem facturos? nonne stulti iudicarentur, si nihilominus eam amplexi fuissent. Videmus autem Platonem in Jtaliam ad Pythagoraeos, in Aegyptum ad Sacerdotes, ad aliosque esse profectum. Xenocratem, Craterem, Possidonium innumerabilesque alios perpetuo esse peregrinatos. Quid dicam de Alexandro Magno, ille maiorem mundi partem ob hanc causam maxime peregrinauit, ut ea perdisceret, quae ad optimam Regis disciplinam pertinerent. Cum itaque auditores spectatissimi tanta utilitas, simul et iucunditas, ex peregrinatione promanet; quod ipsum tot tantique uiri doctissimi, suo proprio exemplo demonstrant. Age studeamus ei, eam iuuentuti inculcemus, ne desidiam omnium malorum originem amplectantur. DIXI.

DECLAMATIO X.

Thema: Quid animi Abrahamo fuerit, et quid dicere potuerit, cum filium mactare iuberetur.

O dolor, o fata! quae uox ista, quod tam dirum fulmen, quis sonus tam horribilis aures imo animum meum intimum percellit. Heu maius est praesens malum atque atrocius quam ut admittat consolationem, non uoce conpellari sed lapidibus, ictibusque grauissimis feriri uideor, proh infortunium meum, inopinatum, crudele horrendum? Vt stabile nil est, non licet confidere, confidere inquam non licet successibus. Saeuire in cor proprium in uiscera in animum iubeor, heu miser Pater in filium; idque Deo iubente Deo fortissimo, Deo omnipotentissimo, Deo creatore, fabricatoreque Coeli ac terrae, cuius nec oculos perspicacissimos subterfugere possum nec manus longissimas effugere. Qui hactenus tanto me est prosecutus amore ut non secus ac amicus cum amico mecum uixerit familiarissimeque conuersatus fuerit, qui nec casam, nec mensam meam spreuit; sed in conuium ad me diuertere, lacte butiro, pane et uitulo meo uesci non dedignatus est. Qui se mihi etiam socium in militia, adiutorem in reidomesticae ferenda molestia semper adiunxit, qui mei gratia si uel 10 Sodomae et Gomorhae inuenti fuissent iusti, toti illi regioni parsurus erat, ueniamque daturus, qui filium mihi decrepito, uxorique longissimo senio confectae et promisit et dedit, qui mihi seminique meo terram Canaan possidendam spopondit, et quod omnium maximum, me patrem omnium fidelium benedictarum benedicendarumque gentium constituit. O immensam illius in me puluerem, in me cinerem, in me glebam terrae declaratam clementiam benignitatem ac humilitatem; fateor, fateor minorem me esse omnibus miserationibus tantis Jehouae. Sed haec proh dolor olim fuere: olim

Deum habui clementem, fauentem, amicum. Quis iam ille hodie? Ah quantum quantum mutatus ab illo, quin imo plane contrarius, plane aduersus auersusque est: Loco amicabilis conuersationis, en diro me tangit, fulmine non uerbis me conpellat, sed lapidibus uerberat grauissimis. Qui antea per quam affabilis, modo est horribilis, qui antea apparuit mihi ad conuium, hic iam me inuitat ad parricidium, quem spontanea donatione mihi obtulerat filium eum iam mirum miserandum in modum auferre uult: in quo posteritati longae et inenumerabili benedicere constituit, hunc me interficere iubet. O mutatam plane illius in me benignitatem. O horam in faustam[!] et infelicem: O uocem meris gladijs atque ensibus, pectus hoc meum petentem, meris flammis, hunc animum ustulantem. Abrahame cuius ego protector sum, quem ex domo idolatrica huc eduxi, in itinere ab omnibus periculis tuum immunemque praestiti, cuius uxorem e manu Abimelechi eripui per quem quatuor Reges superbissimos parua manu fudi fagauique, tu inquam Abrahame. Tolle FILIVM TOLLE. Egone tollam quem seruandum dedisti? Tollamne tuum Auum, atque adeo multarum gentium benedictionem; Scis te promisisse et foedere etiam sanxisse, fore te et meum semper clementem, et mei seminis eiusque copiosissimi Deum, minime minime poteris negare. Haec uero et benedictionem in semine hoc promissam hacce ego eripiam dextra? Quid quaeso ista mandas Domine? Egone interficiam filium a quo me sepultum iri arbitraturus sum? Jtane futurus sum Pater multarum gentium, cui non conceditur ut unius filij sim Pater? Sanguine filij iubes foedare manus, et me Patrem filij fieri carnificem. Siccine obliuisci me patrem esse oportet? exuere omnes, non dicam paternos, sed et humanos affectus? Hominem insontem et iustum occidere quam crudele et nefarium est, etsi nulla sit peculiari ratione tibi coniunctus. Quanto crudelius et intolerabilius, quod non ignotum sed notum, non alienum, sed domesticum, non seruum, non propinquum, non inimicum, sed filium, non Jsmaelem sed Jsacum, Jsacum me, meum mactare iubes, Jsacum filium carissimum dulcissimum, dotibus animi et corporis elegantissimum mihi in omnibus semper uel ad nutum saltem obedientissimum, obsequentissimum, baculum senectutis meae, et dulce solatium, unicum haeredem, nominis decus; Hunc sano et sedato animo trucidare tam atrox certe facinus est, ut omnes naturae cum humanae tum paternae uires superet. Tragica certe commiseratione et terrore hic omnia plena sunt. Sed quid iam agam profecto nescio? celanda ne est hac de re uxor, cuius aeque ut meus est Jsacus? Quid agam quo me uertam ignoro? Ah Sara, Sara, non dubito quin mens praesaga hoc tibi infortunij dictitet. Quod si praesens uidreres, audires, quam te torqueres, quibus eiulatibus, clamoribus, singultibus, lachrimis, mandatum hoc inhibere studeres. Sed celanda, totum hoc erit, ne me a Deo auertas neue affectibus maternis, totum hoc negotium ante uertas citra tuam conscientiam totum hoc negotium expedietur, timeo namque ne similiter ut Adamus per Euam, sic ego per te seducar, nam:

An poterit curam charae deponere prolis
Vlla parens partum non miserata suum?

Scio nihilominus te post resciturum, animumque et uitam moerore acerbissimo confecturam breui filium mortuum esse insecuturam. Jta ego conscientiae meae et filij et Uxoris, uno die sum futurus parricida. Jsace, Jsace, quam ingenti animi desiderio, te singulari Dei gratia promissum exoptaui, postquam natus es in id totus incubui, ut pio modestoque filio uirili aetate adueniente, haereditatem committerem. Sed aliter aliter ut uideo futurum est, Deus namque qui ad tempus te mihi commiserat, is inquam te iam reposcit. Loco haereditatis, et beneficiorum paternorum en statim hoc gladio caput dulcissimum a tam caro corpusculo. Vix eloqui possum quod nec animus humanus nedum pectus paternum capit? Et quid uicini? quid noti omnes, conatique his perceptis, dicturi sunt? non in me solum, sed in Deum ipsum, dira omnia, execrationesque horrendae euomentur; in me quod inepta, stulta, stolida, credulitate et superstitione obediuerim; in Deum quod Saturnum et crudelem homicidam se esse ostenderit. Jn tantis positus angustijs dubijs, quid nunc agam, quo me uertam? Dej ne mei contumax iussa abnuam? Jn me ne concitabo Dej iram miser? Certum est iussa exequi: parebo mandatis, ille uideat ut seruet promissum: iacturam minorem quam ille et tantum filij facio, ille ueritatis si fallit, sed uerax est, fallere non potest, seruabit igitur promissum Ego fidem et obedientiam. Agite ergo paterni affectus abite recedite et cedite procul: cedat metus, cedat timor, miseratio cedat. Parentibusque natura insitus amor exeat. Mandatum Jehouae nullus affectus turbet, nulla ratio impediat? Mactabo filium, Dej haec est uoluntas, quae uoluntate Dej accidunt ea homines aequo pati decet animo. Faciam Domine uoluntatem tuam, tu uideas de promisso. Omnipotens es, Creator et recreator omnium rerum. Poteris mihi etiam ex lapidibus aut hunc reddere, aut alium procreare. Jn hanc spem contra spem credam, Domine ut uis ita fiat. DIXI.

DECLAMATIO XI.

Thema: Monarchiae pre reliquis reipublicae formis assertio

Accidit quondam, ut coniurarent membra omnia humani corporis contra uentriculum, eumque incusarent quasi nihil laborando aliorum sudore parta deuoraret, et saltem delicijs studeret. Deliberata tandem re conclusum est ut uentriculo subtrahatur cibus, Jejuniumque indicetur. Quid fit? Venter non habens alimentum sensim deficit, uiresque membrorum (quae etiam suum alimentum inde habere solent) languescunt donec tandem suo malo doctae mutant consilium, suumque uentri cibum restituunt; unde cum illo uires pristinas recolegerunt[!]. Non absimiliter, minusque fatue agunt, qui dignitatem illam nescio an honestam magis, an uero onustam: Regibus inuidentes, Principatum Monarchiamque damnare consueuerunt, quasi otiosa tirannis potius, quam Principatus negotiosus esset nominandus habendas habendusque interim. (O summa fatuitas) non intelligunt deficiente hoc uno Principe, multos regno inhiaturos, et tanquam absente pastore, lupos in gregem esse inuolaturos, illumque misere laniaturos. Quos ut confundere possim, et contra auditoribus spectatissimis, utilitates ex uni-

us Jmperio resultantes ostendere, statui de Monarchia breuiter disserere. Auditores autem humanissimos rogatos uelim, ut uoluntati meae attentione sua calcar addere non dedignentur. Jn quemcumque et in quoscumque Autores, Historicos, aut Politicos oculos conuertamus, quaecumque tandem Scripta, uoluamus reuoluamus, nullum alium Reipublicae statum laudari extollique, quam Monarchiam inueniemus. Testes mihi hac in re Plato, Aristoteles, S. Curtius, Homerus et sexcenti alij qui uno quasi ore et calamo omnes hunc statum ad Coelos usque extollunt, laudibusque euehunt. Qui quales, et quanti fuerint, quid multis opus est, cum ipsorum laudes, quotidie ubique praecipue ueto ubi liberalia, et ab humanitate non remota ingeni florent, plenis buccis decantari audiamus. His autem omnibus relictis, quid Scriptura Sacra, quae iudex et uelut Lydius lapis omnium controuersiarum, quid inquam illa? Legem regiam in Deuteronomio iubet et imperandi formam praescribit. Quin Regem etiam constituit, eique subditos obtemperare praecipit. Neque sine causa ita sentit, statuitque. Omnium enim antiquissima et prima Reipublicae: illa forma est. Homines enim primi et origini suae id est Deo proximi malis artibus fraudibusque nondum corrupti censendi certe hi sunt optima elegisse, elegerunt autem Principatum. Jn familijs, quod primum imperium, unus fuit Plures deinde familiae cognationibus iunctae; Vnum habuerunt; E ter[?] istis societates conuentus oppida, Vnum, A condito orbe, ad diluuium, moderatum in familijs, Jmperium fuit, A Diluuio, Nimrodus Noachi pronepos, imperium in Assiria, et finitimis habuit. Jta ab initio mundi, unius Jmperium, Monarchia primum locum in gubernatione optinui[!]. Si enim 4. 5. 6 10. aut etiam plures gubernationem habuissent, quomodo quaeso his, cum praesertim, sint plerique homines, natura diuersa constituti quomodo inquam subditi, et ipsorum moderationi concrediti, singulis singula mandantibus, idque nimis pugnantia obtemperare potuissent? et utilius est, unum excellentem, quam plures ignobiliores, uirtute et prudentia obscuriores, Jmperij clauum sustinere. Vtique certe Homeri pronunciatu: Vk agathon polykoeraine heis koeranos esto. Praesertim cum uirtus unita fortior sit ea, quae est dissipata. Quomodo autem potest esse unita, quando uarijs contrarijsque ingenijs, respublica committitur unus hoc aliter aliud planeque diuersum, et suadet, et in effectum deducere studet. Neglectis interim, quae magis necessaria, adque Emolumentum Reipublicae proprius pertinere sapientibus uidebantur. Neque etiam tanta cura et diligentia, rebus incumbun. Nam Segnius expediunt commissa negotia plures. Contra cum unius curae committitur rerum summa, ille diligentius curat: scit enim sibi uni omnia incumbere. Vnde deinde fit, ut in omnibus negotijs, consilijs, actionibus, sententijsque dicendis, bellis gerendis omnibus tandem rebus tractandis, plus experientiae nanciscatur illis, pluribus, qui cum Republica annuatim mutari solent, prius enim ij ad priuatam uitam redeunt, quam publicam, recte cognoscant rerumque experientiam nanciscantur, et uel primis labris degustent. Praeteribo nunc quod ob domum oculos cottidie uersatur. Videmus in alijs Rebuspublicis ubi Aristocratia uel Democratia obtinuit, quam sit status ille infirmus, fragilis, labilis cum enim sub potestate, ipsi etiam optimates et Demarchae sint, quomodo in alios potestatem, satis ualidam gerere poterunt? Atque ita imperandi autoritas et potestas exiguis cancellis circumscribetur, cum in multos quasi riuos diffusa et dispersa sit. Praeteribo etiam

dicere, quae discordiae, dissersiones, seditiones, sub confusis istis formis oriantur, donec tandem, ad Monarchiam redeatur tanquam ad optimam, tutissimam, rectissimamque formam. Quemadmodum enim mundus ab uno regitur, unus sol diei, una Luna nocti praeest, unus nauclerus naui. Jta etiam in Republica unius Imperium requiritur. Nam si plures appareant Soles prodigium est, ita si plures uno gubernationem habeant, monstri instar, et periculum ingens est. Videre licet Monarchiam etiam in ammantibus in quibus natura commenta est Regem, Apes uno regi suo cubile amplissimum, idque in loco medio tutissimoque ponunt. Armenta precedit Taurus, Elephantorum gregem, unus excelsissimus ducit. Aues Aquilam regem unum, Grues unum, Oues hircum unum sequuntur. Quae animalia etsi irrationalia tamen et hominum gentes plurimae, ac praestentissima Regna exemplo suo sequebantur olim, et hodie sequuntur. Romam iam a longo tempore unius Jmperio subiacent. Galli iam a uarramundo Reges habent. Angli adhuc a Brittone, Poloni a Lecho, Bohemi a Checho, Hungari ab Attila, Dani a Dano, unde etiam nomen suum usurparunt; hi omnes inquam, a longis iam seculis, Monarchiam, habere consueuerunt, quin et innumerabiles aliae gentes. Vnde nullus dubito, nec uos dubitare existimo, quin Monarchia ab eruditissimis omnibus laudata tamque profunda antiquitate sua commendatissima omnium facillima, utilissima, usitatissima, et ut uno uerbo dicam optima. Prae reliquis confusis, atque diffusis, infirmis, instabilius, et ipsi rerum naturae contrarijs regnandi modis, laudem et palmam, mereatur nullis obtrectationis, aut inuidiae iniurijs eripiendam. DIXI.

DECLAMATIO XII.

Thema: Adhortatio militum ad strenuam cum hoste dimicationem.

Si nos cum ignauis et ijs, qui qualemcumque uitam honestae morti praeferunt fortuna uinxisset, tacerem potius, quam uerba inaniter consumerem. Sed cum iam in aperto sit quos qualesque hic habeam non dubito quin generosis uestris, et ad uirtutem, atque fortitudinem assuefactis, animis uerba mea accepturi sitis. Videtis milites, uidetis inquam, quomodo et qualiter hostis debacchentur in nos, in patriam, imo in Sacra ipsa nec sexui, nec aetati parcentes. Haec me res ad id impulit, ut armis accinctus hic in aprico campoque apperto Deo ipso iudice arma capiam, et palam dimicare fortiter aggrediar, utque uos idem mecum strenue faciatis, autor sim. Agite nunc igitur, uiri fortes, quorum uirtutem hodierna uictoria palam profitebitur. Agite inquam, exerite[?] uires uestras animum in altum tollite arma in hostes dirrigite, tormenta bellica promouete, strictis gladijs in hostem fortiter irruite. Hoc namque nos facere Patriae pericula impendentia et summa necessitas iubent. Grauis certe est casus e libera Patria, in seruitutem, e seruitute in captiuitatem e captiuitate, ad tormenta, a tormentis in mortem, mortem autem ignominiosam pertrahi. Ut taceam iacturam Relligionis, qua semel amissa postea nulli, uel certe ualde miseri futuri sumus. Omnium enim maximum Deum ipsum, cultusque eius amittere. Quin imo uirtus quoque uestra

quae hactenus instar syderum resplendebat, caligine ignominiae obscurabitur, aut plane extinguetur. Quae omnia certe futura sunt in forti animo prouinciam susceptam semel peragemus fortiter, audacter, et uiriliter. Quid dicam o Milites, de Vxoribus liberis cognatisque, quos isti canes, partim lanienae, et perpetuis malis, partim etiam impudicis atque horrendis facinoribus destimarunt. O Charissima Patria, quantam, quantam acceptura es cladem, quantam passura deuastationem agrorum, populationem urbium, demolitionem confiniorum et munitionum incolarum exhaustionem, certe ignis est uel totam te consumet, uel inutilem saltem relinquet. Si? Sed aliter tamen futurum certum est. Aliter et meliora ominabor, alia de uestra uirtute mihi promittam. Jlla satis efficacia sunt milites fortissimi, atque bellicosissimi, quae uos maxime mouere debeant, quae priusquam perferamus omnes uel ad unum moriamur, et cruentam hosti relinquamus uictoriam, uel hoste fugato uictores, Gloria aeterna patiamur et laeta omnia, loco exantlatorum malorum percipiamus, Praeclarum copia onerati atque onusti tandem feliciter triumphantes redeamus. Quae omnia, omnia nobis contingere facilique labore acquiri possunt. Cum praesertim Deum ipsum fautorem, propugnatoremque habeamus, cuius etiam res agitur, et pro cuius gloria Sacram militiam amplexi sumus, hic certe iuxta promissum suum praesens aderit, confundentur hostes statim, quam primum Deum propugnatorem nos habere perspexerint, perspicient autem, et animaduertent, si fortiter pugnauerimus audacterque dimicauerimus. Et perpendite quaeso qui sint quibus cum res agitur, esse minati prorsus, timidi uel ipsae foeminae, nos contra milites ueteram, etsi pauciores attamen fortiores, illi quidem auro argentoque splendent. Sed hoc ipsissima est preda. Nos ferro armisque replendemus hinnitu equorum, et strepitu Machinarum clangore timpanum et tubarum terrorem foeminis hisce incutimus, Jniustam causam certe illi, nos iustissimam causam propugnamus, et deffendimus, pro Aris et focis gloriaque aeterna dimicare constituimus, illi cupiditate dominandi, belligerare contendunt. Jte nunc, ite milites fortissimi, agite, agite per Deum obtestor per dulcedinem Patriae, per Sacra pignora, per amorem Uxorum, liberorum cognatorum fortiter me ducem sequemini, et una mecum uictoriam, libertatem, gloriam aeternam capessite. Non recuso quo minus irritemini me, siue fortitudinis exemplum siue ignauiae fuero. DIXI.

DECLAMATIO XIII.

Thema: Comparatio ueris cum Juuentute.

Soluitur acris hiems grata uice ueris et fauoui[!]
Trahuntque siccas machinae carinas.
Ac neque iam stabulis gaudere pecus, aut arator igni.
Nec prata canis albicant pruinis
Dum iam flagrantis aestus auget Sirij
Titan, Leonis terga Nemaei praemens

Aterque puro lenis afflatu fouet
Anhela gressu pectora, et Zephyri leues
Hinc inde perflant

Liceat mihi auditores Poetae uerbis suauissimis, suauissimo hoc iucundissimo tempore uti. Quo etiam, ne a temporis ratione abirem, statui uer ipsum in materiam orationis habendae assumere, quo praesertim, praesente, nullus est praesentior magisque ad rem accomodatior sermo, quod ut minus nude pertractari queat, ueris comparationem cum iuuentute, pertractare breuiter, dilucide, atque perspicue proposui. Rogatos atque admonitos itaque uelim auditores, ut materiam iucundam pro tempore accomodatam a humanitate non alienam, uaciuis auribus, absque omni taedio, audire non dedignentur. Tractaturis itaque nobis comparationem hanc non abs re fore arbitror si prius ipsam iucunditatem veris pensitauerimus, ut ita magis similitudo pertractanda elucere queat. Primum itaque omnium non meis utar uerbis, sed potius Poetarum testimonijs, non quod mihi uerba desint, sed quod singulae illorum literae ponderis instar ualeant, adeoque plurimum autoritatis habeant. Nam qui quales quantique fuerint, sint, habendique sunt, sat testatur Cicero ubi inquit. Eos Deorum genus esse. Et in quorum numero, ut primus ratione eruditionis, et concentu uersuum habendus Virgilius, hic etiam primum obtinebit merito locum 15 secundo Georgi inquit:

Ver adeo frondi nemori, uer utile siluis <ue>
Vere tument terrae et genitalia semina poscunt,
Tum Pater omnipotens foecundis imbribus aether
Coniugis in gremium laetae descendit, et omnes
Magnus alit magno coniunctus corpore foetus
Auia tum resonant auibus, uirgulta canoris,
Et uentrem certis repetunt armenta diebus
Parturit almus ager Zephirique tepentibus auris
Laxant arua sinus superat tener omnibus humor
Jnque nouos soles audent se gramina tuto.

AMEN.

OSZK: Quart. Lat. 3075.

IV. EGYETEMI STATÚTUMOK, WITTENBERGI BESZÉDEK

A WITTENBERGI EGYETEM STATÚTUMAI

1. A védőszentekről és a gimnázium egységéről
2. A reformátorokról és díjazásukról
3. A gimnázium szenátorairól és esküformájukról
4. A szenátus összehívásáról és a határozathozatalról
5. Arról, hogy kik és hogyan választhatók rektornak
6. A rektor feladatáról és fizetéséről
7. Az egyetemi pénztárról
8. A méltóságok és egyéb jótétemények adományozásáról
9. Az ülésrendről
10. A hálaadásról
11. A közeseményekre való meghívásról
12. A vizsgadíjakról és elosztásukról
13. Az egyetemi misékről
14. Az iskolások temetéséről
15. Az egyetemi statútumok felolvasásáról
16. A beíratkozásról
17. A kollégiumok meglátogatásáról
18. Az előadásokról és a mulasztások büntetéséről
19. A béke megőrzéséről
20. A tanulók életviteléről
21. Arról, hogy kocsmák és kerthelyiségek nem látogathatók
22. A becsmérlő könyvekről
23. Az esküszegésről
24. A börtönről és az engedetlenekről
25. Az illetékes bíróságról
26. Az iskolaszolgák kötelessége és díjazása
27. A vizsgáról
28. A szünetekről
29. Arról, hogy az adományozott jogokkal ne történjen visszaélés

A Thurzó-anyagban fönnmaradt, itt következő másolat nem teljes, az aláíró rektor –, nyilván nem véletlenül – éppen az ő hivatalára vonatkozó fejezeteket hagyta ki (ezeket a jegyzetekben közöljük).

STATUTA VNIUERSITATIS WITTEBERGENSIS.

DEI GRATIA FRIDERICUS DUX SAXONIAE, Sacri Romani Imperij praefectus praetorio, Elector, nec non Caesareae Maiestatis locumtenens generalis, Landtgravius Turingiae, Marchio Misniae etc.

RECTORI MAGISTRIS ET DOCTORIBUS, Vniuersitatis Witebergensis Nostram Gratiam.

Gimnasium nostrum literatorium quod pridem ad Laudem Dei Optimi Maximi ad Clericorum[?] augmentum, et communem studiosorum utilitatem, Approbante Julio II. Pontifice Maximo et Maximiliano Imperatore instituimus, ita instituimus, ut cupiamus et toto animo optemus fore perpetuum et celebre famigeratum, ut qui id tanquam ad mercaturam ingenuarum disciplinarum accesserit, se suavissimis moribus, et quae sine illis male discuntur optimis literis imbutos gloriari, et sic rebus divinis et publicis in partibus sibi credendis commodius praeesse possint. Ut et nos cum nostris fidelibus et circum jacentibus populis, ad id tanquam oraculum aliquod in rebus arduis tuto confugere, et sic ut dubij et incerti accedere, ita firmissimi certissimique accepto responso redire valeamus.

Ut ita deo autore subditos nostros regere, augere, et unicuique quod suum est tribuere facile contingat. Verum didicimus sine ordine cuncta titubare, sine legibus nullam Rempublicam esse diuternam, leges muros esse ac fundamenta universitatum: Unde sapientum nostrorum communicato consilio, quae ad statum nostrum pertinere arbitrati sumus, diligenter ordinavimus. Et quibus vos vivere volumus leges accurate conscripsimus. Cum autem magis timerj solet quod specialiter, quam quod <specialiter> in genere praecipitur, in calce subjecta sunt cuiusque collegij instituta propria. Quae omnia ad vos transmittimus.

Non ut aranearum telas, quae infirmiora animalia tantum prendunt, a majoribus autem perforantur, ut saltem scholasticos custodire curetis, vos autem pro libitu transgrediaminj, Neve vobis usu veniat, quod Atheniensibus, quos quondam dixisse ferunt, scire quidem quae recta essent, sed facere nolle, unde vobis has leges nostras non modo sciatis, verum etiam exactissima diligentia observetis. Sub indignatione nostra etiam atque etiam praecipimus, et nihilominus quemque vestrum ad iterum observantiam jure jurando astringimus. Quod si qua iure (ut quotidie novi casus emergunt) dubitaveritis, constituimus vobis Rectorem pro tempore Henningum Goede praepositum Petrum Lupinum, Wolffgangum Stehelin, devotos nostros Magistros et doctores in quatuor studij generales reformatores, quos ideo sic appellamus, ut studium nostrum diligenter reforment, quatinus prae caeteris sit illustre atque famigeratum. Quibus vices nostras delegamus, et autoritatem nostram damus, statuta interpretandj, corrigendj, diminuendj, addendj, Itaque si quid absque eorum decreto per aliquos statutum fuerit, hoc ipso factum nullum esse decernimus. unde ad illos recurrite, illos consulite et in omnibus loco nostri morem gerite. In hunc maxime modum nobis grati eritis, debitisque occasionem, (ut huc usque singulari cum effectione fecimus,) nos et quemque Vestrum omni gratia prosequendi, fovendique. Interea vivite felices.

Datum in civitate nostra Electorali Witeberga, sub Annulo nostro Signatorio Calendis Octobris Anno a reconciliata gratia octavo super Millesimum quingentesimumque.

DE DIJS TUTELARIBUS ET VNIONE GYMNASIJ NOSTRI WITEBERGENSIS

CAPUT PRIMUM

Gentium ille Doctor Divus Paulus (quod vos electionis Christianae appellamus) monet nos, ut quaecunque faciamus in verbo aut opere in nomine domini nostri Jesu Christi faciamus, gratias domino agentes in quo vivimus, movemur et sumus, quod universa bene et competenter geruntur, si principium sit decens et amabile. Proptereaque ubi Christus non est fundamentum ibi nullius boni operis superest aedificium. Unde Gymnasium nostrum Witebergense quod ut praedximus ad gloriam Dei Optimi Maximi instituimus, ipsi Deo devovemus, et intemeratae eius matri Mariae Virgini, in cuius honore nullo unquam Sabatho regulariter legi volumus. Peculiarem vero patronum et tutelarem Deum universo nostro Gymnasio eligimus et deputamus Aurelium Augustinum, et in specie facultatj theologicae Divum Paulum: Judificae Junonem, Medicae Cosmam et Damianum Artisticae Catharinam: volentes ut illorum festivitates universitas colat, honoret, et solenniter peragat, quatenus apud summum Deum pro suorum devotorum incremento et prosperitate intercedant. Hoc jacto fundamento statuimus imprimis et ordinamus universitatem nostram Witebergensem esse unum corpus unitum, penitus individum, inseparabile idque constare ex collegio seu facultate Theologorum, jureconsultorum Medicorum et Artistarum a quibus universi studiosi nostro praesidio cunctas suas lectiones gratis habeant, et sine ullo pretio. Caput sit Rector, collegiorum seu facultatum Decani seu Priores, nationum partiales divisiones, aut aliquorum conventicula, quas ipsi appellant sanctorum solennitates prorsus submovemus prohibemusque. [...] Vias scholasticorum doctorum absque differentia erigimus.

DE STUDIJ REFORMATORIBUS ET SALARIO EORUNDEM.

CAPUT SECUNDUM

Instituimus etiam quatuor generales studij reformatores, Rectorem scilicet pro tempore, et tres alios vobis per nos denominandos, quibus vices nostras delegamus, et damus omnimodam supremam et absolutam potestatem, universitatem gubernandi, statuta commutandj, ad eos liberum esse ab universitate provocandj. Eorum officium esto invigilare Reipublicae literariae, ut cuncta sincere et ordinatim procedant. Prospicere discordijs professorum salariatis pecuniam dare, et negligentibus retinere. Pecuniam fisci seu universitatis pro arbitrio in

Rempublicam convertere, Professoribus stipendia decernere, et Electis Rectore et Decanis statim rationem exigere, quae pro habitationibus collegiorum debentur recipere. Curare ut ante omnia statuta serventur, et diligenter legatur. Ne quis salariatorum se absque eorum consensu per triduum absentet. Ne quis quicquam edat, hoc est formis excudendum tradat, aut aliquam intimationem faciat. Ne quis publice gratias agat, aut orationem habeat seu principium, nisi illi <semper> prius legerint et approbaverint, semper sub poena per eos dictanda, sive sit exclusionis seu privationis salarij. Dare operam ut nemo nos moleste interpellet absque testimonio, ne alter alterum convicijs lacessat, Injuriam inferat, aut aliqua contumelia efficiat, ut singuli suo ordine sedeant incedantque. Prospicere quieti civium ut domus eorum noctu non turbentur, et tutum sit in plateis ambulare, discutere an quis recte impeditus fuerit, aut sit promoventus, collegijs de conventoribus providere, qui morum gravitate polleant, Referre in rationarium universitate omnes promotos, adijciendo diem et annum, et si quae sint similia. eorum enim imperium adinstar[!] dictaturae in Gymnasio nostro volumus esse summum et amplissimum, et ut ita loquamur merum et mixtum, ac si ipsi adessemus praesentes.

Et quod eorum industriae confidimus, nolumus eis fas esse suam autoritatem subdelegandam. Poterunt enim tres absque quarto absente, et duo absque duobus absentibus, vel legitime impeditis in his duntaxat[!], quae moram pati nequeunt justitia mediante procedere. Unus autem sine reliquis nihil possit omnino. Et praeter dignitatem quam eis damus amplissimam, nomine salarij constituimus, ut singulis annis pro salute nostra, et universitatis incremento Theologis unum in sententiarum, alterum in Biblicum, Jureconsultis duos in jure, Medicis unum, Artistis quatuor, pauperes Baccalaureos promouendos possint nominare et praesentare legitime. habeant praeterea conferre lectiones universitatis, et de illis libere disponere habeant (excepto Rectore cui alias providimus, pecuniam a locandis exigendam, et poenas negligentium lectorum et auditorum.

DE SENATORIBUS GYMNASIJ ET eorum jurejurando.

CAPUT III.

Senatores Gymnasiastici sint ipse Rector, Magistri Theologiae omnes, tam seculares quam religiosi, Doctores jurium et Medicinarum, Decanus artium cum duobus magistris per eum praesentandis. et quinque Canonici ducales, qui in omnibus et per omnia Universitatem ipsam repraesentare, et illi consulere habeant, cum autem quis in Senatum refertur ita juret. Ego Nomen juro quod in praejudicium Illustrissimi fundatoris nostri Principis Friderici et suorum successorum nihil moliar sed potius illorum autoritatem pro virili mea tuebor, quod ad honorem dej <et dictamen verae religionis rationis> et universitatis utilitatem jnijtae dictamen rationis vota porrigam. Tractatus aut practicas cum nemine faciam, neque votum promittam, aut vendam, Consultationes Universitatis, maxime quas Rector dixerit celendas, non revelabo, sed illi potius parebo, ut me deus adjuvet, et sanctorum Euangeliorum conditores.

DE SENATV COGENDO ET FORMA SUFFRAGANDI

CAPUT IV. In officio Rectoratus I.

DE ELECTIONE RECTORIS eius qualitate et jure jurando.

CAPUT V.

In die Sanctorum Philippi et Jacobi et Sancti Lucae hora matutina convocatis patribus id est Gymnasij Senatoribus, invocata gratia Spiritus Sancti per Serutinium eligatur Rector is quem quisque magis crediderit expedire universitatj, hoc observato quod nulla facultas praetereatur, sed si commode fieri potest de facultate in facultatem Rectoratus detur. Eligendus sit Doctor, Licentiatus, vel 4 annorum Magister, vel superiorum facultatum Baccalaureus, vel saltem alius de honesto sanguine et bonorum morum, aut eminentis scientiae. Ab onere Rectoratus de gratia speciali supportamus Prepositum et decanum Ecclesiae nostrae Collegiatae, necnon religiosos Sacrae Theologiae professores, Alius Rectoratum non recipiens Universitati soluat Aureos tres, juste deliberanti damus triduum. Electus mox universitati ad hoc specialiter convocatae publicetur. Inuestiatur a praedecessore per traditionem signi, clavium, Capicij et Statutorum et juret publice, se pro virili diligenter administraturum officium suum et fideliter universitatis utilitatem procuraturum. Imprimis etiam jurent eligentes non spernere aliquam facultatem, sed eum eligere, quem quisque magis crediderit conducere reipublicae literariae.

CAPUT VI., VII., VIII. in officio Rectoris, 2., 3., 4.

DE LOCATIONE, SESSIONE et processionibus. caput

CAPUT IX.

Primum locum signamus, Rectori, alterum Cancellario Vniversitatis, Tertio praeposito omnium Sanctorum, Theologorum Decano quartum, V. decano omnium Sanctorum, Magistris Theologiae secundum eorum ordinem sextum. Quos sequantur Decanus et Vtriusque Iuris doctores, seu Canonici tantum, et eos Iuris Civilis tantum eo ordine, quo sunt in facultatem recepti non obstante alicuius praerogativa, Item doctores Medicinae, Decanus artium, Licentiati superiorum facultatum, Magistri artium et inter hos Baccalaurij superiorum facultatum coaetanej secundum ordinem, quo promoti sunt.

In sessionibus publicis dextrum corum occupent tres superiores facultates tantum, hoc est Magistri Theologiae, Doctores Juris et Medicinae Licentiati, Baccalaurej formatj. Sententiarij, Biblici Juricum et Medicinae <In> in sinistro eorum collocentur. Decanus Magistri artium Poetae Nam Lauream magisterio comparamus, praeterea omnes hospites ante et post Decanum artium, secundum

illorum dignitatem, hoc observato, quod Decano Theologico, Rectore, cancellario et praeposito demptis, nemo unquam praeferatur nisi sit Abbas, Comes, Baro, praepositus, vel Decanus metropoliticae Ecclesiae, aliarum Ecclesiarum scilicet Cathedralium jungantur Theologis, praepositi et Decani Collegiatorum, et Canonici metropoliticarum Ecclesiarum, similiter et Doctores Jurium post Decanum Jungantur Jureconsultis, Praelati minorum Ecclesiarum coaptentur Medicis, Nobilis, magistris. Et praeterea sub poena unius aurej nullus quemquam ad locum indebitum allicere praesumat, sed quoties de locandis disputabitur, consulantur Reformatores. Qui etiam electo Rectore Bedellus consignet registrum locandorum, hoc obseruato, quod exceptis Rectore, caeteris <facultatem> Reformatoribus praeposito et decano omnium sanctorum et facultatum decanis nullus proclametur penitus. Sed neque hi nisi ante actus initium. Nullus vero conscendat sub sellia nisi jussu Bedelli, et eo praeeunte.

DE GRATIARVM ACTIONE

CAPUT X.

De caetero gratiarum actiones promovendo dictentur per Reformatores, Ita ut [...] nulli nominatim agantur gratiae: Exceptis, Rectore, Reformatoribus, quatuor Decanis et promotore, Et si qui honoris gratia actui interfuerint. Cum quibus paucis at brevibus agatur. Ubi ad magistros ventum fuerit, inserantur Baccalaurei et superiorum facultatum et poetae hocmodo et in communi omnibus magistris et Baccalaureis superiorum facultatum et poetis cuique secundum senium suae promotionis.

DE INVITATIONE AD ACTVS PVBLICOS

CAPVT XI.

Ad actus publicos solenniter et cum sceptris inuitentur Rector, omnes Magistri Theologiae Doctores, Licentiati, magistri artium et superiorum facultatum Baccalaurej, Poetae et Guardianus, cum conventuum praedicatoribus, quos jubemus initio actus interesse: sub poena priuationis loci sui per unum aurum, nisi Reformatoribus se legitime excusaverint. Poterint etiam invitari hospites alij, praefectus scilicet urbis cum civium magistratibus.

DE EXPENSIS ET PRANDII PROMOVENDORVM ET EXEQVII BENEFACTORVM

CAPUT XII.

Promoti in Gymnasio nostro publice bona fide stipulentur decanis suis, quod si contigerit, eos obire aliquod munus egregium, vel conscendere dignitatem, quod in memoriam accepti beneficij velint mittere universitati pro arbitrio suo aliquod munusculum, medium scilicet unum vel duos aureos. Et hoc pro honore Gymnasij, et promoti decanus suus scribat diligenter in matriculam promotorum. Expensas autem omnino volumus esse moderatas et longe magis intuitu doctrinae, quam vilis pecuniae amore quem promoveri. Vnde prandia penitus summovemus, imo absque dispensatione reformatorum fieri prohibemus. Ita rem moderantes ut Theologus suum magisterium per omnes gradus consequi possit aureis quadraginta uno et 2 grossis, de quibus soluat Biblicus 5 aureos 20 grossos, Sententiarius 6 florenos 9 grossos, formatus 1 florenum, Licentiatus 11 florenos 20 grossos, Magister 16 florenos, Doctor Vtriusque Iuris siue in altero tantum suum doctoratum aureis quadraginta duobus grossis, duobus de quibus Baccalaureus soluat 11 florenos 4 grossos, Licentiatus 16 florenos 9 grossos, Doctor 14 florenos 10 grossos. Ne autem Baccalaureus habeatur contemptui, Licentiatus non Baccalaureus per omnia soluat ac si tunc baccalaureus fuisset. Doctor Medicinarum consequatur suum gradum 37 florenis 1 grossos, de quibus soluat Baccalaureus 8 florenos 14 grossos, Licentiatus 13 florenos 19 grossos, Doctor 14 florenos 10 grossos. Nisi quod Magistri Theologiae et doctores tenentur Rectorj, Magistris, dotoribus[!] et decano artium Bireta dare valoris 10 grossorum, Chirotecas Magistris artium et superiorum facultatum Baccalaureis et poetis Chirotecas tantum. Praeterea Baccalaureus artium soluat 2 aureos 10 grossos, Magister vero pro suo magisterio aureos 8 grossos tres, hoc observato quod religiosos mendicantium ubique et in omnibus expensis suarum promotionum et aliarum actuum in tertia parte relevamus. Si quis Magister, Doctor, Licentiatus, vel Baccalaureus alibi promotus voluerit incorporari gremio vestro, exoluat aerario dimidium sui gradus, hoc est eius quod exposuisset si apud nos promotus fuisset. Decani autem promovendorum expensas ante examina ad se recipiant, uel de suo universitati respondeant. Et infrascripto modo distribuant et tunc demum cum quis fuerit promotus exceptis decani et examinatorum expensis quas tempore examinis volumus exolui Et imprimis deponat. Biblicus 5 aureos 20 grossos, de quibus distribuantur Rectori 5 grossi, Decano suo 5 grossi, Praesidenti aureus 1, Bedellis 10 grossi, 4 aurei Aerario universitatis. Sententiarius deponat aureos 6 grossos 9, de quibus dentur Rectori 10 grossi, Decano 20 grossi, Praesidi aureus 1, Bedellis 10 grossi, 4 aurej aerario, novem nomine formandi detur Praesidi aureus 1. Licentiatus deponat aureus undecim grossi 20, de quibus Rectori 10 grossi, Cancellario pro confectione 20 grossi, Decano unus aureus Et octo aurej inferantur aerario.

Doctorandus deponat aureos 16, de quibus detur Vesperanti 1 aureus, Promotorj unus, Gallis unus, caeteris magistris unus, Bedellis <unus> duo aurej, 10 inferantur aerario. Baccalaureandus in Vtroque Iure deponat aureos 11 gros-

sos 4, de quibus dentur Rectori 5 grossi, decano 10 grossi, Examinatoribus duo aurei, Promotori unus, Bidellis 10 grossi, 7 reliqui inferantur fisco. Licentiatus in Vtroque Iure deponat aureos 16 grossos novem, de quibus Rectori 10 grossi, Cancellario 10 grossi, Decano 10 grossi, Examinatoribus <10 grossi> 4 aurej, Recommendanti unus aureus, Bedellis unus, aerario inferantur aurei novem. Doctorandus in Utroque jure deponat aureos 14 decem grossos, dentur decano 10 grossi, promotori 1 aureus, Bedellis duo, undecim inferantur Aerario. Baccalaureandus Medicinarum deponat aureos 8 grossos 14. Rectori 5 grossi, decano 10 grossi, promotori unus aureus, Bedellis 10 grossi, Aerario inferantur aurei 5. Licentiatus deponat aureos 13 grossos 19 et dentur Rectori 10 grossi Cancellario 10 grossi, Decano 10 grossi, Examinatoribus 2 aurei 10 grossi, Bedellis 1 aureus, Recommendanti 1 aureus, Aerario inferantur aurej 8. doctorandus in Medicinis deponat aureos 14 et decem grossos, de quibus dentur Decano 10 grossi, promotori 1 aureus, Bidellis duo aurei, aerario [...] undecim reddant. Baccalaureandus in artibus deponat aureos 2 <...> et 10 grossos, de quibus dentur Rectori duo grossi, Bedellis grossi 2, Examinatoribus 3 grossi, Decano grossi 2. Aerario inferantur grossi 40. Magistrandus in artibus deponat aureos 8 grossos 3, de quibus dentur Rectori 5 grossi, Cancellario 5 grossi, Decano 10 grossi, Examinatoribus 5 grossi, Bidellis 10 grossi, Aerario inferantur aurej 6, hoc observato, quod de pecunia illa detur promotori tam Baccalaureorum, quam magistrorum aureus 1.

DE MISSIS VNIVERSITATIS
ET Sermonibus habendis ad clerum

Caput XIII.

Aurelij Augustini, Gymnasij nostri tutelaris dei statio apud fratres Augustinianeos in Ecclesia Sancti Spiritus peragatur Expendanturque in eam solennitatem grossi, 20 de quibus misse de sancto Augustino et diva Virgine Maria celebrentur, Et pauperibus distribuantur 3 grossi, reliquae omnes missae sermones ad clerum, similiter et aule[!] doctorales celebrentur in aede nostra collegiata et sancta.

DE SEPULTURA SCHOLASTICORUM

CAPUT XIV.

Si quem de gremio vestro contigerit vitam cum morte <gremio> commutare pro illius dignitate et obseruanda religione funus omnes conducant religiose, et sub poena per Rectore dictanda intersint vigilijs et missae, pauperibus universitas amore dej celebrari procuret.

DE STATVTIS VNIVERSITATIS PRAELEGENDIS

CAPVT 15.

DE INTITVLATURA ET EIVS SALARIO

CAPUT 16.

Nullus possit audire lectiones publicas ultra 15 dies aut esse capax alicuius gradus privilegij seu libertatis, nisi nostrae universitati per juramentum unitus seu incorporatus. Non incorporentur autem passim omnes et indiscriminatim, consultius est enim habere paucos bonos quam multos malos, unde incorporandi diligenter sciscitentur venerintne gratia studiorum, ne forte in fraudem privilegiorum se curent intitulari. Et si in alijs gymnasijs bene se gesserint, quia si inde exacti essent nullo modo vellimus eos recipj. Qui vero [...] sustinuerit expectationem bonae frugis, tali juramento se astringant. Ego Nomen juro, quod contra statum Illustrissimi principis Friderici, Ducis Saxoniae, fundatoris huius studij et suorum successorum nihil moliar per me uel alium, Juro universitati Witebergensi fidelitatem, illius commoda pro virili promovere, incommoda impedire, Rectori in honestis obedire. Statuta et statuenda fideliter observare. Item juro, quod si forte contigerit ne <de gre.> ab aliquo de gremio huius universitatis offici injuria aliqua, sive Neuboli, quod non velim me de facto, aut per me ipsum <ser>, aut per alium quovis quaesito colore vindicare, sed eandem ordine judicario coram dominis Rectore et Reformatoribus legittime prosequi. Item juro, quod si (quod absit), in aliquo delicto deprehensus, aut infamatus fuero de[?] quo <sumpti re instare> Dominis Rectori, aut Reformatoribus, vere aut praesumtive[?] constare poterit, quos tunc addictamen et jussum eiusdem domini Rectoris, dominorumve Reformatorum illico [...] civitatem et universitatem istam exire velim neque ad lares paternos seu amicorum recipere, neque pedem hinc movere, donec veniam seu gratiam a praefatis dominis desuper obtinuero, universitatique reconciliatus fuero, ut me deus adjuvet et sanctorum evangeliorum conditores. Pro intitulatura celunt 5 grossos denarios 3. Religiosus de ordine mendicantium tertia minus allegans, paupertatem det quantum potest vel amore dei intituletur. Alias haec pecunia nulli emittatur, sed Rectori defalcetur. Cui de [...] intitulatura damus tertiam partem, Bidellis tertiam et universitati reliquam tertiam. tribus denarijs ad candelas et sex denarijs a suppelectilia coqvinae collegij prius de quolibet solutis. Referat Rector intitulatos diligenter in rationarium universitatis, adijciendo nomen, cognomen dyocesim diem, annum et quantum quisque dederit. Sub rubrica autem alterius Rectoris sub poena perjurij non scribat, si quis intitulatus fuerit, non studij gratia, sed in fraudem, exuatur privilegijs, nomen aboleatur et perpetuo non referatur in matriculam.

CAPUT XVII.

DE ANIMADVERSIONIBUS ET POENIS NEGLIGENTIAE

CAPUT XVIII.

Superiorum facultatum ordinarij pro negligentia cuiusque lectionis exsoluant Reformatoribus 1/2 aurei, disputationis circularis aureum 1. Ordinariae et solennis duos, Magistri artium pro negligentia disputationis dimidium floreni, lectionum 1/4 floreni, Nisi forte princeps vel universitas negligentiae causam dederint. possunt tamen negligentes alios in locum suum sufficere, aut certe neglecta diligenter et incontinenter supplere, dummodo reformatoribus absentiae suae causam et necessitatem ostenderint.

DE PACE SERVANDA ET EIVS VIOLATORIBUS

CAPUT XIX.

Si quis in alterum concilia congesserit, si fuerit scholasticus juxta dictamen Rectoris et decanorum, si pyrrhetatus, Reformatorum satisfaciat competenter et nihilominus secundum facti qualitatem puniatur. Ledaens alterum citra vulnerationem exsoluat Academiae aureum, infligens vulnus duos et amittat arma et laeso satisfaciat salua semper majori poena, per reformatores dictanda. Deferens arma globos, vel alia jactilia ad annum relegetur, et coram tali nemo legat, imo nullus doctor aut magister talem scienter sustentet sub poena praestiti juramenti. Turbans domum noctu, vel auxilium dans ipso facto perjurus sit et perpetuo exclusus. Noctu post campanam sine lumine et necessaria causa nemo vagetur, in plateis aut clamet sub poena relegationis 1 anni.

DE VITA ET HONESTATE SCHOLASTICORUM

CAPUT XX.

Scholastici praedicti sint honestis moribus, suos superiores revereantur, neminem laedant, scholastice vestiantur, vestitus ipse non sit nimia brevitate aut levitate suggillandus, comam nemo tondeat, barbam nemo nutriat, nemo cohabitet mulieribus suspectis, nemo ludat ludum inhonestum aut nocivum, nullus exerceat mercaturas, nemo conducat domum irrequisito priore conductore. Nemo non inhabitet collegium aliquod approbatum, vel saltem cum doctore aut magistro honesto moram trahat, nisi ex causa rationabili Rectori et decanis approbata, alioquin frustraretur lectionibus, expulsus ab uno <mag> collegio vel magistro ab alio non recipiatur sine causa cognita, semper sub poena per Rectorem et decanos dictanda, vel si opus fuerit, per reformatores. Et si quis se contra haec sta-

tuta se gesserit lenonem meretricarium, aleatorem, ebriosum, aut arma detulerit, non scholastice vestiatur, non quotidie ad minus unam lectionem audierit, aut non elegerit in patronum singularem doctorem, aut magistrum aliquem, aut quovis modo noletur infamia, Talis non deputetur studijs et ipso facto nudatus sit omnibus privilegijs scholasticis.

DE NON INGREDIENDAS TABERNAS VEL HORTUS

CAPUT XXI.

Nemo ingrediatur tabernam vinariam aut alias quascunque habentes signa extensa, potandi gratia, sub poena 5 grossorum. Nemo ingrediatur hortos alienos, nec damnum inferat alicui eo inuito semper sub poena exclusionis eo ipso facto et nihilominus resarciat damna.

DE FAMOSIS LIBELLIS

CAPUT XXII.

Nemo contra alium edat aut edat quicquam, nemo contra alium privatim aut publice invehatur aut eius nomen suggillet, expresse uel tacite, sub poena infamiae aut perjurij quam [...] declaramus transgressorem ipso facto incurrere. Et nihilominus suggillato faciat satis, et emolumentis gymnasiasticis perpetuo privetur. Sed tacite apud Rectorem fine debito terminetur.

DE PERIVRIO VITANDO

Caput XXIII.

Neminem volumus argui perjurij qui statuti alicuius transgressionem nisi nominatim adjectum fuerit sub poena perjurij. Sed tenerj potius mulcta pecuniaria, vel qua alia poena arbitraria.

DE CARCERE ET INOBEDIENTIBUS

CAPUT XXIV.

Volumus vos habere carcerem honestum, cui tamen si qui mancipati fuerint, aut velox poena subducat, aut diuturna custodia, non commaceret si qui adeo fuerint rebelles ut de eorum salute sit desperatum, exuantur omnibus privilegijs scholasticis, quales sunt manifesti tenores, fures, infames, publici lusores, Ef-

fractores ostiorum, raptores mulierum, et si qui sunt similes, qui omnes tanquam menbra[!] putrida abscindantur a consortio vestro. Et magistratui [...] tradentur. Similiter et qui intitulari noluerint, publicentur magistratui, ut sic expellantur.

DE FORO COMPETENTI

CAPUT XXV.

Reus apud solum Rectorem et eius Decanos conveniatur, primum citatus ad solvendum debitum pecuniarium gaudeat spacio 15 dierum. in quibus, nisi se composuerit, per Rectorem cogatur, cum diligenter intersit curare, ut <debi> creditoribus satisfiat. Quod si non fecerit, coeteri reformatores praesto sunto.

DE OFFICIO ET SALARIO BIDELLORVM

CAPUT XXVI.

Bidellorum munus esto, quotidie bis decanos officiose visitare et suam offerre operam. Consilia aut secreta senatuum non aperire pavidere, habere registrum scholasticorum, singularum facultatum, festa disputationes, promotiones in scholis publicare, et ecclesiarum valvis intimare. disputationibus a principio usque ad finem interesse promotos locare, Scholas purgare absque decanorum consensu extra urbem non pernoctare, a promovendis ultra statuta nihil exigere, consistorijs assistere, actibus publicis et solennitatibus universitatis interesse sceptriferos, rubeoque colore vestitos et nomine mercedis assignamus eis intitulaturae et poenarum unam tertiam et nihilominus damus eis pro qualibet augaria[?] in anno facultatem exigendi a quovis doctore grossos duos a licentiato nummos is a magistro artium et superiorum facultatum Baccalaureis et poetis et locari volentibus 1 grossum et a reliquis Baccalaureis scilicet artium 1/2 grossi, a scholasticis 4 denarios.

DE TESTIMONIO PROMOVENDORVM

CAPUT XXVII.

Ne in jacturam et detrimentum academiae quidam audentes sese false glorientur vobis promotos, detur unicuique signum facultatis suae promotionis in magnis autem et valde arduis negotijs dentur litera a reformatoribus sub auspicio nostro.

DE VACANTIIS

CAPUT XXVIII.

Per integrum annum quotidie volumus legi diligenter, ut autem professores possint esse eo diligentiores, alacriores et fortiores ad labores ferendum, ut habeant materiam conplendi defectus, Et ut alij etiam possint legere extra ordinarie, concedimus eis, ut possint vacare singulis diebus sabbathis in honorem gloriosissimae virginis Mariae Matris, verae studiorum patronae, dummodo praeter praeter[!] dominicam aliud festum celebre vel collegiale non <con> occurrerit, quia tunc diem sabbathi non concedimus praeterquam Artistis, propter disputationes. Similiter etiam propter disputationem Theologis concedimus singulas sextas ferias, festa autem collegij superioris, facultatibus assignamus, a festo Thomae usque ad Epjphaniae domini, a dominica sexagesimae usque ad diem cinerum, a dominica palmarum usque ad octavas pascae. Octavam pentecoste a Margarethe usque ad assumptionem beatae Virginis Mariae, a die undecim millium virginum, usque ad diem 3 Novembris, quo die fiat principium studij solenniter. Sancti Juonis Sanctorum Cosmae et Damianj Sanctae Catharinae, Omnibus diebus promotionum quarumcunque Artistis per 5 dies ante Cinerum, Vltimos quatuor dies quadragesimales. Omnibus diebus promotionum in facultate sua in communi vero assignamus omnibus facultatibus tres dies rogationum ante prandium, omnibus diebus virginis etiam in foro non celebribus 4 doctorum Ecclesiae, tempore nundiarum duobus diebus, diemque quoque universitas fuit confirmata, id est duodecimo Calendae Julij et si quae aliae fuerint feriae repentinae, in honorem nostrum aut successorum nostrorum inductae.

DE NON ABVTENDO PRIVILEGIO CONSERVATORIJ

CAPUT XXIX.

Quia iniquorum perversitas, abstinere nesciens a vetitis, nec gaudere debito modo concessis, digne plerumque officium excitat praesidantijs ad ea quae justa fuerant consideratione concessacum in abusum ea vergere circumspicit, discretione praevia moderanda. Ne itaque aliqui malitiose aut perperam [...] privilegio conservatorij universitatis Studij nostri in favorem et funitionem[?] a sancta sede Apostolica libera liber esse concessum, idcirco volumus ordinamus et statuimus, quod nullus de [...] caetero dicto privilegio utatur in causa seu causis suis, nisi illa seu illae per Rectorem et Reformatores studij nostri prius examinata vel examinatae sunt aut fuerint. Ipseque seu ipsi in vim[?] privilegij huius agere volentes talis aut tales conpertus seu conpertes sunt, qui de jure uti possent seu possint eodem. Rectorisque <super> desuper habeat seu habeant documentum. Insuper volumus et ordinamus Quod dominus subconservator studij nostri nulli decernat

processus aliquos judiciales, causa et causis ut permittitur prius non examinatis. Desuperque summarie non instructus. Sub poena amissionis privilegiorum.

Recognita et ad exemplar vetustissimum examinata

Rector
manu propria


Anno 1615. die 21./11. Decembris

STATVTA, seu prima fundatio Academiae Wittebergensis Anno 1615.
Vidimata Copia statutarum, seu primae Fundationis Academiae Vittembergensis sub Friderico Duce Saxoniae.
OL E 196. 3. cs. 7. fasc. Nro 93.

F. 8.

1.

Thurzó Imre, Horae primae exercitationum oratoriarum, quas Comes Emericus Thurzo ... habuit, Wittenberg, 1615.



Horæ primæ
EXER-
CITATIO-
NUM ORATO-
RIARUM,
Quas
COMES EMERI-
cus THURZO de Ar-
vva &c. RECTOR Acade-
miæ Wittembergen-
sis &c.
Inter Nobiliſſimos doctiſſimoſq; eli-
gentes juvenes Witteberga
habuit.
ANNO CHRISTIANO
M. DC. XV.
Typis *Johannis Richteri.*

M.N.M. MÚZEUM KÖNYVTÁRA
Rx Bibl. Com. F. Szechenyi.

Illustrissimo Comi-
ti ac Domino, Dn.
GEORGIO
THURZO de Bett-
lemffalvva, Regni Hungar. PA-
LATINO, & Cumanorum Judi-
ci, nec non de Arvva perpetuo,
Ejusdemque Comitatus Supre-
mo Comiti, Sacræ Cæsareæ Re-
giæque Majestatis intimo Con-
siliario, & per Hungariam
Locumtenenti, &c.

Domino Patri suo carissimo.

Illustrissime

Comes ac Domine,

Domine Pater carissime.

Diogenes olim quærenti quid apud homines celerius senesceret, respõdisse fertur; Beneficiorum memoriã ad eam ætatem quàm maximè festinare: dici enim vix posse quàm facilis eorum acceptorum apud plerosque sit oblivio. Verisimè profectò, & planè ad nostri sæculi mores, quo plumbeâ irâ, gratiâque plumeâ nihil omninò est frequentius, cùm tamen

Nil cogitari pestilentius queat:
Nec esse portentosius quicquam putem.

Quo

Quo verò frequentior pariter atque nocentior illa pestis est: eò magis & in aliis eam semper sum detestatus, & ipse studui, ut benè mihi cupientibus ac facientibus, essem quàm gratissimus. Inprimis autem, ut Illustrissimæ V. Celsitudini, quippe de me secundum immortalem Deum optimè meritæ, gratias quàm maximas referrem. Et referrem etiam, aut jàm olim retulissem, si quantum ad eam rem voluntatis mihi est, tantum etiam facultatis suppeteret. Spero tamen Illustrissimam V. Celsitudinem gratiæ loco habituram, si diligenti Paternorum præceptorum observatione, atque adeò sedulâ Studiorum meorum tractatione, tenacem adhûc tàm benevoli affectus memoriam tester. Id quod isto *Specimine*, primisq; Orationibus in *Collegio privato* habitis

factum volo: Humiliter orans ut Illustrisſima V. Celſitudo gratum erga ſe animum ex obœdientiâ, ſibi in litterarum ſtudio præſtitâ, æſtimet ametque. Deus Optimus Max. Illuſt. V. Celſitudinem, Eccleſiæ ſuæ Patriæque afflictisſimæ, & meo bono, quam diutisſimè conſervet. VVittebergæ, Calend. Decembr. Anno 1615.

Illuſtriſſ. V. Celſitudinis

Filius obſequentisſimus

Comes EMERICUS THURZO, C. P. de Arvva, & Acad. Witteb. p. t. RECTOR.

Ad

Ad Illuſtriſs. Dn. Comitem EMERICUM THURZO, de Bettlemffalvva C. P. de Arvva &c. RECTOREM Academiæ Wittemberg. Magnificentiſſimum &c.

NObilitas generis Virtute ornata, nitenti
Smaragdus eſt in Auro.
Hoc EMERICE COMES, *noſtri Rex digne Lycei,*
Spes Patriæ ſerena,
Suggerit usque Tibi Tua mens Generoſa, jubetq́,
Ut indolem juventa
Omnigenis decores Virtutibus, Artibus atq́
Ornes pereruditis.
Teſtis adeſt præſens Peithus cultura diſerta
Felix & erudita.
Perge ita. Sic multum Patriæ prodeſſe valebis,
Decus tuens Paternum.

M. Erasmus Schmidt *Græc: & Math. Profeſſ. Witteb. & Alumn. El. Sax. Inſp.*

Aliud

Aliud ad eundem.

Postulat innumeras Ars Oratoria *curas,*
Nec datur ad Suadam *currere, lata via.*
Cui verò Natura *& non-invita Minerva,*
Solus & artifices qui facit, Usus *adest*;
Rem tenet. O te igitur, Commilito Magne,
beatum!
Cui DEUS ingenium, *cui tulit* Usus *opem.*

M. JEREMIAS SPIEGELIUS,
Illustris. & Magnifico Dn.
Comiti EMERICO THURZO
&c. à Studiis.



Comitis

Comitis EMERICI THURZO
C. P. de Arwa &c. Rectoris p.t.
Academici &c.

ORATIO I.

Quod deceat & expediat, ipsum Principem jus dicere: Contra BODINI opinionem potissimùm, exercitii caussa habita.

VM omni hominum generi turpis detestandaq; est assentandi consuetudo; tum verò Philosophorum Scholæ indignissima. Quemadmodum enim horum proprium est virtutũ omnium vim naturamq; & docendo pertractare, & laudabilis vitæ exemplo præire: Ita alienissimum esse ab ijs debet servile illud adulandi studium, quippe quo omnia virtutis & libertatis vestigia confunduntur diluunturq;. Vtq; nec cupresso cerasa imascuntur, propter amaritudinem; nec buxo propter duriciem: ita nec Philosopho adhæreant assentationes blanditiæ, propter excelsæ professionis gravitatem con-

A stantis-

ſtantiq; innocentiæ ſeveritatem. Quæ cum ita ſe habeant, quid de illis iudicandum eſſe cenſebimus, qui cùm & Philoſophi audire velint, & ordine ac numero fortaſſe non ſint poſtremi; infra canes aulicos & ſervile aſſentatorum pecus ſeſe abiciunt; aulæ tam impudenter blanditi, ut præcipua officij parte, me fere toto illo magiſtratum levaturi, publicis ſcriptis aſſerant, Non modò neceſſarium, ſed ne utile quidem eſſe, ipſum Principem jus dicere. *Mali noxijq; Reipubl. doctores, qui eadem opera & ſubditos rege & regem ſubditis privatum eunt. Digni propterea mihi viſi, quibuscum hoc tempore atq; hoc in loco paucis placidiq; verbis agerem; rationibus firmis demonſtraturus,* Nihil principis Majeſtati convenientius, nihilq; vel decorum vel neceſſarium magis eſſe, quàm ſi jus ipſemet dicat reddatque. *Quanquam autem diſſimulare non poſſum, me ſummo cum pudore ad hanc orationem difficultatis pleniſſimam, præſentibus doctiſſ. Auditoribus habendam, acceſſiſſe: audaciorem tamen, neſcio quomodo, ad hanc diſputationem ſuſcipiendum reddit, rei de qua dicturus ſum dignitas, neminiq; rectè iudicanti obſcura veritas.*

Qui

Quis enim neſcit, principatus finē non ipſum principatum eſſe, nec ideo principes dari, ut tantum principes & ſuperiores ſint, atq; ex altitudine illa q. è cœlo quodam ſubditos ſuos otioſi deſpectent: ſed ut Iuſtitiā prudēter adminiſtrēt, iniuriam arceant & propulſent. Inde etiam Græci Reges ſuos Iudicum *nomine appellarūt; Quod Æacus, Minos, & Rhadamanthus, qui quod æquitate ſummi iuris dicerēt, ab Iove ſempiternū apud inferos iudicādi & imperādi munus adepti ſunt, abunde cōfirmāt. Quin & Hebræorū Imperat. belli gerendi cauſa ſæpe excitati, Iudices dicebātur. Cū q. Samuel iam conſenuiſſet, populus non alium ſibi Regem poſtulavit, qui im qui aliorum Reguin moribus iuſtitiam adminiſtraret. Dei enim in terris adminiſtri ac vicarij ſunt. Vt igitur ille ab Orbe condito diſpenſat, & regit æſtates, hyemes, annī tempora, fruges, fructus, uſui noſtro aut voluptati: cœlos, terras, maria omnia in ſtatu & concordia, etſi maximè diſcordia, ſervat: parcit plurimū, interdū punit: verus pater, ſimul & Dominus geneſis humani: Ita illos decet omnia ſibi ſubdita compoſitè regere. In altis ille ſedet; ſed humilia reſpicit: & principes in altum evecti ſunt, ſupraq; alios elati; ſed ita ut in ſubiecta Reip. curam ſe demittant, & obliti: quodammodo ſui, non vivant ſolum, ſed &*

quis finis? finis?

Bodin. de Rep. l. 4. c. 6.

Iudices Nūminibus.

Iuſt. Lipſ. Monit. Politic. l. 2. cap. 7.

A 2 ſerviant

ſerviant univerſis civibus; ſæpe ac plerunq; etiam ſingulis; quemadmodum pulchrè & non ſine numine, Tiberius Imperator in pleno ſenatu teſtatus eſt. Quæ res cum laboris ac tædij ſit pleniſſima, viribusq; humanis longè ſuperior; ſingulari divini auxilij ſubſidio indiget pariter atq; fulcitur. Deus enim eſt, qui tremendam quandam indidit Iudicibus autoritatem; ut non modo audiantur cum timore, ſed etiam cum ſingulari quadam veneratione abditoq; amore: præſertim ſi Princeps perſonam iudicis ipſe ſuſtinet. Quanti enim illa ſunt, non modo principem pro tribunali ſedentem, tanquam numen quoddam intueri, audire; ſed & ab eo audiri, videri, &, quod maius eſt, coram eo cauſam agere? Quæ non ſolum divinitatis cuiusdam exiſtimationem; ſed & mirabilem erga ſuperiores amorem in hominum animis excitant. Quid enim efficacius ad animos principum & ſubditorum coniungendos, mutuoq; amore conglutinandos eſſe poteſt, quam ſi & ſubditi intelligant, principem ſui curam non abieciſſe; & princeps videat quàm filiali conſidentiâ à ſubditis adeatur, & paternam opem imploretur. Quo vinculo, ut nihil Reip. utilius; ſiquidem

Non ſic excubiæ non circumſtantia tela

Quàm tutatur Amor: — —

rta communitate iſta ſublata labaſcit & diſſolvitur omne Imperiorum robur & firmamẽtum. Expertus id eſt ſuo malo, & cum ſubditorum defectione DEMETRIVS *Poliorcetes Macedoniæ Rex, qui per proterviam illuſit etiam ſupplicibus. Nam cum libellos adeuntium benignè in via accepiſſet, quaſi lecturus & cogniturus, mox cum ad pontem Axij fluminis veniſſet, excuſſo chlamydis ſinu, omnes in ſubiectam aquam abiecit. Qua cauſa Macedones ad Pyrrhum tranſierunt, & Iuſtitiæ deſertorem deſeruerunt. Putabant enim miſeri (nec falſo fortaſſis) magnam ſeſe vim & iniuriam pati, ſi magiſtratus ſupremi præſentia excluſi ſoli pedaneorum iudicum, ſub quibus ſæpe venalia iudicia, venales ſententiæ proponuntur, libidini nunquam exſatiandæ relinquantur. Magna ſæpe iniuria minorum iudicum vel pretio corruptorum perverſitas, vel gratia expugnatorum iniquitas, vel odio aut metu commotorum inconſtantia, vel iuris demum & legum ignorantia deplorandaq; inſcitia eſt. Nec modi deſunt, litigantes per infinitos & inexplicabiles proceſſus illius artis, quam in compendium*

Demetrius.

I. Lipſ. Monit. Polit. c. 9. §. 4.

Euphorm. Satyr. l. 2.

redigere putavit, qui eius licentiam inter 50. libros coegit, multos per annos misere & inutiliter exercendi. Vna aliqua lis Metonis animum tenet. Fit involucris legū, fit sordibus advocantiū: & cum perendinationes istæ ad quæstum & lucellum eunt, per Symplegadas navigatur Colchos ad aureū vellus, Lipsio dicente in sua de Legib. disputatione. His omnib. occurret principis Clemētia prudētiaq; si de suo populiq; negotijs ipse cognoscat, si miseris & afflictis aditus ad ipsum pateat. Sic nos illud Iustitiæ & VIVA LEX, una sæpe voce infinitas ultroqui provocationes, supplicationes, evocationes, tot reorū subterfugia, tot litium dilationes, tot pragmaticorū fraudes, tot circumforaneorum clamores, tot iudicia iudiciorū varietate cumulata, finire; & quæ legū atq; formularū argutiomibus intricabātur potius quàm expediebātur, uno verbo ad æquitatis regulā definire atq; decidere poterit. Cōpendiū hoc modo sit immensorū & laborū & sumptuū: excitatur iudicum vigilātia & attentio, coërcetur litigantiū improbitas & pervicacia: potentiū etiam, in quos minores illi & delegati iudices ac oris nec roboris satis habent, superba coercetur protervia. Expedit igitur, principē iudicādi consuetudinē ac iustitiæ vim animo penitùs impressam habe-

Monit. Polit. l. 2. c. 10.

re.

re iurijq; dicēdo maturè assuefieri semperq; vocare. Siquidē ea Resp. beata sunt futura, ubi vel literis periti regnāt, vel qui regnāt, iura exercent. Nec video quid solidæ causæ afferri possit, quare quis imperāt, maiores hoc suum refugiant. Quod enim offerūt, authoritatē maiestatisq; dignitatē sortiendi ex cōspectu vilescere imitādos Persarū esse Reges, qui eò maior sui esset observātia, penitùs a populis cōsuetudine remoti, vilitatē sollicita admodū cautela effugissent: Id apud eos locū forte inveniet, qui leviter hinc inde vagātes, ad plebeias ineptitudines aut scurrilitates sese abijciunt. Ea verò præsentia, quæ iudicio debetur, tantū abest ut autoritatē immineat, ut eā totius vel gignat, si nulla adsit, vel si penitus exigeat. Videmus in cottidianis istis iudicijs, quàm plebecula eos veneretur & timeat; etiam illa innoxia, & cui nihil cum ijs negotij est aut fuit. Bene à DEO ita facti sumus, vereri hoc numen, & nomen ipsum Iustitiæ, & quicunq; ei administrant. Quantò magis in principe, si se non mandare tantum (in occulto id sit) sed exercere cum summa potestate, ostendat? docente iterum magno illo Principum Ducumq; monitore, Lipsio. Sed ridiculè ad Assyriorū exēpla vocant, qui perpetuæ solitudini inclusi atq; famæ Maiestatē ineptiis gravitate damnarunt.

Obiect.

Resp. hab.

Iust. Lips. Monit. Polit. l. 2. c. 9. q. 1.

Quæ enim ista maiestas est, bonis aut afflictis aditum sui præcludere; pellices contra (quod plerique illorum fecerunt) agminatim recipere. Quanquam & circa has, gravitatis suæ memores, eam adhibuerunt curam, ut lectica operta, cuius velum allevare nefas erat, merces illas ad se deduci curarent; ne videlicet & ipsæ à quoquam in Vrbe conspicerentur. Et sane bonum etiam Regem ita se includere; animos subditorum animos plus exasperabit, quàm ad reverentiam sui commovebit. Etenim observantia ex amore profluit, amor non nisi ex sensu roboratur; eum enim ardentius deamamus, quem ipsimet oculis usurpavimus, cum ignoti nulla esse possit vel cupido, vel firma dilectio. Vt taceam varietatum suspicionum semina hinc pronasci, dum ita anceps hæret subditorum de Rege cogitatio; nec ullum esse ad fraudes & technas expeditiorem modum. Quemadmodum quidem de Comaride Mago historiæ fidem faciunt, eum pro Mergide, cui regnum post Cambysis fratris mortem cesserat, Oropastem fratrem suum substituisse, nec tamen dolum subesse quenquam suspicatum; nec ut maximè suspicaretur, detegi à quoquam potuisse, propterea quod privatis sese parietibus assidue Rex contineret. Tutius longè & salutarius est

B. Keckerm. de Monarchia Persarum.

L. Marcii consilium, qui non consilium, sed exilii & tritæ conversationis vilescere censet Augustum illustrium virorum auctoritate. Obversantur oculis innumera laudatissimorum Principum exempla, qui præsentiâ sui iudicijs accommodatâ non modo existimationem maiorem, sed & immortalem gloriam sibi comparârunt. Hinc in perpetuâ laude versatur Rex ille omnium Regum sapientissimus atq; prudentissimus Salomon: qui iudicandi arte divinitus quàm sufficientissimè instructus, sic eam usurpavit, ut omnibus tunc viventibus amori, posteris admirationi esset. In laude est eritq; semper Augustus Cæsar, qui ius dixit assidue, (ut ait Suetonius) & in nocte nonnunquàm tantâq; diligentiâ, ut ne morbo quidem impediri se passus fuerit, quò minùs in lectica pro tribunali positâ recubans vel domi etiam id ageret. Omnium sæculorum prædicatione digna fuit Caroli Magni ea consuetudo, qua præterquam quod in oppidis passim & pagis communiter ius dicebat; imo interveniebant etiam extra ordinem Missi sive Delegati, qui idem faciebant: ipse tamen audire causas graviores hebdomadatim voluit. Idq; lege, quæ extat, vulgavit: Hoc Missi nostri notum faciant Comitibus & populo, *quod nos in*

Ab Epeij: Salomon.

Augusti.

Caroli Mag.

omni hebdomada unum diem ad causas audiendas sedere volumus. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis causis ad nos reclamare, nisi de quibus aut Missi nostri, aut Comites, eis justitiam facere noluerint. *Secuti & largius præter alios imitati sunt hunc Cæsarem* Ferdinandus & Maximilianus, *qui (ut ex Illustribus & Magnis viris audivimus) post prandiũ sumptum raro se in conclave suum receperunt, nisi auditis prius quibusvis supplicibus, ijsq; maxime, qui de læsione aut iniuria, causis suis à minoribus iudicibus interveniẽte, cõqueri habebant. In oculis & omnium laude hodieq; sunt Sacratissimi Rom.* Imperatoris, *aliorũq;* Principũ *exempla laudatissima, quæ omnibus pro lege esse, mihi pro ratione sufficere poterunt. Quid enim maiq aut amplius dicerem, quàm quod hi tanti prudentissimè senserunt hodieq; sentiunt nihil esse Principe dignius, quàm publicum, id est, suum negotium agnoscere, iudicare, promere, & exercere Iustitiam; Ea via & ad* DEI *similitudinem propiùs illum accedere, & populum sibi commissum rectè beateq; gubernare.*

DIXI.

ORATIO II.

Comitis EMERICI THURZO, C. P. de Arwa, & p. t. Rectoris Academici.

De peregrinis in Remp. non recipiendis.

Sapienter sanè Crœsus ad Cyrum, humanarum rerum cursum rotæ instar esse, dicit, quæ circumacta semper eosdem fortunatos esse non sinat. Ab æterno enim dictum, ne quid sublunarium rerum perpetuò stabile & æternum esset: Nec ab inconstantissimâ fortunâ impetrari unquam ullius votis aut precibus potuit, ut quicquam in hoc Orbe prospero felicique loco semper maneret. Ne rebus maximis & optimis stabilitas datur; sed ipsis etiam Pulchris stare diu Parcarum lege negatur.

Herod. l. 1.

Id quod evidentissimè in Imperijs rebusq; publicis conspicitur. Oriuntur, moriuntur; crescunt, decrescunt; florent, deflorent; vigent,

rigent ; certuq; limitibus velut carceribus gloria eorum circumscripta est. Adeò perpetua ista in omnibus rebus lex est, ut ad summum perductæ, rursus ad infimum, & velociùs sæpè, quàm ascenderunt, relabantur. Nihil publice stabile est ; tàm hominum quàm urbium fata volvuntur. Nec enim harum interitum præcavere potest vel ædificiorum structura magnifica, vel præsidiorum vis inexhausta, vel gubernatorum prudentia, singularisq; vigilantia. vel quicquid tandem munimentorum industria hominum ingenia excogitare, quicquid artificiosæ indefessæq; manus elaborare possunt. Vbi reperies hodie Babyloniam ?

Quam dicitur altam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis Urbem.

Vbi Troiam, nulla vi, nec per decennium expugnabilem ? Numantia ubi & Carthago ? Olim hæc florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta, ne rudera quidem vetera quærentibus ostendunt. Sanè

Clara fuit Sparte, magnæ viguêre Mycenæ,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces ;

Vile

Vile solum Sparte est, altæ cecidêre Mycenæ,
Oedipodoniæ quid sunt, nisi nomina, Thebæ ?
Quid Pandioniæ restant nisi nomen, Athenæ ?

Cogitanti autem mihi quæ tantarum, tamq; subitarum mutationum causa esset : tum aliæ multæ se obtulerunt, tum verò hæc non minima ; Quando videlicet in Remp. optimè alioquin tum legibus ornatam, tum etiam autoritate præstantissimorum virorum armatam, adeoq; & iure religiosissimam, & viribus contra hostium insultus validissimam, gentes alienæ seu peregrinæ recipiuntur, nec civitate solùm donantur, sed & honoribus & dignitatibus præ reliquis indigenis afficiuntur ornanturq;. Quæ res, quantò cum periculo coniuncta, imò quam certissimo exitio Rebusp. sit, etsi per tot quotidianæ experientiæ monita, perq; tot historiarum exempla latere potest neminem : latet tamen non paucos, aut certè non multos ad cautionem, hac in parte, adhibendam movet. Ita ut nulli mihi fraudi sperem futurum, si de periculo dicam, seu potiùs exitio præsentissimo, quod peregrinæ gentes ijs, in quas intromittuntur Rebuspubl. afferre solent. Et ini-

tio

tio quidem palam est, Reipubl. corpus, si primam eius originem spectamus, non externum aut alium de collectis membris corpus esse, Sed internis, ac domesticis elementis constare ijsq; per maiora subinde incrementa, per gradus ac progressiones societatum in maiores crevisse: ita quidem, ut cum primò sola esset coniunctio mariti & uxoris, postea etiam tota domestica societas coaluerit, & ex ea integra familia gentilitiæ progressæ, sic ut distinctis locis habitates deinde pagos postea oppida & urbes, deniq; provincias & regna constituerint. Nihil hic peregrinum est, nihil exotici domestica exordia, familiaria incrementa, amica augmenta, omnia intima & ex intimis. Quod si ergo, quibus res quæq; constat, ijsdem etiam conservatur: nihil profectò ad Reipubl. corpus servandum peregrinis opus est membris. Quæ, si quis adjicere velit, quid aliud fecerit, quam

Horat. de arte Poet.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, & varias inducere plumas,
Undique collatis membris: ut turpiter atrum
Desinat in piscem, mulier formosa superne?

Apage

apage à Reipubl. apage, cum horrendo isto deformiq; monstro; Vniformis illa sit, nec alienis membris turpiter deformetur. Suis sit contenta; eorum robore nixum abeneum præstabit, contraq; omnes insultus inimicorum fortiter resistendo sibi et salutem, ita gloriam perpetuam conciliabit. O incredibilem & præstantissimum virum eorum, qui in vico Hispanico, centum domibus constante, vixerunt, omnes ab uno geniti, qui adhuc vivebat, teste Ludovico Vive, progeniti! O vitam beatam! quæ cum nullis turbis conflata, turbis etiam exterorum caruit! Quid existimatis, Auditores, quæ concordia, quæ animorum, cum summa vitæ iucunditate vivebat, ab omnibus dissensionum labe immunis locus hunc inhabitarit? Nonne, si facultas daretur, una mecum talem vitam vobis deligeretis? nonne visum eiusmodi mecum incolere tis? Et meo quidem iudicio, staret sanè quicunq; vellet alio & splendidiore loco, nos dulcis recrearet quies, leniq; perfrueremur otio. Suavius est eam domum incolere, quam maritus & uxor cum liberis, cumq; servis & ancillis, aut in illa aut non procul ab illa natus, inhabitat, quippe tranquillâ & iucunditatis plenissimâ quâ cauponariâ aliquâ, quæ singulis pæne horis, ut hospitibus novis, ita metui ac periculis variis est obnoxia. Prater

quam

quam enim quod familiæ officia turbentur impediunturq; à diverteutibus, varia etiam vitia variiq; morbi inferuntur. Quæ eadem Regnis & provincijs maximis, quibus vel semel peregrini sese illatebrarunt, contingere solent. Quis nostrarum omnium Rerumpubl. status, ex quo peregrinos accepimus hospites? Novos induimur mores, inq; novas & vestium & ciborum luxus mergimur: non aliter nc si alioquin nobis vitiorum non satis domi esset, cum tamen

Plaut. Trinumm.

— —Mali mores
Quasi herba irrigua succreverint uberrimè
Nec quicquam hic vile nunc sit, nisi mores mali,
Eorum licet jam messem metere maximam.

Lans. in Consultatione de principatu inter Probinc. Europæ.

ut Comici verbis utar. Aut quasi nudi incessissemus, nisi novi illi vestificinæ reformatores accerserentur, quorũ ingeniosæ inventioni iure adscribere possumus, illa superbiæ vexilla, illos scilicet, ut illustris quidam autor appellat, thoraces vintricosos, aut omninò eviscerates, caligas follicantes, tibialia in rugas compositæ, pallia cucullis & manicis superbientia, collaria pavonum caudas æmulantia; stolas femina-

rum

rum fluentes, sinumq; multiplici nexu industrie crispatas, & circa femora farciminibus monstrosis, vel circulis ferreis, ad brachia reclinanda: aut vitium uteri celandum suffultas, capitis cirros, tutulos, & adoptivæ comæ suggestus, colli vallum, linei candoris radios, unionum auriq; non iam ornamenta, sed onera: animum vulnera & elenchos, calceos turritos, & cætera quæ vel senescens stultitiæ Schemata. Fruitur noctumis nostri homines, ne vestes suæ computrescant, si non indies atq; in horas, sit à novis illis magistris edocti, mutent, & quas manu gestare cœperunt, vesperi pro obsoletis habeant; id demum circa cultum corporis magnificum splendidumq; ducentes, quod diu splendidum magnificumq; esse non potest, ne videlicet novæ semper sumptuum occasiones desint. Nec fame credo emacerarentur, nisi novi illi culinæ magistri novas dapes, novaq; convivia, illa inquam palati irritamenta, exotica condimenta, fugatâ antiquâ frugalitate, adinvenissent; ciborumq; varietate, ferculorum copia mensas oneravissent. Quæ omnia certissima patrimoniorum exitia, evidentissimaq; ægre civitatis indicia sunt. Vnde tanquam è Pandoræ pixide, omnis generis mala agminatim proveniunt. Quid enim est queso, varijs sese ingurgitare

cibis, quàm inquinare corpus, morborumq; plurimorum causſas præbere. Tolerabilius eſt, quod quis à fame patitur, quàm quod à ſuavi illo ſuperabundantiæ blandimento. Illa brevi temporis ſpatio hominem enecare conſuevit; exceſſus verò ciborum putrefacit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna, & tandem morte crudeli conſumit. O extrema gulæ turpitudo! quæ non ſolùm mentem eſſœminat, ſed corpus enervat; non ſolùm maculat animam; ſed fœdat corpus, non occidit ſolum; ſed & turpiſſimè, nec ſine magno ſalutis vitæq; æternæ diſpendio.

Hæc ſcilicet præclara illa peregrinarum nationum inventa ſunt: quæ tantoperè admiramur amplectimur; tamq; firmiter, ne in deſuetudinem veniant, retinemus. Ignoraret hæc regio, crediderim, & licam luem; non noſſet quid Anglicus ſudor, Affricana lepra, quidve alij innumerabiles pœnè morbi eſſent, niſi ea cum peregrinis ſibimet aſſciviſſet. Videmq; hæc, videmus inquam & experimur, proh dolor! cottidiè, & tamen adhuc tam cœcutimus, ut cauſam mali eliminare nolimus. Nonne me Spectabilis Auditorum Corona, irriderес, ſi Scorpionem ad ſinum meum accedentem, non modo non excuterem, ſed allicerem; non repe-

lerem,

rem, ſed aditum aperirem? Rideres profectò, & iure quidem: nec rideres modò, verum etiam et amentem derideres. Quid verò aliud nos facimus, quàm hoc ipſum, cum peregrinos, omnis hujus mali architectos non excutimus, non ejicimus, ſed & invitamus, & ejiciendos diſſuademus? Longe conſultius olim Spartani, ut ſibi legibus moribusq; ſolis viverent, omnem civitatis ius peregrinis negarunt. Nec iniuriâ collaudatus Auguſtus, quod ſincerum absque ullâ peregrini ſanguinis confuſione ſervans populum, Romanam civitatem parciſſimè dederit; quippe ex quo corruptela morum oriretur, nunquam corrigenda. Et Helvetij, quorum tanta fuit, eſt, eritq; nunquam intermoritura autoritas, fortitudinis laus, & rei bellicæ gloria, ut maximæ etiam regnorum ſocietatem percupiant? Vnde Remp. ſuam, eum ad modum ſtabiliverunt? qua ratione tuiti ſunt? Peregrinarum, aliarumq; nationum, à quibus corrupi poſſent, excluſione. Vndè pauco contenti, luxū quem illi intuliſſent, omninò in ſuis ignorant, aut certè minimè tolerāt. Ita ut etiā teſte Philippo Cominæo cæſo fugatoq; Carolo prædā ingentē nacti, neſciverint quid cepiſſent. Tabernaculā eius lōge exquiſitiſſimū partitū fuit ab eis in multas partes patinæ argēteæ pro ſtā-

neis ſunt reputatæ. Adamantem ipſius toto orbe celeberrimum, cui erant appenſi aliquot uniones, quidam ubi reperiſſet, in pixidem reposuit, mox ſub currum abiecit, paulò poſt reverſus ſuſtulit, & ſacrifico cuidam vendidit aureo numnio: is deinde à ſui oppidi magiſtratu cui miſerat accepit aureos duos. O beata ſimplicitas! quâ ſalvâ & integrâ, ſalva & immota ſtetit Helvetiorum Reſpubl. rimam agente luxum illa paulatim amare cœpit. Cæterum quemadmodum ebrioſis contingit, ut poſt longam potationem capitis ſentiant dolores, ventriculi imbecillitates: Idem etiam per omnia peregrinorum iſtorum hoſpitum exceptoribus evenire conſuevit; per luxum enim qui ſuis iam ſunt exhauſti ſumptibus, ſuccenſent poſtea ſeductoribus, eosq; (ſed ſerò) nunquam receptos mallent; imprimis verò cum ipſos honoribus & dignitatibus ſibi prælatos animadvertunt. Inde ſimultates, odia occulta, nec rarò ſeditiones: ita ut verè dicat divinus Ariſtoteles: Gentis generiq; diſſimilitudinem, ſeditionis ſegetem & materiam continere, propterea q; ſeditionibus agitatos eſſe, quotquot unquam advenas civitate donaſſent. Experti id ſunt ſuo malo Bizantij, Apolloniatæ, Antiſſæi & Syracuſani, qui omnes ab ijs, quos

Ph. Com.

huma-

humaniſſimè receperant, in maniſeſtiſſima pericula ſunt conjecti. Quid dico de Veteribus? Notum eſt noſtrâ ætate, Scotiam validiſſimè commotam eſſe, ab ea Italorum colluvie quam Maria Regina induxerat. Et quis ignorat lamentabilem illam plusquam belluinam, quæ anno 72. Pariſiis inſtructa erat, à Catharina Medicæa Itala, eiusq; ſectatoribus & popularibus, quos ſecum adduxerat, ortam? Ab eiusmodi tandem ſeditionibus eò devenitur, ut incolæ veteres ab hoſpitibus & inquilinis ſuis ejiciantur ſedibus. Hoc ſcilicet eſt didactrum & minerval, quod illi luxuriæ & levitatis magiſtri à ſuis diſcipulis exigunt. Hoc eſt quod Wirtembergicus quidam Dux ſolitus eſt dicere: Novus veſtitus introducit novos mores; novi mores introducunt novos homines; novi homines expellunt veteres. Fabulantur, Erinaceum tempore hyemali acceſſiſſe vulpem, utq; ſe in foveam ſeu antrum ſuum reciperet, donec artus gelu contracti, priſtinum vigorem recuperent, oraſſe. Annuit, alias aſtuta, hac tamen in re minùs cauta vulpecula, eumq; recepit: Erinaceus verò ut incaluit, delectatus habitaculo, cedere inde noluit, expelli non potuit, ita ut vulpeculam emigrare, ſedemq; mutare coegerit. Et quid fabulis opus? Hiſtoriæ veriſi-

Duke of Wirtemberg


Fable of the Hedgehog

me

mè testantur, peregrinos hospites non nisi tale præmium exceptoribus suis persolvere. Cum Trœzenijs olim Sibarim augustissimam civitatem coluerunt Achivi, concordes diu ac pacati, donec in immensum aucti Trœzenios urbe plusquam Sibaritico scelere, ejicerent. Sic Apolloniatæ in Ponto Euxino tranquillam egerunt vitam, quamdiu peregrinis earum Resp. vacavit: turbatam experti sunt, postquam in hospites ingratissimos nimis pios se fuisse intelligebant. Amphipolitæ quoque, receptis Chalcidensium colonis, quid sit anguem in sinu fovere, suo malo didicerunt: Metuendum etiam nobis, ne ex tali turba turbo aliquis turbulentus nostris Rebusp. surgat: neve quos in luxu habuimus Doctores, eos experiamur abductores: aut, quorum vestes imitati sumus, eorum etiam jura jugaq; subire cogamur. Certe cum Dario vaginam acinacis Persicam jussisset mutari in eam formam, qua Græci utebantur: protinus Chaldæi interpretati sunt, imperium ad eos transiturum. Quod & illis contigit, & nobis non gratiora minatur, nisi tot alienis periculis & malis edocti tandem sapere incipiamus. Caveamus & avertamus hanc à nostris Rebusp. perniciem, quibus possumus consiliis atque viribus, neq; committamus ut nostris beneficijs malevolos & maleficos nobis comparaverimus, aut ære proprio condaxerimus, qui urbes & agros nostros horribili incendio exurant devastentq;. Nimis enim verum est, quod magnus quidam Politicus, cujus ego gemmâ orationem clausurus sum, memoriæ reliquit:

QVOD LOCVSTÆ SEGETI SVNT, ID ADVENÆ CIVITATI.

DIXI.



Ioh. Casius Sph. civ. l. 5. c. 3.

ORATIO III.

De peregrinis in Rempublicam recipiendis,

à GUNTHERO-HENRICO PLATNERO &c. habita.

ILlustrissime D. Comes, Rector Academiæ nostræ Magnificentissime, Vosque reliqui Commilitones generis prosapiæ, eruditionis excellentia, virtutumq; splendore nobilissimi, clarissimi, ornatissimiq;: Multæ, inquam præclaræ, hodie [redacted] Democriti circumferuntur sententiæ. Scita tamen illa maximè est, & in paucis; quando veritatem, opinionum onere in profundo penitus abstrusam, latere inquit. Tanta enim, protoplastorum culpâ, genus humanum damnat caligo: ut quemadmodum iumenta ad moles trusatiles alligata, illas quidem versant, cognitas autem non habent: ita nos

non hauriamur in iis rebus versemur, quarum cognitione & penitiori intelligentia prorsus destituti sumus. Vnde accidit, ut nulla opinio tam absurda, tamq; ab omni ratione aliena sit, quin suos habeat, veluti sectatores atque adsectas, qui sæpe non aliter veritatem, atque apud Poetam Venus suum Æneam, nubibus involvunt atque nebulis: Ad quam caligimem discutiendam, & mutationum Sole nobis opus est, sine quo omnis, nostra in hoc studio & studiosa literario diligentia, mera quædam erit Andabatarum dimicatio. Illarum igitur beneficio, antiquissimam & nobilem illam quæstionem: Num peregrini in Rempub. recipiendi sint, in veritatis lucem vindicare possumus, teste abiimus. Audistis autem modò & procul dubio calenti teneris memoria, Illustrissimum Dominum COMITEM, oratione

Docta Jupiter & laboriosa,

Id est, tanto tanti Heroïs filio digna, omnes peregrinos non tantum à sella curuli, & fascibus, verùm etiam inferioribus subsellijs, imò ipsis finibus & terminis Reip. exulare iussisse; A cuius Illustri & generosa magnificentia cum ego diversum sentiam, rationesq; divertendi oratiuncula hac quali quali in medium proferre, vestroq; acutissimo limatissimoq; subijcere

iudicio, constituerim; vix invenio, quomodo subterfugere possim quin illius Illustris & Generosa Magnificentia dicam mihi scribat, & immodestiæ causam agere iubeat. Iamq; mihi ut olim Socrati præsente Phædro amorem ve-
tuperaturo, obvoluto capite perorandum esset nisi tua, Illustriss. magnificentissimeq; Domine Comes plus quam humana humanitas; vestra que Collegæ & auditores nobilissimi, clarissimi, ornatissimiq; sublevaret benivolentia. Quo igitur PAVSTVM ET FELIX SIT, iacta esto alea; intrabimus aream huius Circi & pro viribus, quæcunq; etiam fortuna exceptura sit, desudabimus. Tu ô Sancte æterne DEVS dirige mentem linguamq; dicentis, ut huc pro veritate susceptâ pugnâ feliciter confecta latum & theatricũ illud ἀνδρείως καὶ καλῶς lato hilariq; vultu pronunciare possimus. Vos quoq; qui in Orchestra huius literarij theatri spectatis, adeste & benevolentiæ vestræ favores mihi animumq; fuscitate.

Atq; ut inde nostra proficiscatur oratio, diligenter advertendum esse arbitror, ijs potissimum rebus politias sive Respub. conservari atque augeri, quibus olim existere cœperint. Omne enim principiatum (ut ita loquar) naturam sui principij & sequi & sapere ex prima philo-

sophia ea quæ est in humanitate iam dudum fit. Et profecto quemadmodum helitropium natura sua semper obversum est soli: ita hæc sublunaria ad sua principia. Ut sum-
mus ille subtilitatum Prometheus Scaliger, & Exerc. 38.
Esse & conservari eidem principio eidemq; auctori acceptum ferendum merito prædicat. Quod si igitur Conservatio nihil aliud est, quam existentiæ continuatio, irrefragabiliter inde sequitur, Resp. earumq; civitates, vel ad-
ditis incrementis vel facilius augeri, vel conservari firmius, quæ illis ipsis, quibus ortæ sunt, principijs, videamus autem Politici sive civi-
les non ex uno aliquo hominum genere aut homogeneo quadam societate principijs coaluisse, sed contrario ex variis undique confluentium hominum turba collectas. Cum enim adminiculis ad sufficientem conservationem sui & singuli destituantur, & universi indigeant: omnia autem ista quæ ad bene vivendum necessaria, ex uno genere hominibus capi non possint, quis non videt, ab omni ævo & pacis & præsertim belli tempore, hac à peregrinis convocata? Et inde est, quod Phœnix ille philosophorum Rempub: definiat, quod sit multitudo collecta, cui ad bene vivendum omnia suppetunt. 3. Polit. 6.

Multi-

I. de Orat. Multitudinem vocat Aristot: quam Romanus sapiens cœtus collectos. At multitudo ista quomodo collecta, si ex uno aliquo hominum genere? Quomodo copiosa & ad bene vivẽdum, (ut enim ei est finis) valida satis si ex paucularum familiarum semper prognata? Dicat mihi aliquis —— & phyllida solus habebit. Sed tandem: à ruta ad puleium; & ne tantum vanis persuasiunculis vobiscum agere videar, ipsam veritatis lucem videque magistram videamus historiam, & quomodo ista plena cera nostræ subscribat sententiæ, intelliget. Proda tu Græcorum nobilissime Thesèu! dic qua ratione Athenas tuas tam populosas, tamque florentes reddideris? Proda tu Imperatorum invictissime, terror quondam orbis terrarum, nunc admiratio, Alexander; dic, quibus artibus Alexandriam tuam tam celebrem & claram effeceris? Proda tu Gallorum prudentissime Ludovice II. da quibus modis Burdigalensium tuorũ fortunas tam splendide tamq; feliciter amplificaveris? Tu quoque ocelle civitatum, totiusq; Angliæ corculum Londinum prodi, & dic, per genium te quæso, an unquam tantis opibus, tantaque multitudine affluxeres, nisi Richardus Rex Angliæ immunitate etiam proposita, quosvis peregrinorum

Bodin. l. 3. Pol. c. 7.

Tull. II. de Orat.

Plutarch. in Thes.

Ioseph. 3. bell. Iud.

Vide Poerium. 1. Cum celeber. de cis. 13.

Iohã. Bodin.

ad

ad tuæ urbis vocasset? Tu tandem quam primo loco posuisse debebam, caput quondam & commodum mundi, Roma prodi; prode quæso, tuæ immanabula! an non colluvies, & confluxus omnium gentium te ex Asilo Romuli pervia? quamne collectâ totius orbis multitudine vires tibi fecisti, atque robur? Annum remotissimæ totius orbis terrarum partes suis hominibus tuum auxerunt atque firmaverunt imperium? Certe hanc & unicam totius mundi civitas, & communis omnium dicteris patria. Et merito id tibi quippe.

Liuius l. 1.

Sidon. 1.

Rutilius.

Fecisti patriam diversis gentibus unam.

Urbem fecisti, quod prius orbis erat.

Simil. à mari

Videtis ex his atque intelligitis, Respub. sive civitates Oceano cuidam non dissimiles esse. Quemadmodum enim ille sine fluviorum affluxu nunquam in justam maris speciem excrescere posset: ita neque civitas absque peregrinorum confluxu. Ex quo, peregrinos non tantum civitatis limitibus non arcendos, sed illis confessationem hospitalitatis, ut alicubi vir sanctus loquitur, omnium civilium immunitatum privilegia benigniter humaniterq; deferenda esse tam liquido apparet, quam solis ra-

Tertul. de præscrip.

dii

Recipiebat hospites. Volebat hic Deo

dij esse solent cum sudum est. Et quemnon cum insuper naturalis æquitas id suadeat: civilis iustitia approbet; divini vero iuris maiestas omnino etiam exigat. Nemini siquidem vestrum ignotum esse arbitror, quanta severitate Divina Maiestas advenas pietati nostræ commendet. Certe non tantum late & hospitio illos iuvandos, non tantum in civitatis album recipiendos, sed & insuper non secus atque cives omni humanitatis officio prosequendos severo sancitum mandato in Pentateucho Moysis extat edictum. Quem & ipsa Natura idem docere videtur. Cum enim illa nos homines esse voluerit: non salsugines simus & atræ bilis; sed humanitatis studiosissimi mutuis officijs nos invicem amplectemur. Quid vero inhumanius, quàm peregrinum non admittere? quid inhonestius quàm advenam repellere? quid turpius, quàm hospitem ejicere? Nec fera feram expellit si Ambrosio fides; Et nos qui humanitatis cāditati, & quod gravius, Christiani etiam audimus, adeò omnem pietatem atq; hominem exuimus, ut nulla nobis verecundia sit, & hospites ejicere & advenas repellere. O Cyclopicam & Læstrigonicam inhumanitatem! ô sylvis & solitudinibus etiam execrandā feritatem! ô turpitudinē non iam Lacrymis sed sanguine eluendā! Humaniores essi

Exod. 22. & 23. Levit. 19. 2 Mahera

3. Offic.

Chri-

Christianis Ethnicos! Mitiora hominibus animalia! Pudet pigetque nostratium hominum, patres Romanos intueor. Hi certe peregrinum civitatis suæ nequaquam clauserunt: imo, quod verior, honorum etiam atq; dignitatum portas quibus apertas ac patentes esse voluerunt, Mores civesq; non patrias fecerunt. Quid frontem trahitis? Vera hæc, & ex fide. Qui Municipes olim fuerint ex Agellij noctibus, quæ veteres luces cum magno Tyrocinio luxerimus, scire vos arbitror. Dicit hu ic habet Pythagoras ille ICtorum, Vlpianus, quod numera cum civibus Romanis facerent. Quid tu Vlpiane? cum civibus Romanis Municipes fecisse numera? et qualia illa? patrimonialia arbitror, & personalia. Cives igitur eos fuisse oportuit, cum nemo dubia rei & onus sentire debeat qui non itidem commoda, & est apud Paulum. Sed quid multis? cum Agellius dicto loco & alij alibi disertim eos inter cives Romanos censeant. Ad senatorium autem culmen Municipes quoq; virtutis suæ scalis adscendisse, commode ex L L. nostris probare me posse videor. Et gratias sit tibi Hermogeniane, quisam oportune te mihi offers quando inquis; Municipem ad Senatorium evectum dignitatem municipem esse desinere. Gratias tibi sit

Paule,

50 Exemplis

L. 16. §. 12. De Rebus dub. ligna: glos. 11.

L. 1. ff. ad municip.

l. secundum naturam ff. de reg. iuris

l. 23. ff. ad munic.

Senator. ff. de Senator.

Sub Tit. ubi Senatores. ff. de munerib. l. 11. §. & ſi.

Paule, quo tam firmiter iuras, & ſenatores non tantum ex municipijs, verùm ipſis etiam coloniis, oriundos in alma urbe agnoſcis. Ita ſane diu Valentis usque & Gratiani tempora hæc duraſſe, non obſcurè quis ex illorum Edictis, quæ habentur in Codice noſtro, colligat. Modeſtinus denique legem illam, quæ præſcribantur in honoribus certæ conditionis hominibus, nititur referri ad ſcia dedoleſſe auctoritatis animorum, ætatis, opes, patria & reliquæ fortunæ potius quàm animi ſubſidia, cum demum ſpectentur, ſi idonei haberi poſſint homines; alioquin nihil vel paupertatem vel iuventutem vel patriam obſtare poſſe. Et hæc ita & illius & retrorſiore ſæculo obſervata faciſſe nemini vel mediocriter ſaltem in hiſtoria Romana verſato ignotum eſſe poterit. Magna hæc in peregrinos Romanorum humanitas dicam an prudentia? & eò clarior, quod non pauculis quibusdam parciproma manu fuerit appenſa, ſed in plurimas ſæpè regiones toto hoc orbe diviſa & diffuſa. Sabinos certè uno fœdere omnes civitate donarunt: Volſcis verò, Tuſculanis & Arpinatibus, quaſi parum eſſet in civitatem recepiſſe, ius etiam ſuffragiorum communicarunt. Cæſar ille Iulius hoſtis alias, & oppreſſor Romanæ libertatis acerrimus, non ſa-

lem non ex ciuilium legionem civium virtutibus auxit. Cuius per veſtigia Auguſtus, & alij Imperatores, progreſſi ſunt, ut longo non catalogo percenſere poſſem, ſi quam facile, ſi neceſſarium arbitrarer. Vnus Antoninus non preſſus, qui unus Vlpiani Edicto vindicta, quotquot in orbe Romano erant homines in libertatem, civitatem Romanam vindicavit. Vlpiano ipſo. Sed hæc obloquentes mihi audio? In Senatu Romanum poſtea quam peregrinis ſententijs, & Graculi ſenaſtellam ſaltim aperuiſſet, volut agmine facto tota vitioſorum hominum examina ſeſe inculiſſe, quibus poſtea rum ſcens atque ab eum à ſuis canibus, aut vi- a ſua parte, lacerata atque exeſa fuerit. Vetus iſt hæc est cantio, ſcio, & non nemini exciſis, Senecæ cumprimis, & Iuvenalis decantata. Sed verior illa vox: Romam non periſſe, quod eſſet Receptaculum peregrinorum, ſed quod vitiorum nutricula. Tunc enim inclinare faſtigium, & magni ſui lapſus præſentiſcere ruinam cœpit, cum ſentina omnium vitiorum referta, Herculem, qui Angiæ iſtud ſtabulum perpurgaret, pati non poſſet. Et, per Deum immortalem, quèi lapſus Romanæ Reip. è peregrinorum receptione eſſe potuit; quæ & illis, & hodienum noſtris civitatibus maximum

semper fructum, & utilitatem non contemnendam attulit. Hæc enim tantum abest, ut bonorum morum urtica sit; ut potius malorum sit medicina. Agite enim & animi sultim oculis hoc universum meum perlustrate! Nullam videbitis hodie gentem tam cultam esse, quæ olim barbara fuerit & horrida. Vnde igitur illis morum nitor? nisi ab extero aliquo sole? Tu Regina gentium & medulla orbis terrarum Germania, fera olim & barbara, unde tibi tantæ humanitatis laureola? nonne ex Romanæ virtutis naufragio? Tu Gallia, ferocissimarum gentium quondam nutricula, nonne ijs ipsis in aris, quibus olim Hersilo & Saturno tuo tuam ipsius subolem (prō immanitatem!) mactare solebas, Gratijs litare & Charitibus à Romanis didicisti? Tu Britannia, barbarorum olim, non hospes, sed genitrix; quam non hodie gentem humanitate provocas & leporibus? Tu Polonia, tu Lithuania, tu Livonia, spelunceæ quondam, & Cyclopum latibula, cui quæso culturæ debetis vestræ prætoria: nonne Westphalis mercatoribus? Vos Hungari & Illyrici universum Pannones, unde vobis, quam iam habere videmini morum suavitas, nisi à Germanorum Italorumq; fide? Vos Scythæ, vos Tartari, vos Arabes, & reliqui, non-populi; sed

feces populorum, & utinam melior aliquis vos DEVS reduceret! & utinam pacis amore tacti nobilem Europæ splendorem vestris interni tenebris patefaceretis! ab quam brevi, humanitatis illo sole, quæso, vestri incalescerent? quam brevi vitiorum vestrorum macula hæc morum claritate tale? In sole qui ambulant, colorem ex eo trahunt: quidni illi barbari etiam ab humanitatis & virtutis fulgore trahere aliquid possent. Nec vero hæc ita à me disputantur, quasi vel totam aliquam gentem, vel quosvis promiscue recipi debere existimem. Recipiantur qui iuvent potius quam destruant, quique ita augeant Rempubl. ut nec numero & potentia malas æquent, neq; vitijs suis virtutem illorum superent expugnentq;. Recipiantur unde sperari possint utilia commercia, unde pecuniarum collectio, unde subolis fœcunda copia civiumq; frequens numerus, ac vires ad militiam: unde auxilia in dubijs, in adversis suffugia. Quod cum non intelligerent Spartani, exterorum nemini civitatis suæ portas patere voluerunt, brevi igitur viribus exhausti, exterarumq; gentium auxilijs destituti funditus interierunt Xenophontis testimonio. De Resp. Spart.

Melius consultiusq; nos agamus: Parcamus tam impiè homines repellere, tam inhumaniter advenas abigere, tã turpiter hospitè eijcere. Parcamus culturæ & bonis morib. ianuã claudere

& fores ; Parcamus eorum contemnere fœdera, quorum olim nobis salutifera esse poterunt auxilia : Parcamus eorum spernere amicitiam qui nostram sublevare poterunt inopiam. Sed iam ipsa oratio veluti Pallas Homerica mihi minum mihi immittit, & tandem ad metam properandum inclamat. Faciam igitur quod olim in Circensibus agitatores, & septimum ingressus circum

Stat. 8. Theb. Ovidius.

Cum jam in fine viæ summum victoria tutat,
Fortius admissos loris agitabo jugales;

ut tandem ad metam perveniamus, quam iam teneo : & finem dicendi facio, si Vos Commilitones nobilissimi, clarissimi, ornatissimi, Te adeo inprimis Illustriss : D. Comes ac Rector Domine clementissime, prius rogavero, ut si forte minus ornate aut copiose à me dictum sit, quam vel vestri splendoris dignitas, vel ipsius materiæ postulabat gravitas, non tamen idcirco meum veritati patrocinandi studium improbetis. Quod ut faciatis maiorem in modum ea qua par est humili devotione peto & contendo.

DIXI.

Ad

Ad LECTOREM

Admonitio.

QUÆ legisti hactenus, Benevole Lector, *exercitij gratia, & animi potius caussa, quàm ex animi sententiâ dicta esse memineris. Ideoq; nec* Senatusconsultum *aliquod Romanum, nec gravem aliquam & sine provocatione definientem Imperii Sanctionem, ab ætate nostrâ juvenili, & parietibus privatis expectes.*

Judicis officium est, ut res, ita tempora rerum.
Quærere : Quæsito tempore tutus ero.

Ex Bibl. Com. F. Szecha.

2.

Thurzó Imre, Rectoratus academicus, id est, orationes, quas ... rector ... officij caussa publice habuit, Wittenberg, 1616.

Illésháziana
Bibliothecae
Dubniczensis.

KÖNYV-TÁRA

BAK III.
1185/1. példa. Telly.

RECTORATUS
ACADEMICUS,
id est,

Orationes,

Quas
Comes EMERICUS
THURZO de Arvva; &c.
RECTOR hactenus Academiæ VVittebergensis &c.
officij caussa publicè
habuit.

WITTEBERGÆ,
E Typographéo Johannis Richteri,
ANNO M. DC. XVI.

M. N. MÚZEUM
KÖNYVTÁRA

SERENISSIMO POTENTISSI-
MOQ; PRINCIPI AC DOMINO;

Dn. JOHANNI GEORGIO,

Saxoniæ, Iuliæ,

Cliviæ, ac montium Duci, Sacri ROM. IMP. Archimarſchallo & ELECTORI, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Burggravio Magdeburgenſi, Comiti de Marca, & Ravensburg, Domino in Ravenſtein, &c. Domino ſuo clementiſſimo.

Itemq;

ILLUSTRISSIMO

Comiti ac Domino,

Dn. GEORGIO THURZO DE

Bettlemffalva; Comiti de Arvva,

Ejusdemq; Comitatus Comiti perpetuo &c. Regni Hungariæ Palatino, Judici Cumanorum; Sacratissimæ Cæsareæ, ac Regiæ Majestatis Intimo Consiliario, & per Hungariam

LOCUM TENENTI,

Domino PATRI suo carissimo:

Humilimè

Dedicat, consecratq;

Comes Emericus Thurzo, de Arvva; &c. Academiæ VVittebergensis hactenus Rector.

Nihil

Nihil in vita hominum, vitâ est gratius, nihil antiquius, nihil quod æquè omnes, & amemus impensius, & tueamur studiosius. Adeò quidem, ut senes sæpè inviti, & ægerrimi quiq; ægerrimè illinc emigrent. Tanti nimirum VITA habetur, quæ tamen cum reliquis animantibus nostro generi communis est, & brevissima, ęrumnosissimaq;. BONA vero VITA quæ hominis & propria, & æterna possessio est, vulgò ita negligitur, ut à multis etiam lõgè spernatur:

quippe quibus potius curæ eſt, ut diu vivant, quàm ut benè. Secus quàm in comedijs fit; de quibus non quæritur quàm diu ſint actæ, ſed quàm benè. Certè quemadmodum cœnam, quantumvis longam, nemo probat, niſi & bonam: Ita nec vita quamvis longiſſima, niſi bona etiam ſit, vitæ nomen, laudemq; meretur. Vidit id Illuſtriſsimus Dominus Parens meus, qui cum lucis hujus poſt DEUM immortalem auctor mihi extitiſſet, non ſatis eſſe cenſuit ſi viveret ſibi filius; ſed & ut benè viveret, voluit, omnique cura & ſum-

ſumptu curavit. Quam pietatem SERENITAS veſtra, ELECTOR Potentiſsime, Domine clementiſsime approbavit adjuvitq; benigniſsimè; dum non ſolum ex ditionum ſuarum ſcholis illuſtribus in Hungariam miſit, quorum ſedula & fideli informatione proficerē: ſed & meipſum tandem in Academiā ſuā recepit, receptum Patribus conſcriptis erudiendū commendavit, ſummisq; tandē in Republica illa honoribus auxit atq; decoravit. Ingentia hæc ſunt beneficia, & omninò non cōpenſatione tantum mea, ſed & cogitatione

tione majora, iccircoq; paucis hic potius attingenda, quam multis attenuanda. Ingentia ſunt, & ſupra omnem gratiam ſive habendam ſive agendam. Ita ut æternùm debere cogar; imò & lubentiſsimè velim, cum digna reddere nunquam poſsim. Quam debitionem ut aliqua interim quaſi penſiuncula profitear, SERENITATI VESTRÆ, Elector Potentiſsime, Domine clementiſsime, veſtræq; Illuſtriſsimæ Celſitudini, Domine Pater cariſsime, Tabellam hanc offero, qua non tàm ſtudiorum meorum rationem,

nem, quàm animi ſubjectiſsimi debitam gratitudinem, & ad ſervitia quævis humilimè præſtanda paratiſsimam ſemper promptitudinem, patefactam teſtatamq; volo. DEUM veneror, ut tantos Benefactores mihi, imò Germaniæ & Hungariæ, univerſæq; Chriſtianitati ſalvos diu & incolumes præſtet. Wittebergæ Cal. Maij Anno cIↃ. DC. XVI.

I.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΑ

AD

ILLUSTREM ET MAGNIFICUM

Dn. Comitem EMERICUM

THURZO de Betthlemffalvva, Comitem perpetuum de Arwa &c. Academiæ Wittebergensis hactenus RECTOREM &c.

QVis mihi quis voces, cantusq; tubasq; canoras,
Quis lituos dederit, totus quibus insonet orbis
Laude mei Comitis? tende ô mea buccina vires
Tende tuas, montesq; omnes, nemus omne, fluenta
Omnia, quâ mundi patet orbita triplicis, imple,
Audiat ipse Helicon, sedes antiqua sororum
Parnassusq; virens & Castalis; audiat Albis:
Sic Comes est meritus, qui se vulgaribus auris
Subtraxit, qui virtutes & fortia facta
Imbibit Heroum: Suadæq; volumina versans:
Non rarò egregium specimen virtutis & artis
Numinis auxilio profert in luminis auras.
Hunc dulcis pietas, virtus, Themis aurea, Phœbus,
Condecorant: hic Magnatum volitare per ora,
Et solidæ didicit præconia quærere famæ.
Non secus atque arbor fœcundo stemmate ramos
Explicat, & blandas sua brachia tollit in auras:
Sic tu *Thurzo Comes*, decus immortale tuorum,
Excutis occultas generoso pectore dotes,
Quas non ulla dies abolebit, nulla vetustas.
Salve, vive, vale: tua te Comes optime, virtus
Evehat aurato longè super æthera curru:
Lethæis virtus nunquam sinat incluta facta
Fluctibus immergi: tenebrisq; obvolvier atris.

Animo ad obsequia & studia quacunq; paratissimo, adponebat
Johannes Osztrozit de Ghylethinez & in Ilavva &c.

II.

SI sermo est index animi, si mentis imago,
Si, quod in occulto est corde, latere vetat:
Prudentem doctamq; *tibi mentem esse necesse est,*
Quam prudens *adeò* doctaq; *lingua refert.*
Si sermo est index animi, si mentis imago:
Crede quoq; ex animo dicier ista meo:
Vive, EMERICE COMES, longùm, patriæq; superstes
Pectoris ac linguæ viribus affer opem.

Franciscus Paczoth de Beki, & in Nagy Tharkany.

III.

SAlve EMERICE Comes: nam Te, præſagio, ſalvo,
Salvebit pietas, & pietatis honos,
Docta, puto, tersè fandi pollentia: rarum
In Juvene exemplum, rarius in Comite.
Scilicet, ut fulvo ſpectatur Jaſpis in auro:
Sic Tua prælustri in ſtemmate docta Charis.
Perge ita: vix ſimilē Tibi nutriet Hungara tellus,
Qui Patriam doctâ Nobilitate juvet.
Ipſe ego dum vivam: meus & pro-filius ille,
Dicemus, ſalve; Salve EMERICE COMES.

Obſervantiæ & memoriæ ergò
f. Witteberga
Fridericus Balduinus D.
d. 3. April. 1616.

IV.

THURZO *tuam ut plaudens audit* ACADEMIA *Suadam*,
Mox ait; O ſalve, qui Novus Hoſpes ades!
Dixerat, & ſubitò prelum parat, imperat: Ede
Come mei COMITIS proloquium, ede foràs.

En

En dictum, factum! Prodit THURZONIA *Suada*,
Prodit, & acclamant pulpita cuncta Scholæ:
Vivat THURZO COMES, vivat! ſit adorea PATRI,
Sit clypeus Patriæ, ſit Pater ipſe Bonis.

Ita vovebat ex animo
Balthaſar Meiſnerus D.
anno
HVngarIaM ConſerVa ô DeVs.

V.

SExtus abit Menſis, COMES ILLUSTRISSIME, qvando
Exhibuit privæ præclara exempla palæſtræ
SVADA Tuæ. Nunc publicitùs Te Diva theatro
Siſtere non verita eſt eadem. Stupuêre Senatus
Leucorei Patres: ſtupuit ſtudioſa Juventus.
Et proſc Tibi qvisqve, ſuo benè-fauſta precatus
Fata animo, egregiam de Te ſub pectore fixam
Spem fovit, ſimul atqve in tàm juvenilibus annis
Audijt orantem doctaq; graviq; Minervam:
Det DEUS, ut qvem nunc commonſtravêre Lycei
Leucorei faſces, divinis dotibus auctum;
Pannonis hunc olim PATRONUM ſentiat ora.

ita vovet
M. Erasmus Schmidt, Grac: & Mathem:
Profeſſor, & Alumn: Elect: Saxon: Inſpector Witteberg.

VI.

TE, *Comes Illuſtris, quo non generoſior alter,*
Magnificum celebrat Leucoris alma DUCEM:
Te, ORATOREM, *quo non facundior alter,*
Et ſtudioſa cohors audijt, & ſtupuit:

Te DISSERTANTEM, quo non argutior alter,
Theologi experti, Philoſophiq; probant.
Ergo quæ DEUS ampla dedit dona, augeat, ornet:
FORTIS UT ÆTERNUM SIS DECUS HUNGARIÆ.

Jacobus Martini Logices & Philoſophiæ Practicæ Prof. P.

VII.

HOſtiles quicunq; ardet populare catervas,
Martiaq; in capto ponere caſtra ſolo,
Atq; humeros grato reſperſus pulvere belli
Inter laurigeros ire ſublimis equos;
Ante leves ſimulat pugnas, & prælia ludit,
Diſcit & in parvâ, maxima bella, caſsâ. (terni
Tu quoq; THURZO Comes, *Commilito Magne*, Pa-
Quem ſpectant faſces, & decora alta manent,
Volſellis primò pugnâſti in pulvere, ut enſes
Jam demiretur publica arena tuos.
Atq; ad noſtra prius finxti ſubſellia linguam
Qua poſſet quondam Patria tota loqui.
Ita voveo fortiſſima, ſed & afflictiſſima Hungaria.

M. Jeremias Spiegelius; Oratoriæ Profeſſor Publ.

Dis

IIX.

DIs orte Heroum ſanguis, ſpes THURZO, tuorum,
Soſpite quo felix Patria ſemper erit,
Deſine tantarum præconia poſcere laudum,
Et nomen noſtris quærere carminibus.
Non opis externæ, non quæſitæ indiga laudis,
Sola tibi virtus omnia THURZO tua eſt.
Carmina ſufficiant multis, tibi tota Pyrene
Non ſatis, & quantum Caſtalis unda fluit.
Cœpiſti ſuprema alijs quò finis: & ante,
Quàm tibi ridentes flora juventa genas
Veſtiret, metam ecce! tenes, & præmia ducis,
Quæ poterant pauci vix tetuliſſe ſenes.
Si JUVENIS tot ſerta meres tantasq; coronas,
Non HELICON ſat erit, tota & IDUMA ſeni.

Auguſtus Puchnerus Poëtic. Profeſſor P.



Pro-

PROGRAMMA PUBLICUM QVO INVITABATUR JUventus ſtudioſa ad Statuta Academiæ auſcultanda...

RECTOR ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS

COMES EMERICUS THURZO DE BETHLEMFFALVA, LIBER AC HÆREDItarius Comes de Arvva, Ejusdemq; Comitatus Arvenſis ſupremus ac perpetuus Comes &c.

MIrari aliquis non immeritò poſſit, cur præceptum DEUS de frequentiſsimè repetenda Legis ſuę lectione ac meditatione aliquoties iterare atq; inculcare voluerit. Verba hæc, inquit Deut. VI. v. VI. Quæ ego vobis hodie præcipio, in corde habetote, & filijs veſtris inculcatote: de his domi belliq;, de his cubantes ſurgentesq; loquimini: Hæc manibus veſtris inſignia alligatote; hæc inter oculos frontalia habetote; Hæc domorum veſtrarum poſtibus, & portis veſtris inſcribitote. Ejusdem libri c. XXII. v. XII. lex de fimbrijs in quatuor angulis veſtimentorum faciendis breviter repetitur; quã legem Num. XV. v. XXXIIX. & ſeqq ita traditam legimus: Admone Iſraelitas, ut in poſterum fimbrias in veſtimentorum ſuorum limbis faciant; ut eis videndis omnium præceptorum DOMINI recordentur, nec ſequantur cogitationes ſuas, ſed magis præceptorum DOMINI memores, ea faciant, Deoq; ſuo ſancti ſint. Verùm enim verò novit Deus, quale figmentum homo ſit, ejusmodi ſcilicet, quod omnem animi cogitationem & conatum, omniaq; ſtudia inde à pueris ad deteriora, in dies ſingulos conferat. In primis verò ita comparatum eſſe ingenium hominum, ut quemadmodum illa, quæ ad oculos non revocantur, neq; in uſu ſunt, neq; manum quotidie tactumq; patiuntur, facilè periculum ſitus adeunt: ita quicquid frequens cogitatio exercet ac renovat, id memoriæ nunquam ſubducatur, quæ nihil perdit, niſi id, quod

quod non ſæpè reſpexit. Itaq; gratiæ ſemper agendæ Deo qui nihil prætermittit, ut nos in via veritatis retineat; & ſi quando aberravimus, ut ſanè aberramus ſæpiſsimè; clementer nos revocat ac reducit. Cæterùm illud quoq; conſideratu digniſsimum, quòd cùm Deus in omnibus Decalogi præceptis ſingulos, non plures appellarit, quaſi ad unum hominem ea dirigantur, ut magiſtratus ac ſubditos, primos imosq; inter ſe exæquaret: De hujus præcepti obſervatione peculiari lege Reges commonefacere voluit, cujus legis verba ſingula, ſi ſapiant, in auribus Principum tonitrua eſſe præclarè Joannes Saresberienſis ſcribit. Extat a. illa Deut. c. XVII. v. XIIX. & ſeqq. Poſtquam ſederit Rex in ſolio regni ſui, hanc ſibi legem, accepto à ſacerdotibus Levitis exemplari, in volumine deſcribito, eamq; apud ſe habeto; omnibusq; diebus vitæ ſuæ legito, ut diſcat Dominum Deum ſuum timere, omnibusq; hujus legis verbis atq; inſtitutis pareat. Regum utiq; & magiſtratuũ geſta, virtutũ incitamenta; & quot illorum verba, tot morum inſtitutiones ſunt. Ut ergo legendę ſine intermiſſione legis laborem & exercitium nemo ſibi molestum exiſtimet; exemplum univerſis proponitur ipſius Principis, qui legem & quotidie & omnibus diebus vitæ legere jubetur, quaſi qua die legem non legerit, ea non dies ipſi vitæ, ſed mortis ſit. Tum enim magiſtratus officio ſuo laudabiliter funguntur, cùm in ſplendore publicæ dignitatis memores ſunt propriæ conditionis, & ſic attendunt propriæ conditionis ſtatum, ut non devenuſtent publicæ dignitatis gradum. Hujus legis conſiderationem dubium non eſt, quin ante oculos habuerint illi, qui ſtatuta in communitate ac ſocietate Academicâ magiſtratui Scholaſtico non minùs, quàm ipſis Scholaſticis religiosè ſervanda tradiderunt. Obligatum enim cujuslibet ſemeſtris Rectorem volunt, ut indicto per publicum programma Scholaſticorum conventu, tum recitanda & prælegenda curet Univerſitatis ſtatuta, quibus diſcentium præcipuè vitam, moresq; & actiones gubernari voluerunt; tum orationem inſtituat partim ante ſtatutorum prælectionem, partim poſt eandem jam peractam, tempori præſenti & muneri ſuo convenientem & accommodatam. Cùm ergo ante oculos nobis obſerventur non ſolùm

lùm ſtatuta Fundatoris Academię hujus, Principis laudatiſsimi; verùm exempla etiam eorum, qui ex Principum, Comitum, Baronum, & Profeſſorum publicorum ordine ad clavum hujus Academiæ ſedentes, nihil iſtius legis obſervatione habuerũt antiquius: Decrevimus craſtino die, Chriſto proſperante, muneris nobis demandati hac in parte officio pro virili ſatisfacere. Qua in re etſi ſolam hanc ſignificationem ſatis momenti habituram confidimus apud univerſos & ſingulos, qui jurisdictionem agnoſcunt Academicam, ut ad auſcultanda & Statuta, & ea, quę in medium à nobis proferentur, cras hora IX. in Auditorio Collegij D. Friderici maximo, frequentes adſint: Tamen ita ſibi perſuadeant ſinguli velimus, quantò prolixiùs & cumulatiùs obſervantiam erga Fundatorem laudatiſſimum in hoc officij genere ſuam declaraverint; tantò id nobis gratius & honorificentius futurum. P. P. Menſis Decembris die XVII. Anno Chriſti M. DC. XV.

ORATIO

ORATIO
Habita publicè in Auditorio Theologorum, antequam leges Academicæ recitarentur.

d. 18. Octobr. Ann. 1615.

Superioribus diebus, cum Reverendorum, Clariſsimorum, & Excellentiſsimorum Dominorum Profeſſorum autoritate, injũctum mihi Rectoratum obire inciperem; memini Excellentiſsimum item, & Conſultiſsimum Virum Dominum Vilhelmum Förſterum, Rectorem emeritum, Studioſam Juventutem quàm fideliſsimè diligentiſsimeq́ cohortatum: Si tranquillitatem, ſi libertatem, ſi dignitatem, ſi ſalutem denique & ſuam & publicam charam haberet, ut,

ut, quæ leges, & ſtatuta à Sereniſſimo noſtro Magiſtratu ſanctiſſimè atq; prudentiſſimè ſancita ſunt, eis morem gereret, vitamq; ſuam omnem accommodaret. Quam cohortationem etſi non prætervectam eſſe aures veſtras, ſed in animis plerorumq; inſedisſe, ſciam: Facere tamen pro meo erga vos amore, nec potui, nec per Academiæ noſtræ conſuetudinem debui, quin etiam quæ de legum autoritate ſæpius repetita memoriæq; veſtræ infixa ſunt, confirmarem, penitiusq; inculcarem. Quamvis per vos ipſos etiam ſciatis, ſine his nec domum ullam, nec civitatem, neq; gentem, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum naturam omnem, nec ipſum mundum, poſſe, *Quippe qui & ipſe corrueret, niſi divina mente, certaq; ratione ac lege aſtrorum ordines, anni tempora, dierum noctiumq; viciſſitudines, menſium temperatio, quæq; uſui ac voluptati humanæ gignuntur, regerentur, ac diſpenſarentur. Equidem ſi natura humana, boni quàm mali eſſet appetentior, poſſemus fortaſſis legibus carere; quemadmodum nec opus haberemus medicorum auxilio, ſi non eſſet cum morbis colluctandum. Ut vero luxum conſecuti ſunt morbi, morbos repentina mors, cujus deinde metu*

tu Medici quæſiti ſunt: Ita morum vitioſitas legum ferendarum neceſſitatem attulit. Quæquidem medicina tanto præſtantior eſt eâ, quam vulgò Medici noſtri profitentur, quanto anima humana corpore, & organo ſuo eſt nobilior. Illa enim circa terreni corporis curationem occupata eſt, hæc verò cæleſtem planè ac divinam particulam auræ à corruptela defendit. Illa, quod mortale eſt, non eripit morti, ſed ſervat diutius traditq; validius: Hæc verò quod alioqui periturum erat in æternam famam vitamq; aſſerit. Itaq; etſi utriusq; neceſſitas & utilitas eſt maxima: major tamen ejus eſt, quæ majoribus periculis obnoxiam animam ſervat. Senſus enim corporis humani, non parens, non nutrix, non Magiſter, non Poeta, non Scena depravat, non multitudinis conſenſus abducit à vero. Animis omnes tenduntur inſidiæ, vel ab iis quos modò enumeravi, qui teneros & rudes cum acceperunt, inficiunt, & flectunt ut volunt: vel ab ea, quæ penitus in omni ſenſu implicata inſidet, imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium: cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona ſunt, quia dulcedine hac, & ſcabie carent, non cernimus ſatis. *Rectore*

ctore igitur hic opus est, illa scilicet vitiorum emendatrice, commendatrice virtutum, LEGE: cujus autoritate doceamur, domitas habere libidines, coercere cupiditates; nostra sic tueri, ut ab alienis mentes, oculos, manus abstineamus. Hoc fundamentum firmum est, quo Resp. fulcitur, atq; continetur: hac anima & spiritus vitalis civitatum, hac denique Murus Magistratus, Murus autem? Imò Magistratus ipse. Ut enim ille, vox legis, ita hac tacens quidam est Magistratus. Non enim vel ipse Legislator exlex est; sed primus & maximè cancellis legum incluſus. Mali itaq; doctores sunt, Qui à legibus ipsum eximunt, & cum Caligula censent: omnia ipsi, & in omnes licere: Sive cum Salustiano Memmio: impune quidlibet facere, id esse, Regem esse. Abite, qui hac talia docetis, & qui discitis. Qui praest Justitiæ, ad eam præat, & exemplo commendet, semperq; cogitet, nunquam sese eò perveniſſe, aut pervenire posse, ut superiorem non habeat LEGEM, ad quam appellari aut provocari possit. Agnovit id Philippus Macedonum Rex, Magni filii magnus Pater. Dicebat apud ipsum causam Machetas quidam; & Philippus parùm intentè visus audire; & re

re non benè cognita damnasse: Machetas non tulit, & Macedonica ac militari libertate, Appello, inquit, Philippus miratus & iratus; Tu à Rege? Et ad quem? Machetas: Ad ipsum te, inquit, sed vigilantem, & Philippum sobrium: id est diligenter, secundum leges, non affectus judicantem. Quid ad hæc Philippus? num indignatus est jura sibi prælata? Minimè verò, sed & injuriam Machetæ factam, & legum, se longè majorum, autoritatem agnovit, maluitq; pœnitentiam, pœnam suam facere, quàm Justitiam subditam. Iure merito sanè. Lex enim, Pindari sententia, deorum atq; hominum regina est, Lex nihil aliud nisi recta & à numine divino manans ratio, nisi natura vis, mens ratioq; prudentis. Deo igitur paruit Macedo, cum legibus sese subjiceret, Naturæ rationiq; obtemperavit, cum sanæ legum latorũ sententiæ morem gereret. Nec verò de omnibus in Universum etiam Ethnicorum legibus hoc acceptum velim: quippe in quibus non pauca inepta & ridicula, nonnulla etiam impia ac nefaria à Deo sanaq; ratione alieniſsima, sancita sæpè reperias: Non de his, sed de illis sermo est, quatum Philosophorum saniorũ laudem meritæ olim sunt, tum etiam sacrarum Scri-

 ptura-

pturarũ teſtimonio confirmata. Hæ non Iovẽ aliquẽ, aut Mercurium, aut Egeriam, id eſt fures & adulteros: ſed Deum *ipſum optimum maximum, totius hujus Univerſitatis Parentem ac opificem, autorem ſui latoremq; agnoſcunt. Hæ mentibus humanis occulto quaſi ſtilo impreſſæ atq; inſignitæ, hæ DEI digito in tabulis inſculptæ ſunt lapideis. His & verus de numine divino ſenſus, & recta conſervandæ noſtræ ſocietatis via aperitur. Id quod prudentiſſimè animadverterunt, pientiſſimeq; ſtatuerunt, Academiæ quoq; hujus Autores fundatoresq; Sereniſſimi: qui cum pro pietate ſua, quâ clarebant ſingulari, pro munificentia, quâ illuſtres erant, Principali, ſumtibus ingentibus ſedes has ſtudiorum noſtrorum conſtituiſſent, ante omnia in id incubuerunt, ut tanta, quæ hic viveret multitudo Legum ſtatutorumq; tanquam muro contineretur muniretur q;. Condiderunt itaq; leges numero quidem paucas, pretio verò aureas plane & inæſtimabiles: Neve ſanctum hoc & inæſtimabile depoſitum obſcuraretur, aut ſtudioſam Juventutem lateret, non tantum publicis typis exhibitum eſt; ad exemplum Romanorum, qui duodecim tabulas publicè proponere, & ut Poëta loquitur:*

Verba

— Verba minantia fixo ære ligabant:

ſed &, quolibet ſemeſtri publicè perlegi conſuevit. Id quod hac etiam vice, atq; hoc potiſſimum tempore propterea fiet, quòd Satanæ conſilia, quibus plerumq; feſta Chriſtianitatis præcipua, quale nunc etiam præſtat, turbare ſolet, nemini noſtrum ſunt incognita. Veſtrum erit Viri Ornatiſſimi, auditores longe cariſſimi quæ prælegentur, vacuis benignisq; auribus audire, audita animo pio penſitare, penſitata in intima cordis penetralia recondere, recondita probæ modeſtæq; vitæ exprimere. Id unicè cogitantes, Eâ virtute, & ſapientia tùm Principes, tùm cæteros majores noſtros fuiſſe, ut in legibus ſcribendis nihil ſibi, niſi ſalutem atq; utilitatem omnium veſtrum propoſuerint.

ALLOQVIUM

Post Legum recitationem.

AUdiviſtis, Cives Academiæ Noſtræ ornatiſſimi, quæ Sereniſſimi noſtri Electoris, imò quæ Dei Opt. Max. vox atq; ſententia, quodque noſtrum omnium votum ſit ardentiſſimum. Nullus dubito, quin legum audiendarum gratia qui conveniſtis, multò magis ſalutis conſequendæ causâ, illas ſitis obſervaturi. Quod ſi feceritis, vivetis: Et quemadmodum nautæ, qui turrium faces obſervant, facilius portum inveniunt, ita vos ad ſidus illud legum, actiones veſtras dirigentes, & juventutis affectuumq; fluctus tutò evadetis, & in ſenectute beatum tandem portum invenietis. Id quod ego univerſis atq; ſingulis calidè voveo precorq;. Cæterum etiam vobis, Magnifice, Reverendiſsimi, Clariſsimi atq; Excellentiſsimi Viri, Pro-Rector, Collegæ, ac Fautores Patrum inſtar mihi venerandi, gratias ago maximas, quod graviſsimis licet occupationibus diſtracti, huc tamen vos conferre, & ſolenni legum noſtrarum recitationi præſentia veſtra autoritatem accommodare non dedignati fueritis. Feciſtis rem tùm Deo, Sereniſsimoq; noſtro Magiſtratui placentem, tùm etiam univerſæ noſtræ Reip. Academicæ utilem; mihi vero gratiſsimam, officijsq; gratiſsimis viciſsim compenſandam.

Servet DEUS & Legumlatorem Tutoremque Sereniſsimum noſtrum Electorem, cum Sereniſſimo Domino Fratre, atque adeo univerſa inclyta domus Saxonicæ Familia, & vos legum Inſpectores vigilantiſsimos, digniſsimos, vosq; tandem Legum ſtudioſos piosq; obſervatores nominis ſui divini glorię, Eccleſię Reiq; publicæ commodo, bonoq;
immortali.

DIXI.

II. ORATIO.

Habita ad Decanum & Collegium Philosophicum; cum tertij examinis publici remissio Canditatis peteretur. d. 15. Martij Anno 1616.

Dicturo mihi in tanta eruditissimorum virorum coronâ, mens linguaq; labascere videntur. Nec mirum certè. Sive enim eos coram quibus mihi agendum est spectem, sive ingenij mei tenuitatem pensitem, tantum abest ut satisfacere proposito meo possim, ut potius vox ipsa destituere me videatur. Conspicio enim ex una parte Patrum Conscriptorum, Reverend. Clar. atq; Excellent. Dominorũ Professorum ordinem Augustissimum, ut & ex altera Candidatorum numerum spectatissimum. Non nescio autem & Tyronem me Oratoria esse, & id agendum suscepisse, quod olim vel eruditissimi quiq; non sine metu præstare potuerunt. Nescio tamen quo muneris mihi commissi stimulo, Legumq; (quas mihi violare religio semper fuit) autoritate, & non rarò probata Auditorũ Excellentiss. Spectatissimorumq; benevolentia ad facienda verba excitor, animor, & nunc nunc quasi protrudor. Ubi equidem non alienum ab hoc loco ac tempore fore arbitratus sum, si quemadmodum Excellentissimum Consultissimumq; Virum VVilhelmum Förstерum Rectorem emeritum, praterito semestri de Athenis, earumq; splendore, atq; ornamentis, Stoicorum Peripateticorumq; egisse memini: Ita ego eodem argumento quasi sub oculos revocato tum de veterum, tum potissimum de nostrarum scholarum Academiarumq; in Republica fructu atq; usu agerem, ostenderemq;, Præstantissimos semper heroes ex illis tanquam ex equo Trojano egressos ad Rempubl. administrandam felicissimè accessisse: ita ut Scholæ rectè dici possint, seminaria Rempublicarum. Qua quidem asserenti jam dudum omnes Auditores mihi astipulari, atq; si non oculis, tamen animo annuere animadverto. Quis enim eo animo esset, ut veritati quæ hinc evidentissimè elucet, & quotidianæ experientiæ, quæ hinc palpabiliter deprehenditur, reluctari possit, aut velit? Cum enim duo sint, quibus Respublica benè atq; salutariter regitur, Virtus & Prudentia, sine quibus non solùm infirmum est imperium, sed ausim dicere nullum: Omnis opera eò conferenda est, ut qui ad Rempublicam admoveri aliquando volunt, divas has quàm maximè propitias ac familiares sibi reddant retineantq;. Ubi verò sacris illius initiari imbuiq; possumus, quàm in scholis & Academiis nostris? Hæ sunt officinæ pietatis & Virtutis; Hîc enim Theologia Sol atq; Regina reliquarum disciplinarum proponitur, fideliterq; juventuti inculcatur

catur. Quid autem Theologia aliud quàm pietatis virtutisq; VIA REGIA? Unde Prudentia melius hauritur quàm ex his literariis fontibus? Quod enim aliàs longo rerum usu esset assequendum, id Mater Prudentiæ, Literæ, quæq; in iis regnat, Historia, tibi brevi temporis spatio cum summa jucunditate demonstrabunt. Qualia profectò non inter illiteratos inveniemus, qui non nisi præsentia curant, præterita verò contemnunt, futura negligunt: Verùm in Licæis atq; Academiis; in quibus educatos atq; institutos, plerumq; evasisse Prudentissimos, juxtaq; Pientissimos, adeoq; Reipublicæ regendæ peritissimos, quotidiè præ oculis videre licet. Ecquis enim unquam præclarè aut laudabiliter Rempubl. gessit, qui non vel ipse è Scholis egressus est, vel eorum consilio rectus fuit, qui scholæ suam prudentiam acceptam tulerunt. In illis agmen ducit, qui Principatum, Julius Cæsar, ille Martis haud minus autem & Musarum pullus. Scripta eius id docent, quorum pauca extant, pleraque magno cum damno Reipubl. perierunt. Quæ tamen iste inter ipsos rerum civilium aut militarium æstus jactationesq; confecit. Nec in itinere quidem vacuus; sed amanuensem, in vehiculo apud se habens dictans q; aut legens. In itinere Hispaniensi, spatio 24. dierum, sive, ut alij volunt, septem, poema composuit, quod inscripsit ITER. In ipsa Hispania sub tempus Mundensis prælij in medio armorum æstu, libros duos de Analogia confecit, & totidem Anticatones. Cujus vigilantiam & simul indefessum ingenium Plinius ita describit: Quod scribere & legere simul, dictare

dictare & audire potuerit. Epistolas verò maximarum rerum quaternas pariter librarijs dictare valuerit. Hic verò, unde egressus est? Annon ex scholis? publico illo gubernatorum maximorum seminario? An non literarum causa patriam deseruit, An non Rhodum ipsam accessit, ubi vim illam eloquentiæ, qua pollebat naturali, ita sub Molone, clarissimo dicendi Magistro, auxit, ut orationem ejus luculentam, Tacito teste, posteri non sine admiratione legere possent. Unde qui ipse erat eruditissimus, magno in honore Eruditos & omnis disciplinæ professores habuit, & civitate splendidissimis q; sæpè muneribus donavit: Eum verò innumeri alij secuti sunt. Equidè non eo per singulos Imperatores, cæteros q; heroës Ethnicos, nam quis eorum non ferè talis fuit? Usq; adeo ut Marco Antonio Philosophi cognomen hæserit: Ciceroni qui & Consul fuit, Patris Eloquentiæ, imò ipsius Eloquentiæ nomen tribuatur. Ut de reliquis vel 600 ne mentionem quidem, (quod sine stupore fieri non posset) faciamus. Transibo itaq; ad Christianos qui & Christo & Musis erant addictissimi. De Theodosio Juniore traditur, eum historias Græcas Latinas q; assiduè evolvisse, tam pertinaci in libris studio, ut cum diem militaribus aut civilibus occupationibus daret, noctem ijs seponeret. Caroli autem Magni amorem & bonorem in literas multa loquuntur; Cumprimis verò quod undiquaq; doctos convocare, illos honorare, illorum scriptis delectari solitus fuerit. Quem secutus Robertus Rex Neapolitanus. Ei enim etiam literæ & litterati tanto amori fuerunt, ut dicere non dubitarit: Chariores sibi lite-

ras regno esse. *Non absimilis huic Alphonsus Magnus, qui & ipse in eodem regno fuit. Neq; enim semel edixit:* Malle se omnium regnorum, (*septem autem numerabat*) jacturam facere, quàm minimam partem doctrinæ. *In mea Patria quoq; habebamus heroëm ut fortissimum, ita literarum amantissimum, studiosissimumq;*, Matthiam Corvinum, Regem, *qui præterquàm quod Italos, Germanos, Gallosq; ad Professionem humaniorum litterarum evocavit: Collegium Budæ magnificum inchoavit, (nec enim perficere vita durante potuit) Bibliothecam ibidem in ipsa Regia instituit, quæ hodie in manus Barbari, cum potiore Hungariæ parte, prob dolor! devenit.*

Certè quos nunc enumeravi, non nisi in eorum numero habere possum, qui è Scholis egressi sunt, quiq; scholis, quicquid magnificè gesserunt, acceptum retulere. Sed missis exemplis veteribus præsentia videamus, quorum agmen vel ipsa Germania dabit. Quot hic per DEUM *Imperatores? quot Electores? quot Principes enumerari possent? qui omnes & litterarum amantes & earum Patroni jure dicendi. Sanè si omnes enumerare vellem, & tempus, & verba me deficerent. Intueamur saltem domum Serenissimam & Augustissimam Saxonicam, sub cujus tutela vivimus & pace gaudemus. An non ea literis pariter atq; litteratis semper gavisa est? Certè Academias quas præter quàm plurimas alias scholas, sua pietate constituit, munificentia auxit, clementia ornavit atq; conservavit, summo in pretio & thesauri maximi carissimiq; loco habet. Nec amavit solùm*

literas sed & coluit colitq;. Quippe quæ non tantum Doctores ex Academiâ in aulâ quam plurimos semper evocavit: verùm etiam ex aulâ sese in Academiam pietatis & doctrinæ caussâ clementissimè demisit. Quæ enim amamus, ea sequi, & quæ sequimur, amare ferè solemus.

Erexit è fundamento Academiam hanc nostram VVittebergensem, protexit splendidè, ornavit munificè, & hodie etiam ornare non desinit, neq; vel literarum cultores, vel religionem veram ejus q; ministros & cultores honorare, & gratia sua singulari complecti desinet unquam. Vivat vigeatq; hæc Augustissima domus, Dum cœlum stellas dum vehet Albis aquas, *Quæ vel unica omnibus Illustrissimo exemplo atq; imitationi hodieq; esse posset; Confusioni autem ijs qui hanc virtutis stellam, hunc literarum litteratorumq; amorem atq; cultum aut parvi pendunt, aut cum assequi non valeant, negligunt. Certè si Principes bi viri, nihil literis, nihil literatis inesse ad bonum publicum scivissent, non tantis sumptibus Academias extruxissent, non privilegijs immunitatibusq; tàm præclaris ornassent, hodieq; ornarent, non ad clavum Reipublicæ regendum ex ijs, tam multos petijssent, non tantum curarum deniq; in gratiam literarum ipsi suscepissent. Id profectò tantò majore laude pariter sui, atq; Reipublicæ commodo, quantò majori ludibrio sese exponunt, quicunq; secius faciunt. In probro & infamia hodieq; est. Licinius qui cum litteras omnes ignoraret, litteratos pestem Reipubïcæ appellabat, & inter eos Oratores & Philosophos summo odio prosequebatur.*

Nec laudi datur Ludovico XI. Gallìarum Regi, qui prudenti, ſcilicet, conſilio Filium Carolum omnium bonarum artium rudem eſſe voluit, Ne eſſet, *ut ajebat,* in conſilijs capiendis refractior & tenacior ſui ſenſus. *Latinè verò ſcire, planè vetuit, una hac ſententia excepta.* Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare. *Ita miſerrimus Princeps ampliſſimi regni adminiſtrationem acceſſit, nulla propria prudentia inſtructus: ſed trium aut quatuor indigniſſimorum homunculorum mancipium magno ſibi & Gallia damno fuit. Ignorabat tantus licet Rex quantum Dei donum eſſet ea ſapientia, quæ nos primùm ad ejus cultum, deinde ad jus hominũ, quod ſitum eſt in generis humani ſocietate, tum ad modeſtiam magnitudinemq; animi erudiret: eademq; ab animo tanquam ab oculis caliginẽ diſpelleret, ut omnia ſupera infera, prima, ultima, media videremus. Prorſus hæc cum Ciceronè divina mihi videtur eſſe vis, quæ tot res efficiat & tantas, ita ut jure de ea exclamare poſſim: O vitæ Philoſophia dux! virtutis indagatrix, vitiorum expultrix, quid non modo nos, ſed omnino hominum vita ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti, tu diſſipatos homines, in ſocietatem vitæ convocaſti, tu eos primò inter ſe domicilijs, deinde conjugijs, tum literarum & vocum communione junxiſti, tu inventrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti. Nullum bonum Philoſophia præſtabilius neq; datum mortalium generi Deorum munere neq; dabitur. Dè illa autem Philoſophia loquor, quæ nullum bonum putat, niſi quod honeſtum eſt, quæ nec hominis, nec fortunæ muneribus deleri poteſt.*

Qui

Qui ea inſtructus eſt, nonne divini quiddam vobis ſapere videtur? nonne talis melius Rempublicam recturus eſt eo, qui nec ubi Sol oriatur nec ubi occidat cum Polyphemo novit? Humilis eſt inſcitia, res abjecta, ſordida, ſervilis, multis affectibus & ſæviſſimis ſubdita. Multa ſunt incommoda in vita, quæ ſapientes commodorum compenſatione leniunt, rudes verò nec vitare venientia poſſunt, nec ferre præſentia. Quibus conſideratis rectè contra Salluſtium Cicero: An ullum putas fieri poſſe civem egregium, qui eloquentiæ artibus & bonis diſciplinis non ſit eruditus? an ulla alia eſſe putas rudimenta & incunabula virtutis, quibus animi ad gloriæ cupiditatem aluntur? ſicut enim terram antequam ſemen illi mandes, ſubigi prius & arari oportet: ita animus ejus, qui ad clavum Reipublicæ regendum eſt adhibendus, honeſtis priùs diſciplinis eſt excolendus.

Non abs re itaq; beatiſſima illa pronunciatur Reſpublica, ubi aut Philoſophi regunt, aut Reges philoſophantur. Sed & beatæ prædicandæ ſunt Academiæ, *tantarum beatitatum cauſæ. Beata etiam tam ſancti & ſalutaris corporis membra. Atq; adeo ô felices vos, & ô beatos, quibus in Palæſtris iſtis honeſtarum artium exercere licuit, licetq;! ô vos ter quaterq; beatiores Candidatos humaniſſimos, quibus non ſaltem illic exerceri datum, verum etiam tantos facere profectus, ut honores vobis magiſtrales jam decernantur. Merito igitur gratulor, & Reip. & vobis. Imo vos vobis ipſis congratulemini. Si enim miles, cum aliquid egregij in militia præſtitit, ideoq; donarium aliquod accepit, omnibus*

obvijs gloriatur, teſtimoniumq; virtutis oſtentat; Cur non vos etiam merito veſtro in poſterum gloriari poſſitis, qui in togata hac ſeu literaria militia, & ſtrenuam navaſtis operam, & reportaſtis inde honores quos concedere poſſumus, maximos. Quos cum merito veſtro tollatis, ſatis quippe exploratiq; cognitiq;, Te Excellentiſſime, Clariſſime juxtaque Praſtantiſſime vir, pro tempore Facultatis Philoſophicæ Decane ſpectabilis, Domine Doctor VVeckere, Facultatis Phyſices Profeſſor digniſſime, etiam atq; etiam oratum volo, ut biduano hoc publico, & privato illo examine ſatis rigoroſo contentus, tertij diei examen, in mei reliquorumq; Dominorum Reverend. Clar. atq; Excell. Profeſſorum gratiam, Dominis Candidatis condonare velis: Viciſſim me tibi ad grata quævis officia promptiſſimum: Dominos verò Candidatos etiam gratiſſimos experturus.

D I X I.



III. ORA-

III. ORATIO.

Habita in templo Arcis, cum Rectoratu abdicaretur, 1. Maij Anno 1616.

VT primum ſanctam hanc civitatem ingreſſus ſum, & incolere cœpi, Auditores Reverendi, Clariſſ. atq; Excellentiſſ. tuq; Juventus Nob. ornatiſſima, animadverti hanc eſſe ſpiritualem Hieruſalem, deſcendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei, & lumen ſimile lapidi pretioſo tanquam adamanti chryſtallizanti, habentem murum altum, nullis Satanæ technis expugnabilem, habentem portas duodecim, ſeris Scripturæ Sacræ ita munitas, ut nulli hæretico per eas, ſine confuſione, tranſitus pateat. Nonne enim hic eſt locus quem elegit Dominus, ut ſit nomen ejus ibi in perpetuũ? nonne hic eſt poſitus lapis ille angularis, ad quem alliduntur boſtes Agni, qui inebriati ſunt calice abominationis? nonne hinc primùm exijt gladius ille acutus & anceps, qui fudit, & ferè peſſum dedit Meretricem illam, quam adorare ſolebant Reges & Principes terræ? Hæc eſt certè civitas Regis magni, Regis Regum, & Domini Dominantium, cujus fama exijt ad

ad Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septemtrionem. Quis enim populus? quæ gens? quæ hominum natio? vel tam barbara atq; immanis, vel tam inexculta disciplinis atq; artibus, quam non jam pridem florentissima VVittebergensium Academia, non gloriâ modò & splendore nominis, verùm etiam admiratione compleverit. Quàm venerandus hic locus est? Non aliud certè quàm Domus Dei, & porta cœli. Hic est mons ille sanctus, in quo stat Agnus, & cum eo candido amictu ornati, & palmas ferentes, qui non sunt ingressi ad Meretricem illam sedentem super Draconem, habentem capita septem, neq; sunt signati sigillo confusionis: hunc locum elegit Jehova altissimus, Fortitudo nostra, in quo cumprimis repurgaret, conservaretq; Doctrinam, vappis sentinaq; Bestiæ corruptam. Hunc locum destinavit in habitaculum filiæ regis sponsæq; suæ, quam diligit præ filiabus hominum. Magnus Dominus & laudabilis nimis est in civitate Dei nostri, in monte sancto suo. Pulcerrimum clima, exultatio universæ terræ, Deus in palatijs ejus agnoscitur, quod sit susceptor, hic est DEUS, DEUS *noster in sæculum sæculi, & ipse reget nos in sæcula. Beati inhabitatores Domus tui, Domine, beati qui stant coram te, & audiunt sapientiã tuam.*

Quantò verò beatior latiorq; hic Ecclesiæ facies; tantò tristior & obscurior squalor eam occupavit, quæ Mahometano Tyranno subacta aut vicinior facta. Cujus memoriam cùm non minùs obversari nobis cottidie debeat, quàm sanis morborum & invaletudinis impendens periculum: constitui in hac solenni panegyri, cùm aliàs etiam secundum inveteratam

F *Ita*

ratam consuetudinem aliquid à me expectetur, miserabilem eorum conditionẽ, qui sub immani Tyrannide Turcica degunt levi quasi depingere penicillo. Ad cujus sedulam auscultationem, Auditores Rever. Excell. Consult. atq; Clariss. humanissimos q; invitarem, si de ipsorum vel benevolentia vel attentione promptissima quicquam dubitarem. Quod ne facere videar, propositum nunc rectâ, sine ambagibus, aggredior. Ubi quidem non opus esse censeo, ut multis vobis autorem tantæ in Ecclesijs miseriæ describam. Nimis ea, nimis, prob dolor! nota est. Nimis universo terrarum orbi cognita, nobis verò pænè familiaris est Bestia illa horrendissima, immanissima, qua nihil unquã pernicioſius aut natum hactenus, aut posthac nasci poterit Turca. Turcam cum dico, simul atq; pronuncio, exhorresco: quippe quem si nominaveris, omnem impietatem, immanitatemq; uno verbo complexus eris. Neq; enim nomine tantùm gens illa est horrenda: sed & ingenio & moribus planè detestandis. Habet supremum quasi Monarcham, quem ipsa quidem Cæsarem; nos verius tyrannum vocitabimus. Tyrannus profectò est. Ut enim taceam de tyrannica illa alieni Imperij invasione, occupatione, devastatione, olim per illum, contra omne jus gentium facta, id quod iniquè rapuit, iniquissimè possidet, sævitia miratuetur, sanguine ac cædibus onerat, rabie plusquàm ferinâ extendit. Nulla illi lex iusta, nulla pietas curatur: quin solenne potius illud nefarium: Licet, si libet. *Solenne illud, omni bono Principi aliquin abominabile,*

Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas.

Ita ut mirari nemo satis possit, qua ratione fiat, quod ipsius Regnũ injustitiâ acquisitũ, crudelitate stabilitũ durare tam diu potuerit, hodieq; possit. Præsertim cum Tyrannus non in amore, verùm in timore sui potẽtiæ suæ stabilitatẽ collocet; nõ interim perpẽdens, odio habere subditos eum quem timẽt. Unde etiam cuncta ferit, *dum cuncta timet. Neq; enim familiarissimis suis aut intimis fidem adhibet plenã, neq; cujusquam potentiæ quamvis à sese locupletatæ fidit: Adeò quidẽ, ut etiam quos ipsa natura sanguinis necessitudine conjunxit, eos dominãdi libidine furiatus, non dissolvat saltem modo aut discindat, sed & iniquissimè excindat. Ita ut nimis verè hic dicatur, quod Poëta vetus de vetere & damnato seculo:*

Non hospes ab hospite tutus
Nec socer à genero, Fratrum quoq; gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita novercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Quin & ipsi Patres filiorum vitæ insidiãtur, eorundẽ & autores & homicidæ. Quæ verò summa illa inhumanitas, Patrẽ filij fieri carnificẽ: Filium patris manu interfici, fratrem fratris vitæ insidiari? atq; ita in proprium sanguinẽ debacchari. Quod tamen usitatissimum, imò lege &c. Ottomannus hujus gentilitatis & familiæ primus Imperator, qui à vico Galatiæ Ottomanzæ dicto, nomen accepit, Secundo Orchano sceptrum solo desiderio regnandi duos fratres suos Germanos occidit. Amurathes filius, in Imperio successor, Solymanum fratrem suum trucidare jussit. Quippe quod barbaro hoc nititur fundamento, ut quicquid regno obstare videtur momẽtaneæ neci detur. Caleptinus Ba-

jazeti filius Orchano & Mahomete superstitibus mortuus; Mahomet Orchanũ nõ minus nefariè quàm impiè neci dedit. Mahomet II. unicus superstes, Imperij gubernacula, ut Tigris accepit. Amurathes Pater ejus morturus, Thursinũ, suum in cunis filiũ ei cõmendat, at ipse post mortẽ illius infantem à matre adhuc rubentẽ, in quẽ nulla affectati regni suspicio cadere potuit, spectãte matre è cunis raptũ mantili. collo innexis suffocat; causatus legẽ necessitatis avitã, majoribus suis nõ infrequens fuisse, præter unũ in Imperio ferre neminem, *cum nõ plures uno Deo in Cœlis, & totidẽ Soles in Mũdo sint.* Selymus X. *præterquam quod Patrem Bajazatũ sub specie pharmaci veneno enecavit: Amurathẽ & Curchutũ fratres suos, tresq; Curchuti filios interficere jussit. Sultanus quoq; summus ex eorũ grege, nõ ita pridẽ, uxorẽ sola suspitione & zelo damnavit, ipse spectator illã demergi, & quasi hoc parũ esset, etiã Filiũ laqueo suffocari, quos dã famulos utriusq; sexus circiter 14. administros, mortis socios fieri jussit. Principẽ obtinet locũ Mahometus III. in ordine fratricidarũ Imperator, hic n. 19. fratres germanos, neci crudelissimæ dedit. Hanc impiã & execrandã consuetudinem, imò legẽ tam sanctè illi colunt, tam strictè observant, quam tamẽ nec obtrusam sibi Lupi, & Hyenæ, & vix Tigrides ipsæ admitterent. Quid ab his itaq; Divini simul & humani juris violatoribus clementiæ in subjugatos expectandum? quid misericordiæ ab ijs, qui in viscera propria sævire gestiunt? si tales in se & suos sunt, quales quæso in alium? si quis talis in subditos, qualis quæso futurus est in hostes? Draco, Leo, Cerberus, atq; Lis etiam-*

crudelior. Mea, prob dolor! Patria, illud antemurale totius Christianitatis, quæ à ducentis jam annis impetum hujus Tyranni sustinuit, experta jam abunde est insanum Mahumetani Tyranni furorem. Experti nostri consanguinei, quorũ bona, imò optima pars aut mactata crudeliter, aut intolerabili jugo subjecta est. Nos tandem ipsi partim experimur, partim metuimus. Causam ejus rei nullam aliam in Turcico cane reperio, quàm dominandi libidinem, & cupiditatẽ immensã: quam nec tota Asia, nec Africa universa, nec potior Europæ pars, imò nec omnis Orbis explere, nedum exsatiare potest. Hâc inflammatus neq; DEUM quicquam veretur, (quippe cujus unigenitum filium, Sanctum q; Spiritum impuro animo contemnit, ore blasphemo ladit,) neq; homines, aut jura humana ulla. Quæ enim fœdera barbarissimæ genti sancta aut inviolata? Sancit equidem servatq; dum commodum est, id est, dum occasio injuriã inferendi deest, dum cum Persa, aut alio hoste bellum gerit; sed si vel minima bonæ occasionis aura aspirat, nõ eum fides, nõ pietas, non conscientia detinere potest, quin omnia turbet, rumpat, violet, profanet, evertat. Arma induũtur, exuitur pietas, fides omnis q; fœderum memoria: Quæ ne fortè redeat, furore ascititio prohibetur. Quoties cunq; enim arma induuntur, prius potior pars militum Turcicorum pharmaco quodã, Maslag dicto, animatur; quo hausto, cæco impetu, quasi furibundi sine timore, sine sensu tandem omni, per media arma, per ignes, per aquas, per tela, per hostes ruũt, sylvas, cãposq; vociferationibus, aërem missilium nimbo, terram hominum cadaveribus implent. Ibi videres capita volatia ictu tormentorum dispulsa, videres manibus pedibusq; orbatos, sicâ perfossos, & miserrimum in modum trucidatos. Et adhuc videres hic, qui si victis tum peviredoter, beatos se existimarent, modò ne vivi in eorum devenirent potestatem, qui captivos suos cruciatibus morte pejoribus, cottidiè cruciant enecantq;. Tum demum victor insultare victo incipit, tum furorem odiumq; suum in Christianos omnibus modis exerit, atq; in eos horresco referens ultrà modum sævire solet.

——— Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssis
Temperet à lachrymis? ———

O tyrannidem! ô immanẽ & ineffabilem sævitiam! Non satis est quod victoria potiti, omnia obvia sternunt, atq; excindunt, non matronis, non virginibus, non pueris, non puellis, non tandẽ lactentibus parcunt, è gremio matrum infantes excipiunt, cædunt, mactant. Non satis, inquam, est sic sævire, & unâ momentaneâ morte grassari: Quin etiam, si quem vel pulchritudo libidine commendat, vel auri fames, vel crudelis tandem misericordia tuetur, mille cruciatus, atq; adeò mille mortes metuenda, sustinendaq; sunt. O beatos tum, qui vixerunt, ô beatos steriles! beatas matres quæ nunquam pepererunt, lactaverunt que. Quid existimatis, Auditores charissimi, quis tum matrum, quis patrum animus, cum vident ex se progenitos, quibus ensi pepercerat, ad diram, ineffabilemq; captivitatem abductos. Quis animus filiorum, filiarumq;

consortio dulcissimorum genitorum abstractorum. Centies profectò mori mallem, quam vel semel, in istorum canum devenire potestatem. Quando enim captivis, & miserrimâ potiti turba, eam statim dividere solent, & ignobiliores quidem aut artibus mechanicis, militaribusque non imbutos, Mangonibus (quorum copia magna semper victoriam Turcica in castris præstolatur) divendere solent. Sunt autem illis catenæ oblongæ, ad quas aliquam multos Christianos alligare consueverunt, & instar pecorũ ad partes maritimas agere: ubi die ita noctęq; aeris iniquitati expositi manent, cibũ admodũ in parva quantitate accipiunt, noctem sub diu agendo, ligati pedibus manibusq; transigunt. Tum potior pars ad remos agendos damnatur, pars verò agrestioribus laboribus, sine omni spe libertatis, aut reditus in Patriam, præficitur. Infantes autem, quibus omnium maximè inhiant, molliq; quidem, ut ætas illa fert, tractare consueverunt, Sed ad pejora reservant. Quàm primũ enim excesserunt Ephebis, indole spectatâ, & ingenij inclinatione sedulò observatâ, eos in tres potissimùm partes partiuntur: & robustioribus quidẽ, militaribus exerceri exercitiis curant: quos deinde adultos plerumq; Janichzaros creant, quibꝰ contra Patriam, contra Consanguineos, atq; Patriotas bellandum. Imbecilliores autem mechanicis artibus excolendos tradunt, quos deinde perpetuis penè obruunt labcribus. Formosioribus verò (prob facinus) turpissimè abutuntur, Sodomicæq; libidini, impuritate pestiferâ destinant. In virili autem ætate comprehensos, primum quidem

quidem blandis verbis cujates, quales, quantarũ opum & facultatũ sint, interrogare solent: quod si vel minimam suspicionem in eorũ aliquem habent, eum falsum dixisse, mille modis talem excruciant. Et ex eis Magnates mitius tractant, sed fortius validiusq;, & custodiunt, & si liberari volunt, emungunt. Nobiles, aut mediocris conditionis, cumprimis bello captos, plerumq; omnes p o militibus æstimant, ideò etiã miris modis tales excruciãt, tenebrisque inclusos, cum rara spe liberationis dirè torquent, & non nisi maximâ depositâ pecuniæ summâ, emittunt. Plerosq; tamen bello aptiores, quali quali occasione captatâ, aut necant, aut ad partes transmarinas ablegant. atque ita perpetuæ captivitati damnant. Postquam de viris dictũ, restat ut de feminis quoq; pauca subjungam9. Verisimile quidim videretur, eas non ita duriter tractari, nec ita laboribus, quippe imbecilliores, obrui. Sed quid Tyrannus hic, sexus ætatisq; rationem curat! Quid hunc lachrymæ, ejulatusque mulicbres movent? Non (ita mihi Musæ sint propitiæ,) ulla unquã belluа in Christianitate, tam crudelẽ in modũ tractatur, ut hic sexus miserabilis sub illa carnifícina. Quis enim, per DEUM, adeò sanguinolenti tyrannicíq; esset, atq; saxei cordis, qui non, si non aliis, tamẽ prægnãtibus, & partui vicinioribus, parceret? Quibus tamẽ tantũ abest, ut parcant Turcæ, ut potiꝰ magis magisq; eas affligant. Non possũ quin referã Auditoribus spectatissimis Ornatissimisq; Exemplũ quoddam Tyrannidis hujus & sævitiæ Turcicæ in parturiẽtes, quod in Patria mea tempo-

tempore tumultus & ſeditionis illius Bottczkaianæ contigit; quodq; unum ad docendum quod volo ſufficit. Cum in Comitatum Nitrienſem, ad oppidum Czbeitaviam. Turcæ Tartariq; populabundi veniſſent, indeq; jam reditum pararent, inter alios captivos captivasq;, quandam prægnantem mulierem hoſtis agebat, quam, cum propter partus vicinitatem, pari paſſu, ut reliquæ, pergere nequiret, vinctam ille in equum ſublevavit, ibi miſerabiliter colligatam, & per equum ſuccuſſam, dolores partus invaſerunt; Rogat obteſtaturq; per omnia ſacra, ut ſaltē pariendi facultas ſibi concedatur. Quid ad hæc Tyrannus? Equidem eam equo deponit, non tamen aut ab oculis reliquorum removet, aut relinquit; ſed aſtat parturienti, & enixam ut antè denuò vincit, abripitq; infantulo deſerto, & equorum inſequentium ungulis relicto. Jam cogitate, Auditores chariſſimi, an ulla hac atrocior Tyrannis eſſe poſſit? parturientem affligit, ludibrio expanit, infantulum recens natū matri eripit, beſtiis conculcandum abijcit. Non eum matris ploratus & ejulatus, non infantuli vagitus, non pietas, non ulla miſericordia, ad id adducere potuit, ut has duas animulas invicem cohabitare, matremq; partum ſuum educare ſineret. Deum quamvis tum nobis meritò iratiſſimum, miſertum hujus eſt, qui effecit, ut infans tamen ſalvus maneret, à Chriſtianis repertus educaretur, hodiq; in Nobilis cujusdam famulitio viveret. Sed dicet aliquis, unam hirundinem non facere ver, non ſtatim ita colligi: Unus hoc fecit,

Ergò

Ergò etiam reliqui Tyranni ſunt. O utinam hoc ſaltem exemplum haberemus, verendum eſſet! Sed non mihi ſi oracentum totidemq; linguæ eſſent, omnia exempla enumerare poſſem.

——— Tu crimine ab uno
Diſce omnes.

Quot, per Deum! prægrātes matres diſſectæ? Quot igne crematæ? quot aquis ſuffocatæ? Atq; hæc quidem de prægnantibus. Quid autem virgines & mulieres vegetiores? ut ſupra de adoleſcentibus dictum, Eas quoq; dividere ſoliti ſunt, & partem quidem in concubinas ſeligunt (licet enim Turcis tot habere uxores, quotcunq; alere poſſunt) Partem verò laboribus pænè ſervilibus deſtinant. Hic certè ſexus omnium ſub tyrannide illa miſerrimus. Præterquam enim quod duriter tractatur, omnis etiam ſpes elabendi præcluditur. An non autem miſerum eſt, poſt decennalem captivitatem, nec diei ſibi libertatem polliceri poſſe? An non durum, liberas olim, jam famulas eſſe? Nobiles ruſticas? Ruſticas pecorum inſtar haberi? Quemadmodum autem Diabolus, ex quo Turcica gens originem ſuam continuata ſerie ducit; Quemadmodum, inquam, ille non ſtatim pœnas infernales, ſtygias paludes, menſas Tantaleas, conſcientiaq; furias, hominibus ſeducendis proponit; ſed prima facie omnia optima, jucundiſſimaq;: ut eos quaſi ineſcatos & viſco voluptatum colligatos, una cum animas tandē barathro biatuq; illi infernali facilius præcipites det. Itaq; quoq; Turca, nec

G forte

forte degenerasse à virtutibus majorum videantur, eam studiose amulentur. Nec enim illi tyrannidem, de qua hactenus dixi, in eos quos quidem in cassis suos agere conantur, Muſulmanos q; fieri volunt, primis statim diebus exercent, quin potius ijs & verbis blandis, promissionibus q; opiparis, & donis magnificis obblandiuntur, ut saltem ad se pertrahere queant, ad circumcisionem atq; abnegationem Salvatoris nostri perducant. Cum autē ita in bivio homo Christianus constituitur, utrum vis, sive circumcisionem admittat, sive fidem Christianam retineat, non tamen tyrannidem ejus gentis evitare poterit. Si enim Mahumetum sequetur, & Christianam fidem spe lucri abnegabit, praterquam quod aterna damnationi animam post mortem diabolo q; debebit; promissa quoque illa magnifica in fumos abijsse, & blanditias nihil nisi deceptiones fuisse, suo malo tandem, serò tamen, animadvertet. Plerumq; enim tales, cum primis à tote matura Mahometani facti, agonistes creantur, stabulo q; praficiuntur; digni sanè tali pramio, quippe qui fluxa atque inania aternis stabilibus q; permutare voluerunt. Qui autem nec Christum abnegare, nec eorum persuasionibus moveri sese patiuntur, quod potiorem quidem partem captivorum hactenus fecisse scimus. Non enim omnes tàm impij atq; scelerati sunt, ut sese voluntariè Molocho isti Stygio consecrent, aut ita sui ipsius peritionis avidi, ut Christum, Dei filium, semel jam agnitum Salvatorem suum, Redemptorem cœli terra q; creatorem abnegent, castra q; Draconis sequantur? ut temporalia hac atq; vana, aternis praferant?

rant? Qui igitur, inquam, fide sua sese dejici non patiuntur, ij intruduntur horrendis carceribus diris q; tractantur modis. Non enim ulla arx Turcica, non oppidum aliquod reperitur, ubi execrabiles carceres deessent; plerij q; autem aut Cimmerijs tenebris obscuri, aut serpentum, bufonum q; copia scatentes, quibus accedit locus etiam ipse paludosus, aut saltem humidus, ut ad putredinem, atq; adeò pediculorum progignendorum modum sit aptissimus; unde fit, ut Christiani nostri, magis de injuria ab animalculis istis sibi perferenda, quam de ullo alio malo conquerantur. Ut enim ex fide dignis habeo, qui q; ipsi hoc malum suo malo experti, referunt; tanta vermium vis atq; copia in carceribus Turcicis abundat, quantum apud nos pulveris seu sordium in talibus locis reperitur; ita, ut etiam necesse sapè sit fuerit q; hoc pusillum, & magnum malum, manu, instar pulveris alicujus vestibus excutere. In his autem, & similibus carceribus non paucos numero, sed quàm plurimos, uno eodem q; tempore, captivos detinere solent Christianos, interdum autem adeò multos, ut etiam de loco certare cogantur. Unde patet quàm miserum in modum habeantur captivi apud Mahometanos. Nec enim Solem, diei q; atq; noctis distinctionē videre, atq; animadvertere possunt, quin potius perpetuas tenebras incolere necesse habent. Non illi veri flores, nō autumnum fructus produxisse sciunt, sed perpetuas nubes, atq; tristissimas tempestates, ob putredinem occlusi aëris, in cavernis illis suis subterraneis experiuntur. Quàm adversum autem sit vel in amœnissimo loco, continuè annum aut duos

sine omni etiam alio incommodo jacere; quivis sana quidem mentis & vel exigui judicij judicare potest. Quantò itaq; acerbius non in aliquo grato loco; sed in tenebris super stratum lapideum, inter pediculos, in luto, squalore, sordibus, perpetuis mœroribus atq; trepidationibus, sine ulla aliqua spe eliberationis volutari. Nonne itaque miseri dicendi qui hac talia patiuntur? nonne Tyranni, Tyranni autem, imò carnifices, qui in hunc modum in homines sæviunt? Horrenda quidem hæc, sed age magis horrenda, imò magis execranda atq; abominanda tyrannidis Turcicæ indicia videamus: Videamus inquam, quomodo in tales sæviant, quos non carceribus damnarunt, verùm excruciare aut privare vitâ constituunt. Habent caveas ferreas, quibus cumprimis vi expugnatæ provinciæ aut regionis, item arcium atq; munitionum vi captarum atq; subjugatarum præfectos includunt, ibiq; fame atq; inedia absumunt: habent etiam palos atq; uncos ferreos quibus affixos sustinensosq; muscis calori q; Solari exponunt. Et hanc tyrannicam sævitiam experti sunt propemodum innumeri Christiani Græci, qui pertæsi durissimæ servitutis, ob victoriam Christianorum navalẽ contra Turcas propè Naupactam ad recuperandã libertatem paulo se audacius commoverunt. Habent tormenti genus præterea stipitem, quem per medium corpus adigere soliti sunt, atq; ita affixum cadaver relinquunt: hæc q; carnificina Turcis omnium familiarissima. Sed ego operam simul & oleum mihi perdere videor, cum enumerare tormentorũ genera apud Turcas usitatissima volo: tantum enim abest ut ea

ea efferre, aut enumerare possim, ut ne mente quidem concipere valeam. Quacunque enim tormenta in plectendis maleficis, Germania, Gallia, Hispania, Italia, & totus denique mundus habet, eà una hæc gens mihi habere videtur. Quod testabuntur, quotquot unquam sub ejus potestate aut degunt, aut Deo auxiliante hoc jugum excusserunt. Hæc tamen omnia parva esse odij sui in Christianos indicia, Tyrannus Byzantinus existimaret, nisi etiam conscientias subjugatorum extinctione nominis Christiani crudelissimè affligeret. Quando enim aliquã ito obtinuit provinciam, ut remotior ea fiat à reliqua Christianitate, neq; amplius commercia aliqua habere cum nostris possit, non modo sacrorum usum atq; verbi divini prædicationem ei interdicit, sed ne mentionẽ quidem Christi Salvatoris, aut Evangeliorũ sacriq; codicis fieri in ea permittit. Testantur hoc insulæ Chiensis incolæ; qui postquam satis ineseati fuissent, spe illa libertatis (quam multi cum periculo à tyranno Constãtinopolitano expectant) non modò privati sunt eà, gravissimaq;, atq; ineffabilia perpessi: sed etiam Christo paulatim amisso, Mahometismum amplecti coacti sunt. Testantur idem Bosnenses, qui præterquam quod libertate carent religionis exercendæ, etiam decimationem suæ prolis, liberorumq; admittere coguntur. Idem quoq; Græci experiuntur, qui etiam indies religionis Christianæ extirpationẽ, Mahometismi verò amplificationem, non sine ingenti dolore nec sine liberorum, addo & animæ ipsius jactura, animad-

madvertunt. Quid nunc de aliis regnis provinciisq; dicam, quæ cum Asia in illam barbaricam tyrannidem devenerunt? quid de Africa universa? quæ (prob dolor!) etiam hoc malo jam tota obruta, Christoq; atq; ejus divino verbo orbata est. Certè ibi non vel minima apparent Christianæ religionis pietatisq; rudera: omnia sunt obscurata, lacerata, diruta, pessundatq; sacrorum exercitia: abrogata orthodoxa religio, annihilata præcepta ut divina, ita humana. Non secus ac bruta, & sine Deo vivere, & Tyrannidē illam Byzantini Draconis ferre miseri coguntur. Quot ibi per Deum! invenirentur, qui si hanc, quam nos (ex Dei gratia) habemus, haberent religionis exercendæ libertatem; noctes diesq; in genua abjecti Deum suū colerent? quàm queso illi avidè hunc divini verbi rorem haurirent? quas gemmas bonorum operum proferrent? Ipse mihi videre videor eorum devotionem, erga sacrosancta Sacramenta pietatem, erga Ministros verbi reverentiam, divini denique verbi observandi diligentiā, si modò idem ipsis liceret per Turcas, quod nobis hactenus licuit. Non licet autem, non licet per Tyrannos, inquam, quod non sine lacrumis proferre possum. Ut enim supra dixi, ab hoc pietatis exercitio mulctis, carceribus pœnarum atq; cruciatuum multitudine, morte denique ipsa arcentur, omnium mortalium miserrimi. Nonne hoc autem tyrannicum, liberos à parentibus abduci, mactari, aut captivitati ineffabili velut consecrari? nonne abominandum in hominis conscientiam tanta atrocitate sævire? privatione

tione verbi atq; Sacramentorum excæcare. Hæc autem omnia & adhuc crudeliora cottidie perpetrat Tyrannus Byzantinus, in hunc modum sævire solet in suos vasallos subditosq;. In conscientias Christianorum, qui eundem olim nobiscum colebant DEUM, idem audiebant verbum, eadem frequentabāt Sacramenta: Nostri, ô cariss. And. nostri, inquam, consanguinei hæc patiuntur, illi hoc jugum ferre coguntur. Quod & nobis jure metuendum, ideòq; divinum implorandum auxilium. Vicina enim, id est nostra jam res agitur, nobis jam proximus ardet Ucalegon. *Age itaq; unanimis votis, unanimo corde, auxilium Iehovæ imploremus, utq; à nobis hanc tyrannidem velit avertere per & propter meritum Christi divina ejus Majestas, supplici corde rogemus; cum Psalmista dicentes:* Miserere nostri Deus, secundum magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates nostras. Usquequò Domine oblivisceris nostri in finem? usquequò avertes faciem tuam à nobis? usquequò exaltabitur inimicus noster super nos? respice & exaudi nos, Domine Deus noster, ô Pastor Israel ausculta, qui deducis velut ovem Ioseph, qui sedes super Cherubim, manifestare. Excita potentiam tuam & veni ut salvos facias nos. Adjuva nos DEUS salutis nostræ, propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomē tuū, ne forte dicant in gentibus, ubi est Deus eorum? Innotescat inter gentes corā oculis nostris ultio

Sangui-

Sanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt: introeat in conſpectum tuum gemitus compeditorum. Deus exercituum revertere quæſumus, & reſpice è cœlis & vide & viſita vitem quam plantaſti inter nos, ſed & cujus ſepes rupiſti, ut diſcerpant eam omnes tranſeuntes viam, ut conſumat eam aper de ſilva: & feræ agreſtes depaſcant. Deus qui repuliſti nos, ne exeas ab exercitibus noſtris, da auxilium in tribulatione, VANA enim SALUS HOMINUM. Ut in te faciamus virtutem & conculces hoſtes noſtros. *Nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ confitebimur tibi in ſæculum: in generationem & generationem annunciabimus laudem tuam.*

Cæterum, quod felix fauſtumq; ſit, Academiæ Reipublicæ huic ſcholaſticæ, ad id quod nunc potiſſimũ agendũ reſtat, cum bono Deo acceſſum jam faciã, curq; hunc auguſtiſſimum occuparim locum habita temporis ratione brevibus ediſſeram. Semeſtre jam eſt, Viri R. Clariſſ. atq; Eccell. tuq; Juventus ornatiſſima, ſemeſtre jam eſt, inquam, elapſum, ex quo Rectoratus hujus Reip. Litterariæ mihi, atq; Viro Excellẽtiſſimo Dn. D. Erneſto Hettenbachio, Facult. Med. Seniori atq; Medicinæ Profeſſori Publico concreditus fuit. Quem ſi ita, ut quidem Autoritas Patrum conſcriptorum poſtulabat, & muneris concrẽditi dignitas exigebat, hactenus geſſimus, eſt quod meritò gratulemur, DEOq; cumprimis Opt. Max. pro viribus in adminiſtratione ſuppeditatis gratias immortales agamus. Sin minus; cogitetur, nos quoq; homines fuiſſe,

fuiſſe, nec à nobis quicquam humani alienum putare. Quare etiam atq; etiam rogamus, ut ſi forte quid ex lapſu ingenij a nobis prætermiſſum, aut ex imbecillitate noſtra commiſſum, id pallio caritatis tegere, nosq; ut hactenus, in poſterum quoq; benevolentia veſtra proſequi ne dedigneminí. Daturi ſumus uterq; vicißim ſedulam operam, ut beneficij hujus accepti nunquam nos immemores futuros certò experiamini. Et ego quidem cumprimis habeo, cur P. C. agam gratias immortales, cum ob hactenus in me collata beneficia, ut in ſtudijs ita in alijs humanitatis officijs, tum præſertim ob hunc honorem Rectoratus mihi delatum. Non ſufficere vobis videbatur, ſingulariq; veſtræ humanitati, ſi me peregrinum nunquam ante id tempus viſum, & pæne ignotũ, benignè informaretis, humaniter tractaretis, omnibusq; officijs proſequeremini, niſi etiã in hoc honoris faſtigiũ, me evehere tis, atq; adeo benevolentiæ veſtræ teſtimonijs abundè cumularetis. Itaq; & vobis P. C. pro tanto beneficio gratias habeo, habeboq; maximas; & tibi Nobiliſſima, Doctiſſ. Ornatiſſq; Juventus, pro humanitate, amore, cultuq; tandem inexpectato licet, inſperatoq;. Utinam atq; utinam daretur mihi occaſio vel de univerſis vobis vel de ſingulis ita merendi, ut gratum meum affectum, ex facto ipſo potius, quam biſce verbis, (verbis tamen ex intima mente productis) cognoſcere poſſetis! Certè quamvis corpore longißimè à vobis abſuturus ſim, animo tamen hic inter vos peregrinabor, veſtrosq; vultus, tanquam præſentes in humanitatis veſtræ memoria intuebor. Quod antequam fiat,

faciam, prius, quod consuetudo hujus Academiæ, & P. C. autoritas imperat. Meo itaq; loco successorem nominabo, vobisq; Rectorem relinquam. Ut enim sine pastore gregem, ita sine Rectore Remp. esse, est periculosum. Quare te, Vir Clariß. atq; Excellent. Domine Ambrosi Rhodi, *Medicinæ Doctor, & Mathematum in hac Academia Professor Publice, autoritate Imperiali atque Electorali, de consilio & sententiâ P. C. Rectorem Academiæ VVitebergensis pronuncio, pronunciatum autoritate eadem ritè confirmo, confirmatum ab omnibus honorari atque pro Magistratu in Rep. Literaria summo haberi coliq; volo. Simul etiam insignia Magistratus Scholastici Tibi trado. Sceptra nimirum hæc argentea, sigillum Academiæ, Librum quo statuta continentur. Claves etiam committo, quibus œconomiam Academiæ tibi concreditam, tam domi quàm foris esse scias. Epomidem deniq; seu pallium, ut potestatis, Cæsarea simul & Electorali autoritate concessæ, & oneris à meis meiq; hactenus Dn. Pro-Rectoris, Excell. D. Hettenbachij in tuos humeros translati symbolum. Insuper verò oneri ferendo, auxiliũ Dei Opt. Max. Magnific. T. opto, ut q; hoc munus ampliß imũ feliciter gerere atq; administrare ipsa possit ex animo precor. Tibi verò ô studioßß. Juventus pacem & tranquillitatem longißimam voveo. Sit jucunditas Domini DEI nostri super vos, & opus manuum vestrarum dirigat. Dominus in cœlo memor sit vestrum, & benedicat de cœlo domum hanc Israël. Adjiciat benedictionem super vos,*

vos, & super filios filiorum vestrorum. Opto pacem VVitbergæ, salvi sint diligentes te. Pax sit in antemurali tuo, & salus in palatijs tuis. Confundantur & retrorsum convertantur omnes, qui oderunt Sion. Benedictio autem Domini maneat supra vos diligentes ipsum, & pax super Israel.

DIXI.




Perilluſtri ac Generoſo Domino,

Domino

Comiti EMERICO THURZO

de Bethlemffalva Libero ac Hæreditario Comiti de Arva, ejusdemq; Comitatus Arvenſis ſupremo ac perpetuo Comiti, Palatini Ungariæ &c. FILIO

Rectori Academiæ Vittebergenſis Magnificentiſſimo, Domino meo gratioſiſſimo, benigniſſimo.



Ut rurſus genialis humus pubeſcit, & almum
producit Majum, toti, Comes inclute mundo:
hæc adoleſcentis das prima pericula Muſæ,
nata ſub albiados ſummo moderamine, læto
ſucceſſu ingenij documenta Academica monſtrans
palladio in nutrica rufinemq; laborum.
Quæ ſimul ut legit ſuperûm ſacer ordo, probantur
& meritò laudantur, ait, conamina tanta,
quicis virtute potens primâ hâc ætate patriſſas,
& patriæ quod laudis habes imitamen adæquas!
Ergo THURZO Æ jubar, & nova gloria GENTIS,
Deliciumq;, EMERICE COMES, patriæq;, patriſq;,
Salve iterum atq; iterum, quas & tibi Leucoris alma,
Præco tuæ virtutis, ovans canit, accipe laudes:
Gloria magnificis te mox feret aurea pœrtis,
&, quod amas, famæ decus immortale ſequetur.

devotæ gratulationis, atq; obſervantiæ ſingularis ergo

lætus lubensq; ſcribebam

M. Erneſtus Hettenbachius Vitteb. Facultatis Philoſophicæ Adjunctus.

FINIS.

3.

Thurzó Imre, [Litterae invitatoriae rectoris academiae Wittebergensis, Emerici Thurzo ad exequias Barbarae Manlichiae, uxoris Leonhardi Hutteri] Wittenberg, 1615.

RECTOR ACADEMIAE WITTEBERGENSIS,

COMES EMERICUS THURZO DE BETHLEMFFALVA, LIBER AC Hæreditarius Comes de Avra, ejusdemq; Comitatus Arvensis Supremus ac perpetuus Comes: PALATINI UNGARIÆ &c. FILIUS.

DE arctissima mariti & uxoris conjunctione & connexione verbis utitur sacra Scriptura aptissimis & efficacissimis, quando sic unum uni indissolubili copula caritatis ἁρμόζεσθαι καὶ προσκολλᾶσθαι, hoc est, adaptari atque agglutinari affirmat, ut intelligatur, semel matrimonio legitimo junctos, jam non duo, sed unum corpus esse; quodq; præter naturam esse ab altero divelli alterum, quàm membrum à corpore abscindi. Ut autem non omnia materiarum genera vel inter se, vel cum aliis sociabilia sunt, nec verè cohærent, nisi similis naturæ, eaq; in tantum, ut findantur antè, quàm solida sunt: Ita non omnium matrimoniorum idem successus; sed nonnullorum tam tristis eventus est, ut vivi suos pati manes, & ad æternos præludere ejulatus videantur, idq; tanto infelicius, quòd si semel malè cecidit

 alea,

alea, non est quod arte corrigatur. Alij ex adverso tam suaviter inter se conspirant & consentiunt, ut gustum quendam lætitiæ ineloquibilis, qua in beatitate illa sempiterna cum Deo & Angelis Electi fruentur, tum ipsi sentiant ac percipiant, tum aliis repræsentent & exhibeant; unde inter illa, quibus se exornari, & apud Dominum juxtà atque apud homines formosam fieri gloriatur, virum atque uxorem inter se consentientes & mutuò tolerantes Sapientia numerat. Ejus verò diversitatis causas ut curiosiùs indagare hujus loci & temporis non est: Ita consideratu hoc dignissimum, quòd cùm de nulla re Ethnici sanctiùs & religiosius, quam de matrimonio scripserint, ne Platonem quidem latuisse videmus, homines propter injusticiam à Deo avulsos atque aversos, in contrahendis matrimoniis infelices esse: *At qui Deo reconciliati, ipsum faventem ac propitium habeant, eos* DIMIDIUM SUUM *exoptatum reperire & consequi, cum quo tanquam colliquefacti, & in idem confusi, ex duobus unum efficiantur, & tàm in præsenti, quàm in futura vita unum semper esse perseverant.* Quid hoc fermè est aliud, quàm quod Hebræorum Sapientes pronunciant, *eum qui mulierem bonam inveniat, mundum invenire bonorum, Deique favorem obtinuisse: Domum quidem & opes hæreditatem esse patriam; at uxorem intelligentem à Domino esse: Mulierem probam, bonam esse portionem, & Dominum metuentibus sorte obvenire.* Hujus verò prosperitatis, qua nihil magis non modò ad vitam, sed beatam etiam tranquillamq; vitam necessarium cogitari potest, specimen hactenus Deus nobis proposuit in conjugio Viri Reverendi & Clarissimi, Dn. *LEONHARDI HUTTERI*, S. S. Theo-

Theologiæ D. & Professoris P. Facultatis Theologicæ Senioris, & Consistorij Ecclesiastici Electoralis Assessoris dignissimi: & matronæ prastantissimæ sanctissimæq; *BARBARÆ* MENDELIÆ. Illud ipsum autem cùm ex oculis conspectuq; nostro subducere divinæ placuerit voluntati; quantumvis id absq; sensu doloris acerbissimi fieri hequeat, in eo tamen nos acquiescere pietas Christiana jubet. Eadem verò cùm hortetur, ut tum piè defunctorum memoriam grata prædicatione prosequamur, tum lugentium ploratiumq; societatem amemus: Improbi enim tantùm jucunda sectantur, & afflictos refugiunt: Danda scilicet opera nobis est, ut præstitis hac in parte officij laudem assequamur. Itaq; facere non possumus, quin ea, quæ de Matrona optima ex Vidui mœstissimi relatione accepimus, paucis exponamus. In lucem hanc edita est illa AUGUSTÆ VINDELICORUM, Septembris die VI. Anno M.D. LXV. Patre quidem DAVIDE MANLICHIO, Patricij & Mercatorij Ordinis Cive ibidem honestissimo: Matre verò ANNA URSULA WELSERIANA, ex nobili & perantiqua Patritiorum WELSERORUM familia oriunda. Ab his Parentibus ad pietatem, pudicitiam & Oeconomicas virtutes inde à teneris annis assuefacta; non solùm ita se parentibus carissimis, ut cæteros consanguineos & amicos taceamus, probavit, ut præ reliquis utriusq; sexus liberis à patre tenerrimè & impensè amaretur: Verùm etiam patre orbata, Matris senio quodam modo confectæ, & cum morbis sæpius conflictantis caritatem & curam, conditionibus nuptiarum quæ minimè deerant, luculentis prætulit, & propria negligere commoda maluit,

quàm

quàm matri defertæ id officij denegasse videri, quod ciconiarum pullos suis reponere parentibus natura docuit. Quamobrem & ipsa verum esse experta est, quod sapiens Hebræus dixit: *Faustam Patris precationem domos stabilire liberorum, & qui matrem suam veneratur, perinde esse ac si thesaurum comparet & recondat.* Cùm enim is, qui nunc in luctu justissimo versatur, *D. LEONHARTUS HUTTERUS* sociam vitæ exoptaret, qui cum sanctè tranquilleq; cum bona fama ætatem degeret, quod conjugium destinantibus unicè spectandum sapientes monent: Virginis lectissimæ pietate & virtute eximia movit ipsius amici & familiares, suasores autoresq; fuère, ut fidem illi matrimonialem daret, id quod parentis sui τοῦ ἐν ἁγίοις, consensu, quem magni in hoc contractu sanctissimo faciendum saniores Ethnici non minùs quàm sacri Scriptores monent, accedente, imò præeunte, nuptiis die IX. mensis IIX. Anno M. D. IC. in Imperiali Suevorum *ULMA* solenniter celebratis factum. Inde per annos XVI. hebdomadas III. & dies totidem conjuges isti vixerunt unà conjunctissimè, matrimonio usi pacatissimo & felicissimo, eaq; sese mutuò fide, caritate, concordiâ complexi, ut vix ullum tranquillius beatiusq; matrimonium vel sperari vel optari posse videatur. Nam quod plerique infortunij aut etiam probri loco ducunt, si liberis careant conjuges; Id piè defunctam ita interpretatam esse ac talisse testari possunt, qui cum ea familiarius sunt conversati, ut inexpugnabilem videns in utriusq; sexus juventute contumaciam, lasciviam, perversitatem, sibi gratulata ex animo fuerit, quòd nullos aliquando post se relictura esset liberos,

beros, quibus malè ominari necessum haberet; qua in parte maritum quoq; sibi semper habuit ὁμόψυφον, ex cujus ore non semel hoc Siracidæ audiit, κρεῖσσον θάνατος ἢ πικρὸν, ἢ ἔχειν πόνον ἀπὸ ἀγαθῶν. Iterumq; illud Euripidis, ἄμεινον ἄπαιδα καρπῶσθαι δόμον. Καὶ γὰρ παῖδες γενόμενοι, ἐχθρὸν τόδε. Verùm quis hîc etiam cum Tragico non exclamet? ὦ θνητῶν ἀνδρῶν πολλὰ πολλάκις γόους, ὡς οὐδὲν ἐστὶν πλὴν σκιᾶς εἰκῆ τάδε. Ecce enim! Hos ipsos conjuges, quo minimè quis putasset tempore, separat jam acerba mors. Ægrotare enim cæpit matrona optima proximè elapsi mensis Octobris die decimo tertio, quo die cùm febrilis cujusdam horroris initia sensisset leviora ac mitiora; Postridie statim meliusculè tamen habere sibi & aliis visa, de usu sacrosanctæ συναξεως, & vera ac salutari cum DEO æterno & misericorde reconciliatione, suaq; fidei confirmatione serio cogitavit, diemque illum integrum meditationibus sacris, & audiendæ concioni vespertinæ, suaq; publicè coram Ministro Ecclesiæ edendæ Confessioni consecravit. Illa ipsâ autem vespera cùm jam cœnatura, malè rursus habere cæpisset; Inhanc vocem audientibus qui aderant omnibus, erupit: O du getrewer GOtt/ laß mich nun zuvor Morgendes hohe Gnadenwerck verrichten/ darnach will ich dir gern still halten: Testata scilicet, peracto opere illo sacrosancto, ad nutum se voluntatemq; misericordis Dei paratissimam fore. Deus verò preces illas clementissimè exaudiit, vires largitus, ut postero die, nempe XV. Octob. salvis ac integris viribus, cultui divino, & sacræ Cœnæ participationi, cum vera animi devotione vacare posset. Verùm eodem die circa vesperam, ardore febrili & quidem vehementiore correpta

repta est, & ab eo tempore lecto affixa, calore continuo circa viscera æstuante, vires sensim ita amisit, ut nudius tertius hora quarta matutina placidè vitam in his terris suam finierit, & indormiscere magis quàm mori visa fuerit, cùm vixisset annos L. & menses II. Quæniam verò in morbo patientiæ Christianæ specimina ediderit, quàm ardentibus votis & gemitibus ad Deum, cum ipsis dolorum incrementis quasi certârit; testari ij possunt, qui ægrotanti & expiranti adstiterunt; & relinquenda nonnulla sunt concioni, qua exequiæ cohonestabuntur, funebri. Ut unius tantùm mentio fiat, inter crebra ad IESUM CHRISTUM, Servatorem suum suspiria, sæpe illud Davidicum ingeminavit: *Ingentibus animi premor angoribus: Educ me ex meis periculis. Aspice meam miseriam & labores, & ignosce meis omnibus peccatis.* Neq; illud silentio præterennndum, quòd eo ipso, quo primùm ante annos XVI. pedem in hanc urbem intulit die, ipsis Calendis Novembribus, Omnium Sanctorum festivitati antiquitus dicatis, Witebergæ nostræ & Marito carissimo extremum VALE dixit. Is verò in lugendo & deplorando defuncto suo Patriarcham ABRAHAMUM imitatus, postea Hora I. exuvias *BARBARÆ* suæ desideratissimæ, ad templum Parochiale, intra quod post habitam concionem Christiano ritu humabitur, deferendas curabit, & cui viventi ὡς ἀδιανεσίῳ σκηνῇ debitum semper tribuit honorem; eidem ὡς συγκληρονόμῳ χάριτος ζωῆς, supremum pietatis & humanitatis officium præstabit. Agite ergo Cives Academici, & vestram erga Viduum mœstissimum observantiam, animisq; condolescentis affectionem prolixè declarate. P. P. die III. Novembr. Anno M. DC. XV.

4.

Thurzó Imre, [Litterae invitatoriae rectoris academiae Wittebergensis, Emerici Thurzo ad exequias Augusti ducis Saxoniae], Wittenberg, 1616.

Berg ꝛc. vnserm gnädigsten Churfürsten vnd Herrn/sam seiner Churf. Gnaden Gemahl/jungen Herrn vnd Frä lein/bey langem Leben vnd beständiger gesundheit frisi vnd erhalten. Er bedecke jhre Chur vnd Fürstliche Gn. den mit den fittigen seiner Flügel/vnd wende alles vnglück ab von jhren Pallasten / damit nicht das Land / wie eine Widtwe werde/noch die Einwohner darinnen/wie Kin der ohne Vater. Er lasse seine F. G. allezeit grunen / als einen schönen Rautenkrantz / damit Gott aus gnaden dieses Land gekrönet hat. Er lasse vns vnter seiner F. G. glückseliger Regierung wachsen / wie die Pflantzen im Hause des HERRN/er erhalte vns sein Wort/gebe fried vnd ruhe im Lande / vnd bescheere vns endlich allen / wenn vnser Stündlein kömmet/ ein seliges ende.

So ruhe vnd schlaffe nun in dem HERRN/du seliger Fürst AUGUSTE, es wird der Tag des HERRN bald anbrechen/ da dich GOtt sampt allen auserwehleten in grosser klar vnd herrligkeit auferwecken / vnd mit ewiger frewde vnd wonne vor seinem Angesichte erquicken wird. Dahin vns allen auch aus gnaden verhelffen wolle/ Gott Vater/ Sohn vnd heiliger Geist/ einiger wahrer Gott/hochgelobet in ewigkeit/ Amen.

Thurzo Emer. h. Comes.

D RECTOR

1616

RECTOR ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS, COMES EMERICUS THURZO DE BETHLEMFFALVA, LIBER AC

Hæreditarius Comes de Arva, ejusdemq; Comitatus Arvensis Supremus ac perpetuus Comes, &c.

N.M.H. MUZEUM KÖNYVTÁRA TÁR

SI in nulla societate humanæ partem locum habet præceptum Apostolicum, quo jubemur χαίρειν μετὰ χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων: In ea profectò, quæ inter Principē & subjectos intercedit, conjunctione ac necessitudine sine summo illud scelere negligi non potest. Sanè in corpore humano, cui rectissimè quælibet præclarè constituta respub. & communitas hominum comparatur, inter membra talis divinitus est consensus, ut eorum uno suaviter aut secus affecto, similiter afficiantur reliqua. *Exacta* quippe *unitio*, ut Theophylacti interpres loquitur, *communes facit glorias & calamitates*. Nihilominus tamen, cùm illa ipsa membra, variis destinata officiis, dignitate & utilitate non parum inter se distent, ita scilicet ab ipso DEO corpus, ut voluit, temperante, aptata & collocata, ut invicem sibi præstent, quod debent: mirum non est, quanto quæq; nobiliora sunt, magisq; ad communē salutem atq; utilitatem tuendam & conservandam necessaria, tanto majorem ex eorundem statu vel prospero, vel afflicto sensum lætitiæ dolorisve in cæteris oriri & existere. Jam verò quemadmodum caput, ex Platonis etiam sententia, membrum est corporis divinissimum, & reliquorū membrorum princeps, quippe cùm prudentia sensusq; omnes non aliàs, quàm in illa parte corporis contineantur; ideoq; illi corpus connexum Deus opifex subesse & parere jussit: Ita *IMPERII corpus, quod coire non potest, nisi unius Præsidis nutu, quasi anima & mente regatur*, pro Capite habet Principē, uni subjectū DEO, & hujus vices in terris agentem. Cùm ergò excelsi & generosi sit animi, qualium florenti fortunæ minimè invid- ... sed, eàdem, ... rimum lætari: Cùm item natura nobis hoc sit institū, ut aliorum miseriis afficiamur: Quis non ferro aut faxo duriorem, hominisq; vocabulo indignum pronunciet eum, qui in Principis sui vel lætitia, vel mœrore luctuq; nullam declaret humanitatis affectionem. Imò ... qui Lactantii illud cogitant. *Absq; capite membra cætera corporis quidem membra habent, usum non habent; & sine membris aliquibus vivi potest, sine capite nullo modo*: itemq; hoc Ambrosii: *Sublato capite, corpus sine nomine est; capite cognito, vita integra, salus tuta est*: Ii bona malaq; Principis ad subditos pertinere persuasissimum sibi habentes, magis etiam illius, quàm propriis rebus sive secundis sive adversis unum quemq; affici & commoveri justum piumq; esse statuunt. Hoc autem modo cùm vel natura duce animatos esse deceat atq; oporteat, quicunq; sub potestate, quæ ex DEO est, se degere agnoscunt: In primis tamen suam hac in parte pietatem modis omnibus

teſtatam cunctis facere illi debent, quorum aures hujusmodi monitis asſiduè circumſonant, quiq; ad ea diſcenda huc ſe miſsos esſe meminerunt, quæ ad divini nominis gloriã, Eccleſiæq; & reipublicæ decus ac emolumentum vicisſim alios docere aliquando posſint. Quæ omnia, & quæ in eandem ſententiam afferri plura posſent, cùm Cives Academicos absq; longiore commonefactione ſecum frequenter cogitare confidamus: Tales eos deinceps etiam in publico, quem Deus Patriæ rurſus ſub finem anni ſuperioris immiſit, luctu futuros omnino ſperamus, ut teſtimonio potiùs honorifico ornandi, quam officii admonendi esſe videantur. Notum enim omnibus eſt, ipſis feriarum CHRISTI natalitiarum diebus, VII. Cal. Januar. veſperi ex hac mortali vita, DEO ſic volente, evocatum esſe Illuſtriſsimum & celſisſimum Principem ac Dominum, Dn. AUGUSTUM, Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montiumq; Ducem, Landgravium Turingiæ, Marchionem Miſniæ, Comitem Marcæ & Ravenspurgi, Dominum in Ravenſtein &c. Dominum noſtrum clementisſimum. Hoc verò vulnere cùm illud refricari neceſse ſit, quod ante paucos annos ex obitu præmaturo Sereniſsimi & illuſtriſsimi Principis ac Domini, Dn. CHRISTIANI III Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montiumq; Ducis, Sacri Rom. Imperii Archimarſchalli & Electoris, Landgravii Turingiæ, Marchionis Miſniæ, Burggravii Magdeburg: Comitis Marcæ & Ravenspurgi, Domini in Ravenſtein &c. Dn. noſtri clementisſimi, inclita Domus Saxonica adeoq; Patria univerſa accepit: Pietas ipſa hortari ſingulos debet, ut quanto in mœrore luctuq; jam illi, quos hic caſus propiùs attingit, denuo

nuò verſentur, ſecum perpendentes, tum precibus Deum æternum ac miſericordem ardentibus invocent ac rogent, ut is Spiritu Sancto ſuo ſugentiũ animos erigat & corroboret, ut in voluntate divina toti acquieſcant: Tum vitam ſinguli ſuam ita moderentur atq; inſtituant, ne affirmari de ipſis Pindaricum hoc jure meritoq; posſit: *ἑνὸς ἀνδρὸς κἀδὸς· ἄλλο δ' ἄλλο τέρπει. Res eſt publica Princeps, Et de communi pars quæq; noſtra bono eſt*, veriſsimè dixit Poetarum ingenioſisſimus. Cùm Patroclus fratris loco ab Achille habitus & amatus, in prælio peremptus de curru exanimis decidiſset: De equis, quibus vehebatur, Achillis iſta Homerus prodidit: *Θεοὶ ἐπεπλήγοντο κατ' ἄκρης, Δεξιὰ δὲ σφὶν θέρμα κατὰ βλεφάρων χαμάδις ῥέε μυδόωντε· Ἱπποχίῃ πτυθῆ*: Aurigæ illos innuens deſiderio & capita in terram demiſisſe, & largum ex oculis lacrymarum imbrem profudisſe, atq; ita brutorũ exemplo monens, inhumanam esſe duritiam, dolore, cùm aliquem ex cariſsimis amiſeris, nullo affici. *Ἀδύνατον γὰρ τὸ ἀπαθὲς, ὅπου ἀνθρώπειον*, ſecundùm Plutarchum; *& ſine dolore non pereũt, quæ cum amore poſſeſſa ſunt*, ſententia eſt B. Auguſtini. Apollonidem Cyzicenam Eumenis Regis, ac trium præterea filiorũ, Attali, Philetæri, & Athenæi matrem prædicaſse ſubinde ſe beatam Deoq; egisſe ferunt gratias, non propter divitias vel imperium, ſed quòd tres filios videret natu maximi esſe quaſi ſatellites, eumq; fratres in gloriæ ſuæ partem admittentem, in medio ipſorũ gladios haſtasq; ferentium absq; metu verſari. Non diſsimilem per annos aliquot felicitatem divina benignitas indulſit inclytæ Heroinæ, Dominæ SOPHIÆ, Auguſti Ducis, *εὖ τοῦ μακαρίτου* Matri pientisſimæ: ut nimirum Prin-

cipum Electorum filia, soror, uxor, mater audiret, & ex mutuo trium Filiorum illustrissimorum, inter se amore benevolentiaq;, & minorum erga natu maximum observantia, reverentiaq; lætitiam illam perciperet, qua nulla major in hac vita optari potest. At illa ipsa vitæ suavitate cùm jam sit orbata; quanto hinc in mœrore versetur pectus generosissimum, cogitationi cujusq; relinquendũ potiùs, quàm oratione jejuna delibandũ videtur. Quæ ipsa cogitatio facit, ut in adumbrando aliqua saltem ex parte dolore illo, quem in Fratris tenerrimè dilecti amissione percipit Serenissimus atq; illustrissimus Princeps ac Dominus, Dn. JOHANNES GEORGIUS, Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montiumq; Dux, Sacri Rom. Imperii Archimarschallus & Elector, Landgravius Turingiæ, Marchio Misniæ, Burggravius Magdeb. Comes Marcæ & Ravenspurgi, Dominus in Ravenstein &c. Dominus noster clementissimus, & hujus Academiæ Patronus Supremus ac Nutritor munificentissimus: in illo ergo dolore utcunq; exprimẽdo, ad Timantis Pictoris imitationem, silentium aptius esse, quàm orationis cuicuimodi conatum judicemus. Probavit Darius Hystaspis Persarum Monarcha judicium mulieris Persicæ, uxoris Intaphernis, quæ fratris salutem mariti ac liberorũ saluti ideò prætulisset, quòd se alium, si Deo visum esset, maritum, aliamq; prolem; fratrem autem, amissis parentibus, nullum amplius nanciscì posse diceret. Eodem res nunc rediit, ut Serenissimus Princeps Elector &c. Fratrem, qui eum animi affectionibus & actionibus in unum veluti coire, qui cum studia, consilia, colloquia, seria deniq; & joca omnia communia habere queat, non magis

magis sperare possit, quàm mortem abscisam, conjúmve eratum recuperandi facultas ulli detur. Et quis dubitet, quin Serenissima ipsius Celsitas, si optio daretur, Pollucis affectum repræsentare cupiat, quem Ethnici, fraternæ charitatis & maritatis & præstantiam declaraturi, fabulantur ne Deum quidem solum, sed semideum unà cum fratre esse voluisse, atq; in partem venire mortalitatis, ut sua fratrem immortalitate impertiret? Sed quæ præterea in hanc sententiã, & nominatim de illustrissimæ Principis ac Dominæ, Dominæ ELISABETHÆ, &c. quam viduam Dux AUGUSTUS mœstissimam reliquit, ut & Sõrorum illustrissimarum, aliorumq; sanguine & necessitudine propinquæ cõjunctorum dolore luctuq; dici poterant, ea tempori loceq; magis commodo reservantes ad illud accedimus, cujus significandi gratia potissimùm hæc opera sumitur. Exequiis Principalibus in conditorio Electorali constitutus est dies perendinus Februarii scilicet dies Sextus. Cùm ergo ad [illegible], quem solennitas illa funebris à subditis in universum omnibus postulat, accessio quædam in Academia nostra vel eo nomine fieri debeat, quòd ipsa non tantùm membrum; verùm etiam Rectrix munificentissimus per annos V. Princeps immortalis memoriæ dignissimus fuit: Hortemur singulos & universos, qui jurisdictionem cognoscunt Academicam, ut in officio tam pio tamq; honesto cumulatissimè præstando, summam animi promptitudinem modis omnibus declarent. Est autem hic ordo pompæ funebri datus, ut die Martis proximo hora VII. matutina in area Collegij FRIDERICI frequentes ii, qui nostri sunt, conveniant: atq;

inde

inde ordine decenti ad forum progressi, intra agmen suum conveniente loco recipiant eos, qui ex officiariis Principalibus & Senatu opidano sese adjungent, & deinceps ad templum Academiæ arci contiguum pergant. Ibi post decantatas lamentationes usitatas funebris laudatio recitabitur à Viro Reverendo & Clarissimo, Dn. LEONHARDO HUTTERO, Sacrosanctæ Theologiæ D. & Professore P. Facultatis Theologicæ Seniore: eaq; finita, ad ædem Marianam, conveniente rursus ordine pompa funebris deducetur. Ibi habita concione funebri à Viro Reverendo & Clarissimo Dn. FRIDERICO BALDUINO, S. S. Theologiæ D. & Professore P. & Ecclesiæ Wittebergensis Pastore ac vicinarum Superintendente, cæterisq; ceremoniis peractis, & precibus ad Deum pro Salute patriæ humiliter effusis, finis actui luctuoso imponetur. Deum æternum & omnipotentem, *qui vulnerat & medetur, qui percutit & sanat*, veneramur supplices, & oramus, ut qui peccatis nostris provocatus, luctus causam nobis præbuit, vultu nos respiciat benigno ac paterno, & propitius effeiat, ut Serenissimorum Parentum, omniumq; sanguine conjunctorum lætitia, quam Sobolis generosissimæ jucunditas afferunt, & in posterum pollicentur incrementa, magis semper magisq; augescat, & fructum aliquando Ecclesiæ Patriæq; universæ afferat speratum & exoptatum: Ille ipse Capitis coronati gloria & prosperitas subjecti corporis membra perpetuum exornet, lætificet, exhilaret. *P. P. Februarii die IV. Anno M. DC. XVI.*



FINIS.

JEGYZETEK

I. Jegyzetek a levelekhez

1.

Thurzó György – (1567–1616) T. Ferenc és Zrínyi Katalin fia, Forgách Imre nevelt fia. Tanárai Nicodemus Sartorius, M. Erhardus, Basilius Gertsmannus, Johannes Bruno voltak (SPIEGEL E1a). 17 évesen Ernő főherceg, Magyarország hadi főkormányzója udvarában töltött egy évet, majd 1590-től Pálffy Miklós oldalán katonáskodott. Első felesége nevelőapja unokahuga, Forgách Simon lánya, Zsófia (mh. 1590), akitől Zsuzsa és Judit nevű gyermekük született. 1592-ben Czobor Imre és Perényi Borbála lányát, *Czobor Erzsébet*et vette feleségül. 1606-ban, a bécsi békében szerepe jelentős, az árvai örökös főispáni címet kapta érte. Kincstárnok és asztalnok, Illésházy Istvánnal együtt a magyar rendek vezetője és az ausztriai, csehországi protestánsokkal való együttműködés szervezője. A Rudolf–Mátyás közötti hatalmi harcban az utóbbi támogatója. 1608-ban Illésházyt, annak halála után 1609-ben őt választotta nádorrá az országgyűlés. Egyház- és iskolaszervező tevékenységének összefoglaló értékelése máig nem készült el.

Hunnius, Aegidius – (1550–1603) tübingeni tanulmányai után a marburgi egyetemen tanított. 1592-ben az orthodox vonal megerősítésére hívták Wittenbergbe. Szentírás-kommentárjai a melanchthoni tradíciót megtagadva a szigorú biblicizmusig vezetnek. 1601-ben Regensburgban Jakob Gretser és Adam Tanner jezsuitákkal folytatott hitvitát. Ezt összefoglaló műve: Relatio historica de habito Ratisbonae Colloquio... Tübingen, 1602. (vö. W. Herbst, Das Regensburger Religionsgespräch..., 1928.) Thurzónak írt levele Hunnius magyar kapcsolatainak egyik utolsó emléke; a XVI. sz. végén munkáinak s neki magának is igen nagy szerepe volt a felső-magyarországi hitvitákban (vö. RMNy 770, 823, 888, 1074.). Műveit ld. még a Thurzó könyvtárban ADATTÁR 11. 526–527.

Ratisbonensis Colloquii Protocollum – talán a Colloquium Ratisbonensis Historia ex authentico ab utraque pactis constitutis reversoribus subscripto exemplari, 1602. vagy az Analysis Dialectica Colloquii Ratisbonensis anno 1601 de norma et judice controuersiarum fidei Christiani habiti című nyomtatványra gondol a levélíró. BAYLE 872. Ld. a Thurzó könyvtárban, ADATTÁR 11. 516, 523.

2.

Közölte: ILA 22–23.

Gessner, Salomon – (1559–1605) Boroszlóban tanult, majd Strassburgban a Wilhelm kollégium alumnusaként 1583-ban lett a filozófia magisztere. Hazatérte után Dudith Andrásnál volt nevelő egy évig, majd szülővárosában, Bunzlauban, 1589-ben pedig Stettinben volt rektor, ahonnan vallási türelmetlensége miatt kellett távoznia. 1593-ban Wittenbergben a teológia professzora és doktora, s a vártemplom prépostja lett. 1595-től II. Keresztély szász választó udvari prédikátora. Sziléziában volt kollégáiból kémhálózatot szervezett, ennek eredménye 1601-ben a Treuherzige Warnung an die löblichen Stände in Schlesien Calvinisten ... és Martin Moller denunciálása. 1602-ben Moller apológiájára válaszul megjelentette Gründliche und ausfürliche Widerlegung der nichtigen und ganz Calvinischen Apologiae Martini Molleri című írását.

Sculteti, Martin – (?–1621) Severin S. bártfai lelkész fia, 1599. november 7-én iratkozott be Wittenbergben, ahol három évig tanult (BARTHOLOMAEIDES 103.). Hazatérte után Csejtén volt rektor, majd Thurzó biccsei iskolájának rektora, 1609-ben „comitis Emerici Thurzo ... praeceptor"-nak írja magát (RMNy 976). Később Thurzó György személyi titkára lett; 1614-től állandó bécsi megbízottja (ILA 1932. 21.).

3.

Francisci, Tomáš – Turócszentmártonból származik. 1603-ban Thurzó György alumnusaként iratkozott be Wittenbergben. Mosócon volt rektor, majd 1611-12-ben Biccsén tanított, egy 1614-es ajánlásban biccsei lelkész (RMK III. 1137.), 1615-ben Predméren volt, s az 1628-as bajmóci zsinaton is mint predméri lelkész vesz részt. RUŽIČKA 103, 127, 179, 198; FABÓ I, 40; II, 256. KLEIN III. 140, 203, 204.

Stigel, Johann – (1515–1562) Német humanista költő. A besztercei iskola első ránkmaradt 1566-os tanrendje szerint a 3. osztályban Sallustius mellett tananyag volt. Idézi Daxer György, A külföldi iskolalátogatás hatása a hazai protestáns nevelésügy fejlődésére, Békéscsaba, 1909, 8.

4.

Hasonmás kiadása: KUBINYI 5.

5.

Cholius, Kaspar – Wittenbergben tanult, majd tanulmányait megszakítva, 1606-ban, Lőcsén tanított, utána Thurzó támogatásával Bázelbe ment (ILA 48.). Choliusról Gaspar Lahmként Rezik mint a báni iskola kiváló vezetőjéről ír (Gymnasiologia, I. I/7.) 1600–1604 körül. Krman Joachimicusnak nevezi (RUŽIČKA 86, 166.). 1616 előtt és 1619-ben lőcsei tanárként említi (Uo. 318.). Bázeli, wittenbergi beiratkozásának nincs nyoma. Ld. még a következő levelet, melyből IIa is idéz (48).

6.

Platter, Felix – (1536–1614) Bázeli és Montpellier-i tanulmányai után 1557-től Bázelben tanított, a gyakorlati orvostan professzora, Vesalius legkorábbi német követője. Bázelben anatómiai bemutatótermet, botanikus kertet hozott létre. 1583-ban jelent meg De corporis humani structura et usu című műve, melyet a szem anatómiájának leírásánál Kepler is felhasznált. Európai hírű orvos, fejedelmek gyógyítója.

Stupanus (Stuppa), Johann Nikolaus – (1542–1621) Svájci orvos, a bázeli egyetemen az elméleti orvostudomány professzora.

Bauhin, Kaspar – (1560–1624) Bázelben, majd Bolognában, Paduaban és Montpellier-ben tanult. Először 1581-ben végzett nyilvános boncolást Platter vezetésével. 1589-ben a bázeli egyetemen újonnan létesített botanikai és anatómiai tanszéken lett professzor. A botanikai terminológia kialakításában jelentős szerepe volt. Főműve a De corporis humani fabricata 1590-ben jelent meg. Vesalius tanításaival ellentétes nézeteit 1605-ben Theatrum anatomicum című művében fejtette ki.

Henckel, Lazar – (1551 az NDB szerint, 1531 a BWdG szerint – 1624) Lőcsén született, apja Johann H. Mária királynő szolgálatában állt, majd kamarai tiszviselő lett, anyja Anna Wildner. L. H. 1579-ben ment Bécsbe az ulmi Schenner-cég megbízottjaként. Gyors karrierjét az Angliától az Al-Dunáig terjedő kereskedelmi ügyleteiből (bor, marha) építette. 1591 után már a császár, az udvari kamara egyik fő hitelezője, saját ügynökei voltak Lipcsében, Nürnbergben, Prágában. 1603-tól a besztercebányai rézbányászat negyedét is megszerezte. Ekkor már Bécsben házai voltak, három nemesi birtoka, tagja a városi tanácsnak, a városi bíróságnak, később császári tanácsos. 1623-ban Sziléziában hűbérbirtokot kapott, Beuthent és Oderberget, melyek 1629-ben és 1632-ben a család örökös birtokába mentek át a bányászati joggal együtt. Hitelügyleteiről, magyar kapcsolatairól magyarul ld. Makkai László, A Habsburgok és a magyar rendiség, TSz 1974. 165, 169. A Thurzóktól is megbízása volt a Magyarországon kívüli pénzügyeik intézésére, így az ösztöndíjasok ügyeiben is eljárt, ld. még ILA 236, 239. Háborúk okozta válságokhoz is alkalmazkodva sikerrel vetette meg a von Donnersmarck família alapjait (ld. még az RMNy 1088. ajánlását).

Disputatio de morbo Ungarico – Kaspar Cholius (Lahm) műve Thurzó 1610-es biccsei könyvkatalógusában is szerepel (ld. ADATTÁR 11, 173, 508, 524., az RMK nem ismeri.). Ez a betegség valószínűleg a tifuszos láz egyik változata, melyet a XVI. sz. közepén a Pest alatt táborozó német katonaság terjesztett el. A korabeli magyarázat szerint a magyarok és a törökök igen hatásosan, borivással védekeztek ellene. RUTTKAY 126–127.

De febre ungarica epidemia, De transmutatione ferri in cuprum in officinis metallicis Schmölnicensibus, De causis mutationis aquarum Scepusiensium című disputációkat az RMK III. nem ismeri.

Bellum... inter Belgas et Hispanos – A németalföldi szabadságharc utolsó fejleményeiről van szó, melynek lezárása a hollandok gibraltári győzelme volt.

Pacem in afflictissima Vngaria – a bécsi és a zsitvatoroki békeszerződések törvénybeiktatásával kapcsolatos eseményekről, az 1607 nyarán összeülő országgyűlésről van szó.

7.

Thurzó Imre tanára – Valószínűleg *Nicolaus Fidicinus* – (? – 1625) 1603. február 3-án iratkozott be Wittenbergben, mint Nicolaus Fidicinus Baimociensis Hungarus. FABÓ szerint nevét Piscatornak is írta. Hazatérte után galgóci prédikátor, majd Thurzó György meghívta őt a biccsei iskola konrektorának. 1608-tól ugyanott rektor. A Bocskai felkelés idején rövid időre megszakította biccsei működését. 1610-ben Galgócon volt rektor. 1621-től lelkész, a következő évben már szuperintendens Abrahamides helyett. Ila közli Thurzó Szaniszlóhoz (aki Klein szerint Vágújhelyre hívta prédikátornak) bajmóci prédikátorként írt levelét 1622-ből. (ILA 113–114, 286–287; KLEIN III. 139–142; RUŽIČKA 186, 102–178; FABÓ 41–42.) – Előfordulhat azonban, hogy Martin Sculteti már ekkor Biccsén tartózkodott, talán konrektorként, mindenesetre a rektori tisztben ő követi Fidicinust és 1609-ben már ő Thurzó Imre praeceptora (vö. KLEIN III. 140. és a 2. levél jegyzetét.).

8.

